25,407/B

25,407/B

GRATII FALISCI
CYNEGETICON
ET
M. AVRELII OLYMPII NEMESIANI
CYNEGETICON
CVM NOTIS SELECTIS
TITII, BARTHII, VLITII, IOHNSONII
ET
PETRI BVRMANNI
INTEGRIS

MITAVIAE
APVD IACOB. FRIDER. HINZIVM.
MDCCLXXV.

Nam bis, immo ter, eamdem interpretationem legere nemini poteſt eſſe iucundum, etiamſi moles et pretium libri non augeatur. Et ne ipſi quidem illi eruditorum taedium ex talibus legendis ſibi ſubnatum occultant, qui ſuas adnotationes in auctorem aliquem hac tantum lege volunt addi, vt omnia etiam verba integra ſeruentur. Enimuero ipſi illi heroës litterarum, quales haberi exiſtimarique percupiunt, non raro fallunt et falluntur, et hi eorum errores lectori ſemper ſunt obtrudendi? ſaepe ſcribunt ea, quae ad multa aliorum auctorum loca aeque commode poſſunt adiungi, etiam in his omnibus ſua nomina fulgere poſtulabunt? Proferunt alii ex doctrinae verae illius, quibus ſunt inſtructi copiis, quantum libet, et dum confidat feruor ſcribendi, ſed haec, quamuis bona et exquiſitiſſima, nemo hoc loco quaerit, licet forte inuentis gaudeat et delectetur. Nonnulli ex Aduerſariis ſuis diuerſis auctoribus eadem adlinunt, quo nomine Barthium non

vno

vno loco Burmannus ad Gratium notauit, horum quoque, quacumque data occaſione, adnotationum et exemplorum aceruis lectores oneremus? Sunt etiam, qui bis terue in eumdem ſcriptorem obſeruationes, caſtigationeſque conſcribunt, ita illi inconſtantes et a ſe ipſi deficientes, vt alio tempore aliam ſcriptori mentem tribuant, aliamque lectionem vindicent, interdum eamdem, quam in praecedenti examine proſcripſerunt, etiam tali inconſtantiae tirones adſuefaciamus, ſaltem incertos eos haerenteſque dimittamus? Simplicitatis quidem hi ſpecioſum nomen adſumunt, qui peccaſſe ſe aliquando fateantur, ſed profecto latet anguis in herba, ſtatim emerſurus, ſi quando alius quis auſus fuerit, contradicere et de meliori eos velle edocere. At verae explicationis emendationiſue auctori ſeruandus eſt honor. At profecto vanus eſt iſte honor et futilis gloria, quae ſumtus auget, et verboſitate lectori faſtidium mouet. Miſere actum eſſet cum bonis litteris,

 ſi inde

ſi inde a depulſa ex occidente barbarie ſemper ſic fieri conſueſſet. Quantos libros haberemus, immo potius, quibuſcum librorum molibus, et vere immanibus monſtris eſſet depugnandum, ſi, quotquot in auctorem antiquum aliquem vel explicando vel illuſtrando vel emendando opis nonnihil contuliſſent, horum omnium labores in vnum corpus congeſti cum auctore ſimul eſſent editi. Vnus Cicero ſic editus magnae inſtar eſſet bibliothecae, et beatorum diuitiis vix comparandus. At forte hanc ob cauſſam antiquiores auctorum interpretes non ſunt adiungendi, quia multa facilia explicant, ſaepius puerilia et nunc vulgo nota tradunt. Hoc de nonnullis ingenue eſt fatendum, ſed, quod pace recentiorum dictum ſit, permulta ſunt in antiquioribus, quae, ſiue in explicando diligentiam, ſiue in emendando religionem, et in coniectando felicitatem ſpectes, noſtratium doctrinae non ſunt poſtponenda. Quodſi contra eſſet, puderet profecto eruditio-

nis

nis fama conſpicuos homines veterum bona tacite ſublegere, et pro ſuis aperte venditare, quorum nonnullos, niſi gloriam cuiusdam laedere nefas haberemus, facile eſſet indicare. Sed perinde eſt, modo bonis frui liceat, etſi auctor verus ignoratur, inprimis tironi. Ex hoc genere cum nonnulla ſint in notis doctorum virorum ad hoſce poëtas, quod harum notarum delectum inſtituimus, facile, ſperamus, excuſaturos nos eos, qui lectionem veterum poëtarum commendant iuuentuti, et quidem ſic editorum, vt et ſumtus habita ſit ratio, neque omnium intelligendi ſubſidiorum nudi ſint deſtitutique. Ipſa interpretis cuiuſque verba ita tractauimus, vt nihil omnino mutare ſuſtineremus. Sperabamus ab initio, fore, vt ne in tantum quidem excreſcerent notae, omiſſis, quae ad ſcriptores prorſus non pertinent, praecipue ex Vlitianis, (harum enim magna pars in eo verſatur, vt Barthius inſcitiae, ineptiarum, mendaciorumque, ruſtico ſaepe more arguatur)

ſed

ſed cum Burmanni notae, quae integrae exhiberi debebant, non raro ad priorum Commentatorum notas referrentur, neque ſine his illae bene intelligi poſſent, multa, licet aliena, neceſſario addidimus, quibus, in locis aliorum anctorum vel explicandis vel emendandis, falſos fuiſſe interpretes Burmannus docuit. Adhibuimus in hac re omnem quidem, quam potuimus debuimuſque, curam, ſi quid tamen ſit, quod non ſatis accurate delectum videatur, erroris veniam ab humano iudice precari non erubeſcemus.

GRATII

GRATII FALISCI
CYNEGETICON.

GRATII FALISCI

CYNEGETICON.

Dona cano diuom, laetas venantibus artis
Auſpicio, Diana, tuo; prius omnis in armis

Spes

1. *Dona cano diuum*] Propoſitio nota circuitione expreſſa, nam ita fieri debere praecipiunt poëticae artis Magiſtri. eſt autem numerus pro numero, nota Poëtis figura, cum intelligat ipſam Dianam, vt mox ſequitur. *Titius.* Eodem modo inchoauerat κυνηγετικὸν ſuum Xenophon, quem et hic et paſſim alibi ſequutus eſt Gratius. Nihil poterat elegantius. Verſu vno proponit: ſemiuerſu inuocat: tum narrat candidiſſime. *Vlit.* Sic Demoſthenes apud Marcianum Ictum in l. 2. D. LL. Ἐςὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον Θεȣ̃. Et Cicero Tuſcul. I. *Philoſophia quid eſt aliud, niſi, vt Plato ait, donum, vt ego, inuentum deorum.* Idem in Add. *Dona* et *munera* deorum vocare ſolent Poëtae, non tantum, quae illi inuenerunt, ſed quaecumque in mortales ſunt diuini numinis benignitate collata. vide, quae ad Valer. Flac. IV, 179. et VII, 226. notaui. *Burm.*

laetas venantibus] Hoc eſt, exoptatas, gratas, atque acceptas, queis gaudent videlicet venatores omnium maxime. Ita Plautus Prologo Amphitruonis Mercurium *laetum lucris* dicit. Valerius Flaccus lib. I. Argon.

Inſtat Fama viri, virtusque
haud laeta tyranno.

Barth. Nihil huc faciunt *laeti venti* apud Val. Fl. IV, 31. qui proſperi et ferentes ſunt, multo minus locus Claud. ex Epith. Pallad. 61. Vbi legendum, *et qui lectiſſimus orbi ſanguis erat.* Quae ex lexicis corradunt editores pauperes: ſed *laetae artes venantibus*, vt *hilares labores* Nemeſiano initio operis, ſunt, quas libenter exercent, quae illis grata ſunt, nec, vt ſeruilis labor et opus, ſubeuntur ab inuitis. recte huc Barthius aduocat ex Valer. Flac. I, 30. *Virtus haud laeta tyranno*, vbi vide, quae diximus. ſic et Lucan. VIII, 89. *Infelix coniux, et nulli laeta marito*; vbi ſi *nullo* legas, diuerſus oriretur

ſen-

Spes fuit, et nuda ſiluas virtute mouebant
Incon-

ſenſus, ſcilicet vt illa ſit delectata ſuo marito, non vero vt nulli grata et accepta, et felix fuerit coniugi; et ita recte *laetam parenti virginem* apud Stat. IV. Silu. VIII, 26. explicat, quae patrem laetum facit, doctiſſimus Marklandus, et exemplis illuſtrat. *laetus* vero in locis aliis a Vlitio et Barthio adductis, cum ablatiuo diuerſa ſignificatione debet ſumi, vt *laetus lucro*, eſt gaudens, delectatus lucro; ita *Myrtetis laeta litora*, ſunt fecunda, *ſaeuis laetus* etc. quae huc non pertinent, vt nec Claud. praef. II. in rapt. 63. *Inſula laeta choris.* ideo vero laetae ſunt artes venantibus, quia dona deorum ſunt. *Burmann.*

2. *Auſpicio*] Tuo ductu et fauore. *Iohnſ.*

prius] Priusquam experientia doceret arteis. *Prius* pro Olim poſitum. *Barth.* Vox *omnis*, quia mox *omne auxilium* repetitur, ſuſpecta erat Heinſio, et quia deerat in Codice Thuaneo, quare malebat, *vnica*: ſed repetitio eiusdem vocis non ſemper probabilem correctioni cauſſam dat. nam vſ. 240. *prima* occurrit, quae vſ. 240. 243. et 245. iteratur. vſ. 394. et 397. *factum* repetitur. *ille* et *illum* 291. et 292. atque ita ſaepe alibi. Sed et Terent. Adelph. III, 4. *in te ſpes omnis.* et Phorm. I, 2. *in me ſpes omnis.* Heaut. IV, 3. *ſpem omnem eripio.* et ita alii. *Burm.*

in armis] Per *armos* robur ſolum natiuum intelligendum, quod *virtutis* mea nomine cenſet. Et homines primum exercuerunt contra feras. Non igitur *arma*, ſed *armi* intelligendi. *Barth.* Recte *armos*, humeros et lacertos interpretatur Barthius. nam licet *armi* frequentius de animalibus dicantur, vt inf. vſ. 160. et Heinſ. ad Ouid. XII. Met. 137. neget de homine dici ab Ouidio, non refugerunt tamen alii Poëtae. Lucan. IX, 831.

Totoque ſimul demittit ab armo.

et hinc Feſtus in *arma*, *armata* et *armillum* docet olim in vſu fuiſſe etiam *armum* et *armos* dici humeros cum brachiis. vid. et Barth. ad Stat. II. Theb. 475. et IV, 19. Praeterea ſi hic *arma* caperes, obloqueretur ſibi Poëta, qui mox dicit *nuda virtute*: id eſt ſine armis mouiſſe ſiluas. Dona ergo deorum ſunt arma venantibus data et inſtrumenta, quibus feras capere didicerunt. Rutil. I. Num. 367.

Humanis manibus non ſufficit vſus inermis,
Si non ſint aliae, ferrea tela, manus. Burm.

3. *Nuda*

Inconſulti homines, vitaque erat error in omni;

Poſt

3. *Nuda virtute*] *Nuda* hic eſt, non armis inſtructa. ita *nudae manus* Senec. Ep. XXIV. non armatae. Iuuenal. XV, 53.

—— et vice teli
Saeuit nuda manus.

Ita contra *iunctam cum viribus artem.* Ouid. VIII. Met. 29. et 10. 181. Vid. Broukh. ad Propert. IV, 1. 27. et quae nos ad Valer. Flacc. V, 146. et Phaedr. Prol. lib. III. notauimus. *Burm.*

ſiluas] Feras. Nam promiſcue his vtitur Gratius: infra v. 65.

Quam magna mercede meo ſine munere ſiluas
Impulerint.

Barth.

mouebant] Excutiebant. Videtur huius vocis hic vſus deſcendiſſe ab apibus, quarum aluearia ſimul mouentur, excutiuntur ipſae et afflictantur. *Barth. Mouere* terram, agros, etc. quae ex Theſauro Stephani, et ex Heinſio ad Ouid. XV. Met. 554. repetita ſunt, huc nihil faciunt. *mouere* hic eſt idem, quod *agitare ſiluas* dixit Ouid. V. Met. 606. vbi vide notata; ſiluae vero ſaepe a noſtro et aliis pro feris latentibus in ſiluis ponuntur. Ita *domare ſiluas.* infr. 350. eodem fere ſenſu *mota Ouilia* dixit Val. Flac. II, 73. ab vrſis praedantibus oues. idem lib. III, 21. *ſiluas fatigare* dixit. *Burm.*

4. *Inconſulti homines*] *Inconſulti* ſunt, qui nec conſilia inire, nec audire poterant, et ideo temere, vt res ſe dabant, in feras irruebant, ignari artium venandi. Ita Seru. ad Aen. III, 452. interpretatur *inſcios rerum*, *ſine conſilio*, *incautos*, *qui ſine conſilio aliquid adgrediuntur*, et noſter inf. 194. *inconſultos Gallos* canes vocat rudes, non doctos. et ita contra *conſultiſſimus Rhetor* Colu-mel. praef. lib. I. et hinc poſſet apud Petron. Cap. LXXXVIII. defendi *conſultiſſima ſapientiae via*, vt mox *propior via* noſtro dicitur. et vt *error in omni vita*, ita Luciano in Amoribus dicitur ἀμαθὴς βίος. e contrario *conſulto conſilio* aliquid facere illuſtrauit Gronou. ad Gell. II. Cap. 19. *Burm.*

vitaque] Omnino ſcribendum eſt, *Vita qui erat.* Et illud agnoſcere videtur Vetus Editio: Nam inibi ſcriptum, *vitaque.* Non dubito ad illud Aeſchyli referendum, ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν ἔπρασσον. Et haec veriſſima emendatio. Vita totius omnem ordinem vitae ſignificat. *Barth.* Vide, quae diximus ad Phaedr. lib. I. prooem.

Poſt alia propiore via, meliusque profecti,

Te ſo-

5. *Alia propiore via*] Legendum forte *Alii*, nam mihi ſane friget iſtud *Alia.* Iohnſ. Heinſius etiam emendabat, *alii propiore via* in ora codicis ſui; ſed, ſi ita legas, quosnam praeter homines intelligas, non video: non enim diuerſum genus poteſt capi: ſed de iisdem hominibus ſiue humano genere pergit agere, quod expreſſit per *vitaque erat error in omni.* iidem ergo illi homines inconſulti antea et rudes, quia nuda virtute olim mouebant ſiluas, cum viderent pericula et labores longos in bello illo ferino ſubeundos, poſtea melius per rationem et vſum alia via, eaque propiore profecti fuere: qui ſenſus clarus et perſpicuus. *propior* vero via eſt compendioſa magis, facilior, promptior ad venatum exercendum. Vide Gronou. ad illa Ciceronis lib. XIV. ad Att. Ep. 19. *nos alium portum propiorem huic aetati videbamus.* et ita noſter infra 218. *Hagnon vidit, qua propior patuit via*, et 465. *leto propior via.* Poteſt et explicari, conuenientior et magis propria hominibus, qui mente et corpore inſtructi, viribus fere cedunt feris et animalibus, ſed dono deorum, ratione, conſilio, aſtu et artibus animalia ſuperant, ideoque rectius et naturae ſuae conuenientius illis in venatu vti inſtituere, quam nuda virtute cum beſtiis congredi. ratio ergo propria et quaſi domeſtica eſt hominibus, vt ita *cura propior* Ouid. XII. Met. 570. et de Auguſto IV. ex Ponto IX, 7. quae ipſi vt imperatori prae aliis conuenit. et Stat. III. Silu. IV, 5. *Tunc propior iam cura Deae.* et ſic egregie vſus et experientia, eſt *via* illa *alia propior.* ita Virgil. II. Georg. initio, cum *modos*, quos natura dedit arboribus creandis, enumeraſſet, ſubiungit vſ. 22.

Sunt alii (modi) *quos ipſe via*
ſibi reperit vſus.

Vbi *via*, *ratione* explicat Servius, et Pierius dicit, alios interpretari *via*, quaſi inter eundum, et in ipſo progreſſu rerum id didiciſſent. quo referre debemus noſtri illud *melius profecti*: et vt noſter hoc primo dono Deorum adſcribit, deinde ſollertiae hominum vſ. 10. ita et idem Virgil. IV. Georg. 315. de ratione apes procreandi, primo Diis, mox induſtriae humanae adſcribit.

Quis Deus hanc, Muſae, quis
nobis extudit artem?
Vnde noua ingreſſus hominum
experientia cepit?

ex quibus omnibus conficitur *profecti* hic etiam legendum, nec Thuanei codicis ſcripturam

Te ſociam, Ratio, rebus ſumpſere gerendis.
Hinc omne auxilium vitae, rectusque reluxit
Ordo: et contiguas didicere ex artibus artes
Proſe-

ram *profectu*, nec, quod videtur Heinſius maluiſſe ex Epiſtola Vlitii ad Heinſium Tom. III. Syllog. pag. 740. et Tom. IV. pag. 294. *profecto* eſſe admittendum: ſed *profecti via propiore alia* explicandum faciliori, magis conuenienti naturae humanae rationi. ſic *ignaros viae agreſtes* idem Maro lib. I. Georg. 41. vide plura de voce *via* ad Valer. Flac. III, 17. et apud Barth. ad Rutil. I, 364. et vt hic *propior*, ita infra *proxima tutela* vſ. 382. magis vtilis exponitur a Barthio ad Claudian. II. in Rufin. 469. et certior ad Conſ. Mallii 95. *Burm.*

6. *Sociam*] Locutio e caſtris ſumpta, vt et *Rebus gerendis.* Quam alluſionem ſeruant et v. 7. *Auxilium*, et *Ordo*, Τάξις, quin et *proferre. fines proferet Imperii.* Iohnſ.

7. *Rectusque reluxit Ordo:*] Ita repoſui, non magis Adriani Turnebi monitu, quam rationis ductum ſequutus, cum antea legeretur *erectus.* Titius. Barthius edidit *certusque*, et nihil monuit: et potuerat tamen quaedam adducere, quis hanc lectionem tueretur. ſic apud Lucan. VII, 216. *ſtetit ordine certo infelix acies.* vbi in Thuanco Codice et S. Germani erat *recto:* quod minime peius vulgato. nam *rectus ordo* in acie, quid ſit, ex comparatione imperatoris ad Rhetoris officium patet apud Quinctil. II, 13. vbi *recto ordine*, id eſt acie directa, aliquando pugnari, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione docet, id eſt obliqua: et in initio capitis tamen vocat *certum quaeſtionum ordinem*, quem magis in dicendo, quam rectum in pugnando ſemper obſeruandum docet. vnde videmus rationem, quare hae voces confundantur, ſic Horatio lib. IV. Od. 15. *licentia euagans ordinem rectum* dicitur: denique haec verba permutari docet alius Fabii locus lib. I. de Inſt. Orat. 6. *quid eſt tam neceſſarium, quam recta locutio?* vbi alii Codices editi et ſcripti *certa.* Hic tamen nihil mouendum puto, ob ea, quae diximus de *recto ordine. erectusque* erat in Cod. Putean. *Burm.*

8. *Contiguas*] Inter ſe vicinas, catena quadam connexas, atque adeo cognatas inuicem. ſic Virgilius. *Barth. Contiguas* omnes ſcripti et editi, praeter illam a Barthio iactatam editionem veterem. Difficile vero ſaepe eſt, alterutram vocem

Proſerere; hinc demens cecidit violentia retro.

Sed

eligere, et praeferre. Vide, quae notauimus ad Ouid. IV. Met. 57. Neſcio ergo, an doceat Adoleſcentem, etſi ſubnixum Magiſtro ſuo, barbaram et ineptam pronuntiare vulgatam lectionem, ad quam probandam non debuiſſet, more ſuo, ex Lexicorum obuia copia corradere *Dies*, *aeuum* etc. *continua*, ſed producere locum, vbi *continuae artes* dicuntur, et eleganter ita vocari oſtendere. Cum *contiguae* ſint vicinae, quae inter ſe habent aliquid commune et cognatum. Vt ita Dialectica dicitur *vicina et finitima* Rhetoricae Ciceroni in Orat. cap. 32. iam vero *vicinus* et *contiguus*, idem notat, vt infra vſ. 37. *contiguum rorem* dicit. Ita artes bellicae, et venaticae ſunt vicinae et contiguae, et quaſi cognatae, et hinc toties ſcriptores cognationem et vinculum inter artes agnoſcunt, quibus inter ſe continentur: vt ex vulgato Ciceronis pro Archia loco conſtat. *Continuae* vero artes dicerentur, quae non interruptae, ſed cohaerentes eſſent, vt *aedes* non viis, montes non vallibus diſcreti etc. ſed artes contiguae, quaſi coniunctae ſunt, vt duo diuerſa corpora catena et vinculo colligata: ita et cognatio duos homines inter ſe coniungit, qui inde non *continui*, ſed *contigui* dici poſſunt: intercedit enim vinculum, quod vtrumque coniungit. Ita Cicero IV. Verr. 37. *Cognatio ſtudiorum et artium non minus eſt coniuncta, quam illa generis, nominis.* vbi *cognatio* eſt ſimilitudo ſtudiorum, quae vterque colebat. denique *contiguas* legendum docent ſeq. *ex artibus artes*, quae non ſunt continuae, ſed vt recte explicat ex Manilio (Virgilio) Barthius, quae quaſi cognatae ſunt, et ex ſimilitudine vnius aliae repertae quaſi proſeminantur. *ex* enim eſt *poſt*. nam poſt inuentam vnam, deinde alias reperere. vt ita aliam rem ex alia cogitare Terent. Eun. IV, 2. et millies alii Vid. et Barth. ad Rutil. I, 531. et hoc eſt, quod Virgilius I. Georg. 133. loco ab aliis laudato, *paulatim meditando artes extudiſſe vſum.* vnde primum cauatas alnos, id eſt ſcaphas, poſtea perfectiora nauigia fecerunt. vid. ibi Seru. et ita ex agricultura natae artes aliae ad vitam ſuſtinendam, vt venatus, piſcatus, etc. nam addit Virgil. *tum variae venere artes.* Burm.

9. *Proſerere*] Proſeminare. Sed *Proſerere* heic ἀντὶ proſeri, vſurpatum videtur. Quae figura phraſeos valde frequens huic

Sed primum auſpicium Deus artibus, altaque circum

Fir-

huic Poëtae. Vſu didicere ſemper alias ex aliis artibus profeſeri atque gigni. *Barth.* Legitur *proſerere*, quam lectionem Manilius confirmat.

— — — *Artes*
Semper enim ex aliis alias
proſeminat vſus.

v. 171. l. 1. longe impenſius tamen mihi altera arridet; eundem enim imaginum tenorem ferunt, nec a caſtris ad agros et ſata, nimis deſultoria leuitate Lectorem amandat. *Iohnſ.* Non recte pro *proſeri* capit Barth. cum *didicere* dictum ſit pro homines didicere, quod praeceſſit, et licet longius vel omnino abeſſet, ſubintelligi deberet, vt ita mox 25. *iubent.* et alibi ſaepius interpretes explicant. vide, quae ad multa Ouidii loca et ad Phaedr. Epilog. II. adnotauimus. nec video, quare *proferre* praeferat Iohnſonius, quaſi in omnibus his verbis quaedam eſſet ex bellicis vocabulis elegantia. quod ſi iam daremus, tamen etiam et artes, inter quas belli et venatus ſunt, recte *proſerere* homines dici poſſet, vt ipſa bella ex bellis *ſeri* et *proſeri* ſaepe dicuntur, et quod idem notat, quod *proferri*: nimirum ignotas antea et occultas didicere in lucem et vſum et conſpectum hominum producere, idque ex ſimilitudine illarum inter ſe. vid. Interpretes eruditos ad Sil. Ital. III. v. 448. et ita egregie reſpondet τὸ *reluxit.* et duplex vis in hoc verbo, vt ſit *proſeminare*, quo Manilius ſiue Gratium aemulatus, ſiue ſua ſponte, vtitur, et ſimul *exerere*, *in lucem producere.* Burm.

demens] Inconſulta, temeraria. *Iohnſ.*

cecidit violentia retro] Peſſum iit. Horat. lib. III. Od. 10. *ne currente retro funis eat rota.* appellauit autem *furorem dementem* ob id, quod ait Maro II. Aeneid. *furor iraque mentem praecipitant.* Titius. *Ceſſit* in Barthiana editione ſine dubio adſcribi debet negligentiae operarum, vt recte Lagus. Nam in notis producit exempla, quae τὸ *cecidit* confirmant, vt in Virgilii verbis *retro ſublapſa*: *labi* enim et *cadere* fere idem eſt. Vellem tamen planius exemplum. In Virgilio enim *retro* ad *referri* poteſt adiungi: et an *retro cadere* Latine dicatur, vehementer dubito, cum *retro cedere* pro paullatim reducere pedem, ceſſim ire, ſit obuium et vulgatum. *demens* id eſt inconſulta violentia, victa quaſi a ratione, paullatim ceſſit, et rudes

 homines

Firmamenta dedit; tum partes quisque ſecutus
Exegere

homines poliri atque erudiri ſe paſſi fuere. Nihil praeterea frequentius eſt confuſione duorum verborum *cadere* et *cedere.* ita pro *cadere cauſſa* apud Cicer. I. de Finib. 17. alii Codices *cedere cauſſae.* qualis et diuerſitas obſeruata apud Quinctil. lib. V. de Inſtit. Orat. 13. et apud eumdem *cedere victoria* et *cadere* lib. V. cap. 8. et apud Petron. LXXX. *Cum fortuna manet vultum ſeruatis, amici, cum cecidit turpi vertitis ora fuga.* vbi viri docti reſtituerunt, *cum cedit.* ita apud Claud. III. Rapt. 273. *quo leges cecidere poli,* vbi Barth. hunc Gratii locum adduxit; Heinſ. tentabat *ceſſere*; ſed ibi *abiere* eſt vera ſcriptura. Ouid. V. Met. 221. *non ceſſiſſe piget,* vbi in duobus ab Heinſio collatis codicibus erat *cecidiſſe*, ſed ibi puto, cum Moreti libro legendum *nunc coepiſſe piget.* Gudius adſcripſerat ex Calpurn. V. Ecl. 91. *Videbis ſerpentum cecidiſſe minas.* ſed hoc nihil probat; nec quia paſſim occurrit *cadit ira, minae* etc. ideo poteſt dici, *cadit retro violentia.* Ita et *cadit prudentia damno* infra 262. *Burm.*

violentia] Mera et inconſulta vis, abſque rationis ductu. *Violentia* eſt ἕξις quaedam vi agendi. *Barth.*

10. *Auſpicium*] Principium atque initium. *Auſpicii* vocabulum hoc ſignificare coepit, quia nihil ſine auſpiciis agebant veteres. Ita *auſpicia felicia* exordia dici coeperunt. *Barth. Aſpatium* Cod. Thuan. et hoc iam eſt, quod *dona divum* dixerit: non enim per ſe homines viderunt viam, qua emendarent inconſultam violentiam, ſed Dei primum oſtenderunt illis viam, quam deinde ingreſſi homines, induſtria ſua perfecerunt artes. *Burm.*

Deus] *Deum* pro omnibus vnum dici familiare Poëtis. *Barth.* Foeminini generis. Dianam enim intelligit. Ita Graece, ἡ θεός. *Iohnſ.* Vid. ad vſ. 350.

altaque circum Firmamenta dedit] In veteri Edito *circum* ſcriptum eſt. Quod ego ab eo inductum puto, quem repetitio τȣ̃ *a* litterae, offendit. *Barth.* Scripſimus *circum* pro *circa.* Ita dicit in Vet. Ed. ſe inueniſſe ſcriptum Barthius, ſed ablegat, vt nugis ſuis locum faceret. Omnino tmeſis eſt, pro *circumdedit,* id eſt addidit: vt Tacitus de Agricola cap. 20. *Egregiam famam paci circumdedit.* Attius eadem tmeſi dixit: *circum magni ſonantibus Excita ſaxis.* Manilius:

Exegere ſuas, tetigitque induſtria finem.
Tu

lius: *Inque deum deus ipſe tulit*, pro, intulit ipſe deum deus. *Vlit. Circa* pro *circum*. Ita et vſus Liuius lib. I. de Romulo: *venando peragrare circa ſaltus*. Nihil ergo mutandum fuit. *Vlit. in Add. Circum* probat Gudius ad Phaedr. III, 20. et Virgilianam imitationem eſſe credit ex I. Aeneid. *atque arida circum nutrimenta dedit*. ita mox vſ. 29. *circum laqueare*. et vſ. 407. *circum labra ſequi*, et 358. *circum Meliteſia nectunt*. vbi etiam *circa*, probat etiam *circa* Gronou. ad Senec. Herc. Fur. vſ. 149. ego, quia tmeſi delectantur Poëtae, *circum* praetuli. *Fundamenta* vero ſuppoſitum ab iis, qui epitheton *alta* his magis conuenire credebant, ſed et firmamenta, vt munimina, recte *alta* dici poſſunt, quibus vt vrbes, ſe a vi ferarum defenderent. poſſet et aliquis praeferre, *apta firmamenta*. Burm.

11. *Firmamenta*] Vetus Edit. *fundamenta*. Quod non placet. Barth.

ſecutus] Eleganter ponitur pro proſecutus, atque executus. *Barth*. Sic omnes libri. et Heinſ. ad Ouid. Met. l. IV. v. 212. legit:

— — *Quisque ſecuti*.

Eleganter.

— — *Nomine quemque vocatos*
Exhortatur equos.

Ibidem *Iohnſ*. Infr. vſ. 441.

12. *Exegere*] Ad finem deduxere. *Exigere* enim eſt fini optato tradere. Horatius.

Exegi monumentum aere perennius.

Barth. Ab Hippodromo, vt et *tetigit finem*. Ouid. Met. l. I. v. 118.

Spatiis exegit quatuor annum.

Iohnſ. Sed ibi aliud *exigere* notare, oſtendimus: *exigere partes* hic puto eſſe, pro ſe quisque adgreſſus illas partes, in quibus ſe aliquid noui excogitare, et veteribus addere poſſe, credebat. fere vt Ouid. II. Art. 502.

Atque opus ad vires exiget vsque ſuas.

Quanquam nolo repugnare illis, qui pro peragere capiunt. Ita Claud. Praef. in Epith. Honor. 16.

— — *totosque renato*
Viderat exactos Heſperus igne choros.

Vbi, vt et hic, pro ſimplici *agere* poteſt capi, niſi quod intendat ſignificationem: quisquis ergo ſecutus auſpicia deorum, pro ſolertia et induſtria ſua perfecit artes. *Agere, peragere partes* obuiam: vt vero *exigere opus* dici oſtendit Iohnſ. ita *peragere* opus paſſim occurrit. *Burm*.

teti-

Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Qua primam quaerebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hac ſoluere noxa.

Adſci-

tetigitque] Quaſi colliman-do ad ſcopum. *Barth.* *Finem* hic pro meta capio. vt ita *tangere metas* Ouid. II. Met. 143. et *contingere metam* Horat. Art. Poët. 412. perfectas artes per induſtriam dicit, quae inventae et traditae ſunt a diis. Ita inf. 429. *gratos agitando prendere fines.* non multum diuerſo ſenſu dixit Ouid. IV. ex Ponto VIII, 38.

Et finem pietas contigit illa ſuum.

Burm.

induſtria] *Sollertiam* in eadem re nominat Manilius,

Nec tum etiam varias Sollertia fecerat arteis.

Barth. Vid. Claud. III. Rapt. 30. et ſeqq. et ibi Barth. et ad Idyll. II, 44. *Burm.*

13. *Tu trepidam*] Cum parum auxilii eſſet in viribus hominum; itaque non ſatis tuto ſyluas perluſtrabant: a feris enim paſſim impetebantur, quibuscum quaſi bellum, et id quidem non incruentum, aſſidue gerebant. *Titius.*

Vitam] Ordinem totum et fatum vitae. Quod ſuperius etiam adnotauimus. *Barth.* vid. ad vſ. 4.

14. *Quaerebat*] Deſiderabat. Quod enim quaerimus, hoc deſideramus, et vice verſa. *Barth.* Vid. ad Ouid. II. Met. 239.

primam opem] Qua ex parte homines et tuam orabant opem, et maxime egebant. Hic enim mihi aſſequi velle videtur Gratius duplicem ſenſum τοῦ ἔχρησε. *Iohnſ.* Mihi non diſplicet *primum*, et ſenſum eſſe puto. Tu Diana, hominum inconſultam violentiam, qua olim quaerebant ſubſidia vitae et alimenta ex feris captis, vnde continuus metus, et ſaepe damna, et ipſam mortem a feris illatam conſequebantur, dignata es auxiliis artis venaticae repertis adiuuare et protegere, et nudae virtuti addere artes et dolos, quibus ſine noxa feras capiant. Scal. legebat, *quae primam q. o.* etiam non male, et certe *primam opem* firmat quoque locus infr. 467.

Quod primum ſi fallat opem demiſſa facultas.

Vbi de remedio morbi ſumitur, vt hic de vitae ſubſidio. *Burm.*

15. *Hac ſoluere noxa*] Hoc damno et periculo liberare:

noxa

Adſciuere tuo comites ſub nomine diuae
Centum

noxa enim damnum ſignificat ex Seruii Sulpicii ſententia, vt docet Feſtus; recte autem dixit *ſoluere*, vt reſponderet *noxae*. Titius. Vid. infra ad 439.

16. *Adſcinere*] Elegantiſſime. Sententias ſuas atque experimenta addidere, a *Sciſcendi* verbo, quod τεχνικόν. Vnde *ſcita* pro ſententiis. Diana princeps et venationem arte inſtruxit, et hominibus eam demonſtrauit. Addiderunt ſub eius numine ſua quoque inventa aliae Deae. Quare et liquet *Numine* ſcribendum, non *nomine*, vt vulgo. Et ita vetus Editio. Si placet *adſcivere*, vulgari modo capere, valebit adſcitae ſunt, more Gratii iam a nobis notato. Sed illud elegantius. *Barth. Numine*, edidit Barthius: tum interpretatur *aſſciuere*, i. e. ſcita fecerunt. Diſcat a Feſto: *Aſſciſcere eſt adiungere, vel adſumere.* Imo contrarium ſignificat τῷ *deſciſcere*, et παθητικῶς accipiendum. *Vlit.* Heinſius ad Ouid. Faſt. I. vſ. 512.

Aſcitaeque tuo comites ſub numine.

At nullus ſuffragatur codex, et *aſciuere* bene ſe habet. adiunxere ſe. *Iohnſ.* Vid. et Heinſ. ad Ouid. IV. Met. 625. Si *adſciuere* (de quo verbo vide, quae diximus ad Phaedr. II, 17.) retinendum, ſubintelligendum *ſe.* ſed quia hoc durius, malim, *Acceſſere*, quod proprie de iis, qui ſub aliquo militaturi veniunt. Val. Fl. II, 378.

O miſeri quicumque tuis acceſſimus actis.

V, 118.

— ſeque precantur
Accipiant ſocios: noua dux accedere gaudet
Numina.

et vſ. 200.

Annue, diua maris, numeroque accede tuorum.

et ita alii paſſim. et honoris verbum eſt. Sic *Caeſar dis acceſſurus* Ouid. V. Triſt. V, 61. qui *ſuperis adſcitus* IV. ex Pont. IX, 127. Claud. I. Stilic. 78. Et *gener Auguſtis, olim ſocer ipſe futurus, Accedis*, vbi vid. Barth. Ouid. XIV. Met. 804. *Tatium accedere regno placet.* Scaliger emendauerat, *Diua*, et tunc *adſciuere* poſſet retineri, vt homines venatores intelligantur, vt mox vſ. 25. *iubent*, et alibi paſſim. deinde etiam *Naiadas* legebat. Sed quid tunc fiet *Maenaliusque puer*, et ſeq. quare ego *acceſſere* praefero, et *Diua* non damno. in Thuaneo erat *Adſciuere.* Burm.

nomine] Sic omnes libri. at Barthius *numine*, Heinſio aſſentiente. ego tamen veterem lectionem retinendam cenſeo.

Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes
Naïades,

cenſeo. *Iohnſ. Sub nomina* ſatis adſeruimus ad Ouid II. Triſt. 551. *Burm.*

17. *Centum omnes*] Sic Callimachus hymno εἰς Ἄρτεμιν, vſ. 13.

> — ἑξήκοντα χορήτιδας ὠκεανίνας,
> Πάσας εἰνέτεας.

Barth. De hoc numero Nympharum vide Paſſerat. ad Propert. III, 7. pag. 448. imitatus videtur noſtrum Claudian. III. de laud. Stilic. 257.

> — — *Exercitus alter*
> *Nympharum incedunt, acies formoſa Dianae,*
> *Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,*
> *Et totidem caſto genuit quos flumine Ladon.*

Ceterum aliquid ſcabri ſubeſſe huic verſui videtur; cum enim dixiſſet *nemorum,* cur non *fontium* quoque dixit. facile vero paterer dici, ſi non praeceſſiſſet *nemorum, Naiades de fontibus,* vt *paſtor ab Amphryſo,* Virgilio, et Suetonio. Cal. XLV. *pauci de cuſtodia,* et vt paſſim *vnus de populo, de multis* et ſimilia: ſuſpicionem corrupti loci auxit diuerſa Codicis Thuanei ſcriptura, quae habet,

> *Centum omnes nemor, ſumentes de fontibus omnes*
> *Naides,*

Vnde facillima profluit correctio,

> *Centum omnes Nemorum, humentes de fontibus omnes*
> *Naides.*

Quis enim neſcit Naidas *vdas* ſaepe dici? Vid. Heinſ. ad Ouid. Epiſt. XV, 162. et ita Calpur. II. Ecl. 14.

> *Adfuerunt ſicco Dryades pede, Naides vdo.*

Claud. III. de Rapt. 17.

> — *incumbunt patribus vdae Naides.*

et ita *Thetis vda* et *aquoſa,* de qua idem videndus Heinſius ad Ouid. XI. Met. 221. *Centum omnes* vero dictum, vt Quinctil. III. de Inſt. Orat. 6. *omnia tria genera exſecutus.* et Iuſtin. lib. XLII, 5. ex MSS. *omnes fratres triginta occidit,* et ita ſaepe Graeci. Apollon. Rhod. I, 1318. dixit: δώδεκα πάντας ἀέθλους. Moſch. Idyl. I, 6. ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν, vbi vid. Vulcan. Strab. lib. III. p. 155. ex Pindaro laudem πάντα θύειν ἑκατὸν, vbi vid. Caſaub. ridicula ſunt, quae de his Nymphis dictauit diſcipulo ſuo Magiſter, et cur κρηνιάδες dicantur: quae tamen debet Heinſianis lectionibus Theocriteis, quem nominare quis, quaeſo, pudor eſt. *Burm.*

Naïades, et Latii cultor qui Faunus amoeni,
Maenaliusque puer, domitrixque Idaea leonum

Mater

18. *Latii cultor*] Cur Faunus Latii cultor dicatur, ſcias ex Varrone, qui ſcribat eum eſſe Deum Latinorum, nec non Lactantio. *Titius.*

Faunus] Latii cultor Faunus audit, quod primus vel cum primis Latium colere inſtituerit, vt traditum Aurelio Victori in Orginibus Romanis. *Barth.* In Cod. Thuan. erat.

Naides et Latii Faunus — Maenalius.

Ceteris verbis deficientibus. ex Putean. Gudius profert. *Naides et Pacis Faunus.* Illud *cultor* vero ex vſ. 38. irrepſiſſe credebat Heinſius. ſupplere autem haec ſine ope Codicis facile quidem eſſet, ſed quis Gratii manum praeſtabit? *Latii* vero Deum fuiſſe docet Varro lib. VI. de L. L. pag. 72. qui locus corruptus apud Servium quoque exſtat ad Virg. I. Georg. 10. et hoc Titium vidiſſe poſtea ſenſi. *Burm.*

19. *Maenalius puer*] Ariſtaeum enim intelligimus, qui venationis auctor dicitur; Nonnus ſuadet Dionyſiacor. lib. V. fuit autem is Apollinis filius ex Nympha venatrice Cyrene, Rex Arcadiae, in qua Maenalus mons; vnde hic *Maenalius* a Gratio nuncupatur: an vero de Pane exaudiemus: et hoc quoque ſuos auctores habet. Sed cur *puer* hic a noſtro Poëta vocatur, cum de eo ſcripſerit Silius lib. III, 333.

Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento.

Non a corporis habitu, ſed ab aetate hanc nuncupationem ſortitur. cum enim Dii ſint immortales, nec ſenectutis incommoda experiantur, iuuenes et pueri non immerito vocari poſſunt. *Titius.* Bacchum puto intelligi. inter cuius myſteria venatio, haſtis hedera inuolutis obiri conſueta. Sed de *Maenalio* Bacchi cognomine nihil legere memini. Nec tamen incidit, quem alium hoc nomine cenſeat. An Arcada Mercurium cenſes; cuius ingenio plurimae artes debitae. *Barth.* Siue Pana, ſiue Faunum intelligas, perinde eſt. Horum enim nomina viciſſim confundi apud Poëtas multis exemplis docet ὁ πάνυ Salmaſius ad Solin. p. 413. *Pueri* autem vocabulum non aetatis, ſed blandimenti inſtar eſt. *Vlit. in Add.* Ego Mercurium intelligerem, qui Arcas, (nam id *Maenalius* notat) et eodem modo vt Pan paſtores, et pecora tuebatur, vnde arcebat feras; et hinc

νόμιος

Mater, et inculto Siluanus termite gaudens.
His ego praeſidibus noſtram defendere ſortem
Contra mille feras, et non ſine carmine; niſus
Car-

νόμιος dicitur. vid. Vaillant. de Colon. Tom. I. in Ant. Pio in Colon. Aroe Patrenſi, et in L. Vero, in Corintho. et Buonaruot. obſeru. in numm. p. 26. et ſeq. et p. 41. et hinc montium, eodem iure, quo Siluanus Nemeſiano Ecl. II. et Diana paſſim, Deus habebatur. Vid. Schol. Sophocl. in Philoct. vſ. 1446. *puerum* recte explicat Vlitius, licet et puer vocari poſſit, quia ſeruus et nuntius deorum ſit. *pueros* vero miniſtros dici obuium eſt. Vide, an huc cognomen Mercurii παιδοκόρος referri poſſit, quo nomine a Metapontinis coli Heſychius ait. De Baccho hic cogitare ineptum, nec ille Maenalius, nec venatorum numen. *Burm.*

20. *Inculto Syluanus termite gaudens*] Vel nominatim Sylvanus ipſe, vel poſt enumerationem aliquot Deorum generatim intelligemus de quocumque Syluicola: nam ſic a vetere Grammatico Syluanus, πᾶς θεὸς ὑλαῖος, et quidem totus hic locus reſpicit inuocationem Maronis I. Georgicor. expreſſam. *termes* porro ramus dicitur direptus ex arbore, nec foliis repletus, nec nimis glaber. *Titius.*

21. *Noſtram defendere ſortem*] Imbecillitatem humanam, quae ferarum viribus par eſſe nequit, cum nullis armis a natura muniti ſumus, et varia variis animantibus parens illa praebuit. *Titius.* Conditionem diuinitus praeſcriptam. *Vlit. Partem* Gudius interpretabatur, vt verſ. 11. ſed rectius Titius exponit. *Burm.* Vid. ad vſ. 292.

defendere ſortem] Poterat totus hic locus ita apte concinnari:

His ego praeſidibus noſtram defendere ſortem,
Contra mille feras: et non ſine carmine ludens.

Nam in Thuaneo Cod. et in vetuſtiſſimi exemplaris, quae pauculae Mediolani ſuperſunt, ſchedis, pro *luſus* legitur *leſus*, in aliis *vſus*, ita vt vetus mendum eſſe appareat. Nec tamen etiamnum diſplicet prior coniectum, *niſus;* Vlit. in Add.

et non ſine carmine luſus] Turnebus legat *crimine.* Titius. Haud dubio genuina lectio eſt Gratii, quam eruditiſſ. Turnebus hariolatus eſt.

— *Non ſine crimine.*

Quia videlicet ſine ſanguine et caede non patratur venatio. In ve-

Carmine, et arma dabo venanti, et perſequar artes

Armo-

In veteri Editione longe aliam ſcripturam reperi.

— *Sed non ſine carminis vſus.* Vnde ſuſpicari licet primitus in membranis fuiſſe.

— *Sed non niſi carminis vſu.* Quae et ipſa ſcriptura non indigna Poëtae, et ſententiae optimis modis congrua. Praeſertim reſpectu verſus ſubſequentis. *Barth.*

niſus] Ita confidenter reſcripſi, donec aliquis *luſus* illos, quos vulgata exhibet, nobis approbet. *Niti* hic Gratio eſt, quod Manilio aliisque *aggredi.* Vlit. Vlitio ita hunc locum conſtituenti dudum eſt, ex quo aſſenſum praebui: neque enim in omnes verſanti mihi partes quicquam melius occurrit. lege modo, *at non ſine carmine.* Iohnſ. Vid. Epiſtolam Vlitii ad Heinſ. tom. III. Sylloges noſtrae p. 741. Scaliger voluerat, *non ſine crimine luſus*, locus ſine dubio vitio graui contaminatus. Puer ille Britannicus hic magnifice ſe effert, et ex dictatis magiſtri ſui nihil noui praeter diſtinctionem adfert. probat vero *niſus*, et ita veteres locutos iactans adfert loca, certe Valerii Flacci, nihil huc pertinentia. Sed quis ferat hanc ſtribliginem, *ego niſus carmine, et non ſine carmine* *dabo arma* etc. Heinſius volebat *ſed* (vel *at*) *non ſine numine, niſus carmine.* vt apud Virgil. II. Aen.

Non haec ſine numine diuum
Eueniunt.

et Val. Flacc. II, 48.

— *non hanc ſine numine pinum*
Dirigimus.

Et obuia certe haec formula eſt. ideoque etiam probabilior videtur, quia nullus Poëta ſine aliquo numine carmina ſua ſe feciſſe non profitetur. pro *niſus* Graeuius etiam non abſurde *iuſſus* reſtituebat. Quia vero in codicibus et editis quibusdam legitur; *non ſine carminis vſu*, vel *vſus*, fingere liceret hunc locum deſperatae ſanitatis hoc modo

— — *defendere ſortem*
Contra mille feras, et non certamine nudo,
Carmine et arma dabo, venanti, et p. a.
— *feras, duri certaminis vſu:*
Carmine et arma dabo etc.

Certamen et *carmen* per compendia ſcribarum confundi vidimus etiam ad Quinctil. lib. IV. cap. I. initio. *Durum* vero *certamen* a bellis et praeliis, quorum imago et inſtar eſt venatus, dici recte probabunt ea, quae dixi ad Valer. Flac. VI, 545. et noſter ipſe vſ. 506.

Armorum; caſſesque, plagarumque ordiar
aſtus.

25 Prima

vſ. 506. *durum Martem* dixit, et *certamina* vſ. 278. Poſſet et ex *non ſine* formari, *longi certaminis vſu*; vt mox *vſus longus* et *longus labor* infr. 249. vt ita omnia inter ſe cohaereant: His praeſidibus dabo carmine, id eſt docebo, monſtrabo, defendere noſtram ſortem, et humanam imbecillitatem vſu venationis, quae eſt certamen ſiue durum ſiue longum, et ſimul artes, quibus retia, caſſes etc. fiant et adhibeantur, ſed hoc eſt hariolari, et veriora prodenti lubens cedam. Certe epitheton aliquod latet in *non ſine*. Burm.

23. *Carmine et arma dabo*] Poſt hoc carmen ſtellulae appoſitae ſunt in codicibus Manutianis, lacunae indices, et ſane quippiam deeſſe ſit vero ſimile. *Arma* ſunt ferramenta, ſiue generatim inſtrumenta omnia, omnisque mundus venaticus. Oppianus appellat ὅπλα et ἔντεα. *Titius.*

arma dabo venandi] Ita deprauatiſſimum hunc locum emendauimus. *Vlit. Perſequar artem* Pythoeus, neſcio vnde. MS. Thuan. *artis Armorum caſſes.* Sic et Mediolan. et Ald. *Artes armorum*, id eſt, quibus artibus vtenda ac tractanda. Sic Horatius lib. IV. Ode VI.

— — *Phoebus artem*
Carminis, nomenque dedit
Poëtae.

Idem. *in Add. Venandi et perſequar artem* Cod. Heinſio inſpectus.

24. *Caſſesque, plagarumque*] Per *caſſes*, pedicas ſiue tendiculas, per *plagas* retia intelligemus. *Titius.* Non audimus magnum Turnebum, et illum, qui Poëmatia compegit, hunc verſum ad ſuum ingenium ita interpolanteis.

Armorum caſſeisque, plagarumque ordiar aſtus.

Plagium enim eleganter Gratius, pro reti pluribus plagis contexto poſuit. Et illi oppido incogitanteis, qui hoc Poëtae non vulgare vocabulum inuiderunt. Et id quidem Latinum ſit huius vnius auctoritate. *Barth.* Non auſim recipere in Latium vocem inauditam *plagium*, et ex ſordibus poſterioris aeui prolatam, ſed cum Heinſio ſcriberem,

Armorum, caſſisque, plagaeque exordiar aſtus.

Arma enim retia, quorum ſpecies *caſſis* et *plaga.* ita infra.

Non eſt humentibus vſus in armis.

et millies. *Plagium* defendit Vlitius ad Nemeſ. Cyn. 300. Scaliger notauerat in ora codicis, *Caſſis plagularumque exordiar*

Prima iubent tenui naſcentem iungere filo
Lim-

ordiar aſtus, credo *ordiar* voluiſſe, ne verſus laboret. *Burm.*

25. *Prima*] Locus difficillimus. En Vlitianam tibi explicationem. Peridromum, *i. e.* limbum iubet circumuoluto annulatim filo retis orae apponi, eoque tenui, vt commode hac illac contrahi aut expandi rete poſſit. tum praecipit Gratius limbos, *i. e.* fila linea quadruplici nodo adſtringi in quadrangulas maculas; ſic limbi illi, *i. e.* fila linea et συνεκδοχικῶς rete erunt vſus longi. Quod ad caſſem ipſum, qui ſequitur, mediam partem retis ſignificare contendit. Nihil vltra hiſce tribus 25. 26. 27. verſibus mihi videtur ſignificari, quam modus conficiendi lineam retibus aptam. Qualis demum foret illa operum patiens et vſus longi? nempe quae conſtat quatuor limbis, torquendo adſtrictis. limbus autem eſt funiculus tenuibus lini filis inter ſe plexis confectus. Imprimis igitur iubent Artifices tenui lino funiculum et ex quatuor funiculis machina tortili adſtrictis lineam conficere, nec te tua cura refellet inter opus. *Prima*, imprimis, graece τὰ πρῶτα, ad ipſum caſſem, qui hiat mediocre circumlaqueare oportet per ſenes ſinus, vſque vt cauitate ſua tutam feram hoſtilem, quantumuis magnam, contineat includatque. *Iohnſ.* Vid. Seru. ad III. Aeneid. 426.

iubent] Qui? Magiſtri τῆς κυνηγετικῆς. *Barth.* Recte. ita infr. 90. *iuſſere*, et 58. *vetant.* vid. ſup. vſ. 8. et inf. 126. et ſaepe ad Ouidium. forte tamen ſcripſerit, *iube.* Burm.

naſcentem] Perquam eleganter. Nam deductio illa filorum ſimilis eſt natiuitati. Et non infrequens ſcriptoribus haec metaphora. Inf.

Tunc ipſum medio caſſem qui
naſcitur ore.

Sic Virgilius in Ceiri.

— *Ad tantas nunc primum*
naſcimur arteis.

Barth. Eodem modo Stat. V. Silu. I, 224. Eſt *locus ante vrbem, qua primum naſcitur ingens Appia.* vbi nollem cum Heinſ. ad Ouid. IV. Met. 556. legere *ſurgitur.* Ita *naſcentes morbos* Ouid. Remed. 115. dixit. Frontin. de Aquaed. n. 119. *opera naſci* dixit, cum neceſſaria incipit eſſe reparatio vitioſorum Aquaeductuum. et multa talia de ortu et initio quarumcumque rerum. Scaliger correxerat *naſcentia iungere filo lina.* Burm.

iungere] Id eſt, annectere. Proprium hoc artis vocabulum in retium confectura; vt *texere* de pannis. *Vlit.*

Limbum, et quadruplici tormento adſtringere limbos.
Illa operum patiens, illa vſus linea longi.
Tunc ipſam medio caſſem qui naſcitur ore,
Per ſenos circum vſque ſinus laqueabis, vt omnem
Con-

26. *Tormento*] Circumtorquentur enim in angulis funes, vt ſibimet circumplicati inhaereant. *Tormentum* eſt funis contortus. Iſidor. lib. XIX. cap. 4. *Barth.*

adſtringere limbos] Non eodem ſignificatu, quo prius, hic *limbos* poſuit, ſed pro lineis filis. Praecipit Gratius fila quadruplici nodo adſtringi in quadrangulas maculas, quas βρόχους appellant Graeci. *Limbus* itaque hic quoduis filum ſignificat. *Vlit.*

27. *Linea*] Totum contextum dicitur *linea*. Quia videlicet ad lineam ductum, et ab vna linea pendet. *Barth.*

longi] Diuturni, ſtabilis. Propertius II. IX, 5.

Et longam Auguſto ſalua precare diem.

Hoc eſt ſtabilem vitam et diuturnam. *Barth.* Contra in Focae Carmine de Virgilio,

Praedia dat Caeſar, quorum breuis vſus habendi:
Obtulit hic laudes —

Vid. ad Ouid. II. Amor. XIX, 23. et infr. vſ. 60. ita *longus labor* inf. vſ. 279. *Burm.*

28. *Tunc ipſum medio*] *Caſſis* hic partem retis mediam, quae in concauum oblonge ſe ſinuat, et ſinus inſtar eſt, ſignificat. Graeci τὴν σκυτάλην vocant. Latini a *caſſo*, id eſt inani, *caſſem* et *caſſidem* deriuant. Nam *caſſidem* quoque pro reticulo in foeminarum capite geſtari ſolito expoſuerunt Veteres Grammatici. Nec aliter ἄρκυς apud Graecos. Sed ἄρκυς apud Graecos ſemper pro diuerſo, et ſeparato reti ponitur, vt δίκτυον ſit rete planum, ἄρκυς ſit caſſis, ſiue rete concauum. Latini quoque ita caſſem et et rete diſcernunt in ipſa primaeua vocum notione, ſed in vſu, Poëtae maxime confundunt, qui caſſem pro reti et plagas quoque poſuerunt. *Vlit.*

medio ore] Elegantiſſime ſpatium inter fila patens *os* appellauit, conſuetudine ſcriptorum, quibus omne patens, *os*, perhibetur. *Barth.*

29. *Per ſenos circum vſque ſinus*] Viden' τὸ *circum* concavitati reſpondere? Alias *laqueare* eſt nodis aſtringere. *Sinus* pro maculis poſuit, quas a medio

Concipiat tergo, ſi quiſquam eſt plurimus, hoſtem.

Et

a medio ore retis, vbi caſſis naſcitur, vſque vbi anguſtiis ſuis terminatur, ſex numerat. *Vlit.*

Sinus] Caſſis vnam tantam cauitatem habebat, quam Gratius *Tergum* vocat. Caſſem, apud Pollucem hoc modo deſcriptam habes. ἔστι δὲ ὁ βρόχος τὸ συνεχὲς ἐν ταῖς δικτύοις τετράγωνον διάστημα. συνεστηκὸς ἐκ τεττάρων ἁμμάτων, ὅπερ, τεινομένης τῆς ἄρκυος, γίνεται ῥομβοειδές. δι' οὗ τὴν κεφαλὴν διωθεῖ θηρία, ὡς διεκπεσόμενα. καὶ περὶ αὐτὸ ἐνσχεθέντα ἁλίσκεται. Hic itaque videtur mihi verborum ſenſus. Ipſum caſſem circumlaqueare oportet per ſenos ſinus, quorum vnusquisque validiori fune ab invicem disiunctus erat et munitus. *Iohnſ.*

laqueabis] Tmeſis eſt: circumlaqueabis vſque per ſenos ſinus. Tamen et ſimplex verbum in vſu fuit. Iuuencus in Hiſtoria Euangelica I, 524.

Si te forte oculi dextri laqueaverit error. Hinc *laqueatores* dicti, qui in circo aduerſarios laqueis ſuperare didicerant. *Barth.* De hoc verbo *laqueare* ad D. Iuuenci iocum quaedam ex his Barthii notis, nullo ipſi honore habito, et ex aliis compilauit nuperus notarum ſcriptor Omeiſius, qui raritatem verbi iactat. Atqui et Manilius vſus lib. V, 659.

— *Extentis laqueare profundum Retibus.*

et lib. I, 532.

Haec igitur texunt aequali ſidera tractu
Ignibus, in varias coelum laqueantia formas.

Vbi poſſet etiam a *laquear* deduci; et neſcio, an hic *laqueare* notet adſtringere, cum caſſem circum laqueare in ſinus, referat fere ſpeciem laquearis. ſinus enim illi concaui aliquid notant in retibus, quo hoſtem concipiat. *Burm.*

30. *Concipiat*] Capiat. Compoſitum pro ſimplici. *Barth.* *Concipiat* explico plures ſimul capiat, complectatur. Ita Servius dicit ſarcinatores dici, *concipere veſtimenta, cum e diverſo coniungunt et adſuunt*, ad Virg. Aeneid. XII, 13. *Burm.*

tergo] Planitiem retis *tergum* vocat; vt omnia, quae aequali ſunt planicie, *terga* appellantur. *Barth.* *Texto* malebat Heinſius, vel *gyro*: perperam. *Burm.*

ſi quiſquam eſt] Peſſime haec in omnibus editis diſtincta ſunt. Scribe, *ſi quiſquam eſt, plurimus hoſtem. Plurimus*, hoc eſt creberrimis caſſibus: Et

Et bis vicenos ſpatium praetendere paſſus
Rete velim, pleniſque decem conſurgere nodis.

Ingrati

plurimus eſt creberrimus. Virg. lib. VI, 658.

— — — *Vnde ſuperne*
Plurimus Eridani per ſiluam voluitur amnis.

Hoc eſt, denſiſſimus. Idem I, 419.

— *Adſcendunt collem, qui plurimus vrbi*
Imminet.

Barth. *Plurimus* hic pro *maximus* ponitur. de vno tantum hoſte loquitur, et τὸ *Quisquam* clare indicat. *Iohnſ.* *Quis qua* Cod. Thuan. forte *qua caſſis plurimus*, id eſt ea parte retis, qua maxime caſſis in ſex ſinus eſt laqueatus. nam ad hoſtem vel feram referri non poteſt, quia iam *omnem* dixit, ſcilicet feras omnes, quae in rete intrarunt: niſi recepto *omni* ex Cod. Thuaneo legatur; *vt omni Concipiat tergo, ſinus eſt qua plurimus, hoſtem.* Et ita exempla a Barthio producta capienda. Vid. Seru. ad Virg. I. Georg. 187. Ouid. VIII. Met. 581.

Quantusque feror, cum plurimus, vmquam,
Tantus eram.

XI, 140.

— *Fonti qua plurimus exit.*

XIV, 53. Sol *medio cum plurimus orbe eſt*, et 361. *plurima qua ſilua eſt.* Ibid. 600.

Plurima qua flammas Sicanis Aetna vomit.

ſic et *multus*, de quo vid. ad Val. Fl. VI, 223. et Ouid. VIII. Met. 423. et inf. vſ. 493. et ad Nemeſ. Cyn. 247. Heinſius quoque volebat diſtingui cum Barthio.

Concipiat tergo, ſi quiſquam eſt, plurimus hoſtem.

Burm.

hoſtem] Feram. Cum qua bellum venatori. *Barth.*

31. *Praetendere*] Spatium *praetendere* ad bis vicenos paſſus, eſt tantum ſpatium includere. *Barth. Et bis viceno ſpatium praetendere paſſu*; Heinſius in ora Codicis, *praetendere retia* facile fero. Sed vtuntur eo verbo ſaepe Poëtae cum Datiuo. vide, quae diximus ad Val. Fl. V, 167. quare et hic poſſet legi, *ad bis vicenos ſpatio pr. p. Rete velim.* Vt *rete* ſit accuſatiui caſus, quod praetenditur ſpatio, ad bis vicenos paſſus. *Spatium* ſimpliciter dicitur longitudo. vid. inf. vſ. 227. *conſurgere* vero altitudinem notat. *Burm.*

32. *Plenis*] *Plenum* dicitur, in quo nihil deficit, nihil abundat. Virgilius VII. Aeneid. 53. *Plenis nubilis annis.* Claudian. Bell. Gild. 4. *Concordia fratrum Plena redit.* Barth.

Decem

Ingrati maiora ſinus impendia ſument.
Optima Cinyphiae, ne quid contere, paludes
Lina dabunt; bonus Aeoliae de valle Sibyllae
Foetus,

Decem nodis] vt puta, ſi bipalmares maculae eſſent, vt in communi reti apud Xenophontem, rete ad XX. palmos conſurgat. Quam menſuram bis excedit Xenophon, qui τριακονθάμματα δίκτυα facit. Niſi illum dicamus tranſuerſas maculas numerare, quarum binae plenam maculam vnam aequant. *Plenos* ideo *nodos* expreſſit noſter, ne obliquos intelligamus. Si ita plenas maculas apud Xenophontem ſupputemus, rete illud ad IX. palmos exſurget, quod altius eſſet, quam in vlla venatione opus fuerit, ne dicam ad leporis, in qua totus ille liber laborat. Sed praeſtat obliquas numerare, vt aequali proportione differat cum Gratio, et XXX. ἅμματα nodos plenos XV, et *decem pleni nodi* XX. ἅμματα complectantur. *Vlit.*

33. *Ingrati*] In quos plus impendendum ſit, quam fructus redhiberi poſſit. Elegantiſſime *ingrata* dicuntur, in quae ſumptus plus impenditur, quam vtilitatis recipitur. *Barth.*

impendia] Qua ad operam, qua ad ſumptum. *Lini* enim ad retia vſus veteribus non tam erat parabilis, quam noſtro aeuo nobis eſt. *Barth.* Inſ. vſ. 308.

34. *Optima Cyniphiae*] Cinips fluuius et regio inter vtramque Syrten eſt, quae propter vber agri optimum linum producebat. Cinips non adeo longe Carthagine abfuit, vt fortaſſe ideo omne id linum Καρχηδόνιον appellarunt Graeci, cuius tantum et Φασιανοῦ meminit Xenophon. *Vlit.* *Cyniphiae*, omnes Editiones; perperam, contra quantitatem. MS. Put. *Cinymphiae*, Mediolanenſis, *Sinymphae*. Vnde certiſſimus ſum ſcribendum, *Cinyphiae*. Idem *in Add.*

Cunctere] *Contere* Cod. Thu. et ita veteres ſcribebant; *contari* vero hic eſt dubitare, deliberare, et accuſatiuum eleganter habet. vid. Heinſ. ad Claud. II. de Laud. Stilic. 284. et ad Val. Fl. I, 156. *Burm.*

35. *Aeoliae*] Ita imprimi curaueram, quia nullam *Aeoliam vallem* lino celebrem, ſed Cumano potius palmam attribui inueniebam, vbi *Aeolica Sibylla* vaticinata eſt Aeneae: cum paucis poſt diebus ὁ πάνυ Salmaſius ita locum hunc in ſuis ad me litteris et citauit, et intelligendum eſſe docuit. Quo coniecturam meam non iuuari tantum, ſed tanquam oraculo

Foetus, et aprico Tuſcorum ſtupea campo
Meſſis, contiguum ſorbens, de flumine rorem,
Qua cultor Latii per opaca ſilentia Thybris
Labi-

oraculo affirmari exiſtimaui. *Vlit. Aeoliae* praeſerebat etiam Heinſius merito.

36. *Foetus*] Germen. Columella lib. IX. cap. 20. *Saltus eliguntur, qui et terrenis foetibus et arboreis abundant.* Barth.

ſtupea] Quod in lino cortici proximum eſt, *ſtupa* vocatur. *Barth.*

meſſis] Quilibet annuus proventus *meſſis* appellatione venit. *Barth.*

ſtupea meſſis] Quam hic *ſtupeam meſſem*, mox *Cannabias ſiluas* vocat. Hic potius *ſtupeam meſſem*, pro lino, ſed duriore, intelligere eſt. *ſtupa* non ſolum linum impolitum, ſed et quod in cannabo crudum maxime eſt. *Vlit.*

37. *Rorem*] *Ros* omnis humor Poëtis. *Barth.* Saepius a viris doctis notatum, *rorem*, et Graecis δρόσον, pro omni humore a Poëtis poni. vid. Potter. ad Lycophr. vſ. 322. et Rob. Keuchen. ad Seren. Samm. cap. 13. ſed ſaepius pro leui adſpergine, aliquando pro copioſa etiam aqua, vt notat Torr. ad Horat. III. Od. IV, 61. Sed *ros* de flumine, quem ſorbet meſſis, hic debet de parte ſumma aquae, qua adſpergitur et madefit, capi, quod τὸ ſorbere notat. vid. Paſſer. et Brouk. ad Propert. II. XX, 2. *Burm.*

38. *Cultor Latii*] Quippe vbertatem ei regioni largitur Tibris. *Barth.* Metuo, ne hoc vocabulum intruſum ſit ex vſ. 18. Quamuis Heinſius huc illuc migraſſe ſuſpicetur. *Coltor* erat in Cod. Thuan. Heinſ. olim coniecerat ad Ouid. XIV. Met. 122. *lotor*, vt fluuii *lavare* et lauere dicuntur regiones. Sed poſtea induxit. ſi *cultor* retinendum, explicarem cum Barthio, qui ipſi fecunditatem ſubminiſtrat, quaſi coleret eius terras; vt agricola: nam *cultor* eſt arator. vid. Heinſ. ad Ouid. III, 8. Amor. vſ. 41. et eo ſenſu Herculem *cultorem feri* orbis vocat vſ. 69. qui belluas, et feras perimendo, flumina et lacus coërcendo, habitabiles et fertiles reddidit agros. durius tamen dictum puto. an et hic, *Qua multus Latii per o. ſ. Thybris.* vt modo *qua plurimus.* ſed ἐπέχω. ſi vero ex MSS. auctoritate ſequens verſus eſſet eiiciendus, *Qua colitur, Latii per opaca ſilentia, Thybris. Opaca ſilentia* vocat, quia Thybris inumbratur arboribus; vnde Ouidio dicitur lib. XIV. Met. 447. *nubilus vmbra.* et hinc forte Nemeſianus Cyneg. 53. *flumi-*

Labitur, inque ſinus magno venit ore marinos.
At contra noſtris imbellia lina Faliſcis.
Hiſpanaeque alio ſpectantur Saetabis vſu.

Vix

flumineas vmbras dixit. Neſcio vero, an et hoc loco vti liceret ad firmandam quorumdam Codicum lectionem apud Virgil. VIII, 51.

Ipſe ego te ripis et tecto flumine ducam.

Ignoro etiam, vnde Titius in loco Virgil. II. Aeneid. 781. *opaca* petierit, cum in omnibus editis et ſcriptis ſit *opima.* Burm.

opaca ſilentia] Eleganter ſimul tranquillitatem fluuii et opacitatem complexus eſt. *Barth.*

40. *Noſtris*] Patriam hic ſuam indicat. quam quidem ſolum ex eius hiſtoria ſcimus; *Barth.*

imbellia] Bello ferino inepta, et retibus inutilia. *Iohnſ.* Vid. Broukh. ad Propert. IV. IV, 36. ſic Val. Fl. III, 118. *imbelle oſtrum* vocat, quod telis reſiſtere et ferre nequibat, vt clypeus; ſic nec hoc linum Faliſcum vim ferarum ferre poterat. *Burm.*

41. *Hiſpanique*] Saetabico idem primas aſſignauit, vt candidiſſimo, et Silius quoque lib. III, 373.

Saetabis et telas Arabum ſpreuiſſe ſuperba,
Et Peluſiaco linum componere lino.

Saetabico lino accenſet Aegyptium: ita et hic Gratius. *Vlit.* Vid. Iun. Animad. IV. cap. 28.

Hiſpanaeque] *Hiſpanaeque alio ſpectantur Saetabis vſu,* ſubaudi *lina.* Ita hunc locum optime conſtituit Voſſius ad Catullum Carm. XII. p. 56. dicit lina, quae proueniunt in Setabi Hiſpana, non eſſe apta retibus texendis, ideoque aliis vſibus deſtinanda. olim *Hiſpani Setabes.* Iohnſ. Gudius adſcripſerat Oppian. III. ἁλιευτ. vſ. 342. commendare ſpartum Iberum; ibique videndum Ritterſhuſium. *Spanique* Langerman. ex Cod. Putean. notauerat. recepi vero Voſſii lectionem. *Saetabin* enim maſculino genere dici poſſe, vix puto: et *altrix Saetabis* dicitur Silio, loco a Vlitio adducto. *Burm.*

ſpectantur] Aeſtimantur. *Spectari* Latinis eſt probari, vt *ſpectati* dicuntur honorati et probati experientia Viri. *Barth.*

Saetabis] Vrbi huic Hiſpaniae ſecundam lini palmam

 tribuunt.

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lina
Velatur ſonipes aeſtiui turba Canopi.

Ipſe

tribuunt. Plinius lib. XIX. cap. I. Gratius autem ſecernit ab inſtrumento venatoris, ob mollitiem, vtcunque alias vtile. *Barth.* Et hinc *ſudariua Setabum* Catullo Carm. XV.

42. *Vix*] De Peluſiaço lino verba facere ſuperſedendum putauit ob raritatem eius. Nam vix tantum eius prouenire ait, vt ſacerdotum veſtibus, quas ex alia materia fieri nefas erat, ſufficiat. *Barth.* Non induci etiamnum poſſum, vt Gratium ſcripſiſſe ita credam, linum Aegyptium vix ſuffeciſſe veſtiendis Sacerdotibus, cum toto orbe notum vulgatumque eius commercium fuerit, vt patet vel ex ſcriptura ſacra. Geneſ. cap. XLI. verſ. 42. Exod. IX, 31. XXVI, 1. XXVIII, 1. 6. 15. et multis aliis locis; vnde quanta eius abundantia fuerit, facile colligere eſt. Nullus itaque dubitem pro *Vix*, reponendum *Sic*, ſi Gratio fidem ſartam tectam volumus. *Vlit. in Add.* Ego illud *vix* coniungo etiam cum *velatur.* et explico de tanta tenuitate, vt vix corpus ita velet, vt non ſit per ipſam veſtem perſpicuum, vt de Cois etiam veſtibus, in quibus laſciuae puellae translucebant, paſſim tradunt: et vnde *Nebulam lineam* dixiſſe Petronium volunt. LV. vbi vide interpretes: haec nemo humanior ignorat. *Burm.*

ſacra ad Bubaſtin] Bubaſtis ἐν τῇ κορυφῇ τȣ̃ Δέλτα a Geographo ponitur, et *procul a Mari Mela authore:* longius a Canopo. An igitur *turba Canopi* a ſuo Nili oſtio Bubaſtim ſacrificatura tam longo itinere petiit? Nihil minus. *Canopici* hic ſunt Aegyptii, vt Silio *Peluſiaci. Bubaſtia ſacra* ſunt Dianea ſacra. Bubaſtis Aegyptiis Diana eſt. Hoc monebo, non Dianam ab vrbe illa, ſed potius a Diana nomen illum adeptum videri, cuius auſpiciis condita eſt. Nam haec communi Aegyptiorum lingua Bubaſtis, vt a Graecis Artemis vocabatur. *Vlit.*

43. *Velatur ſonipes*] Lineis enim veſtibus vtebantur Aegyptii Sacerdotes. eae veſtes adeo tenues erant, adeoque ſubtili filo contextae, vt illis induti viderentur ferme nudi; atque hoc eſt, quod hic dicitur, *vix velatur.* Titius.

ſonipes] *turba Sonipes*, de vniuerſo illo Iſiaco apparatu. In eo tranſmittebantur equi, quorum fortaſſe cauſſa hic *Sonipes turba* dicitur: *Titius.* Turba tripudians, Salmaſius ad Solinum p. 702. Sonipedes, qui pede ſcabillum ſonabant. *Iohnſ.*

aeſtiui

Ipſe in materia damnoſus candor inerti
Oſtendit longe fraudem, atque exterruit hoſtes.

At

aeſtiui turba Canopi] Salmaſius ad Hiſtor. Auguſtas et ibidem ad Solinum reſcribit, *feſtiui turba Canopi.* Quod non potui non probare. *Vlit.* Nihil mutandum nunc cenſeo, cum ita in omnibus libris ſit, et Claudianus ad Nilum ipſe natus lib. I. in Rufin. 185. *Aeſtiuum ſepteno gurgite Nilum* dixerit. Quem *tepidum* vocat eadem ratione Martialis lib. XI. Epiſt. 12. *Vlit. in Add.* Aeſtus ille in cauſa erat, cur turba ſonipes vix velari deberent ſuo lino, et quare tenuiſſimum et alerent, et veſtibus texendis eligerent. *Iohnſ. Laſciui Canopi* in margine Meurſius et Scaliger. Vt certe ita Stat. III. Silu. 2. 111. *laſciuiat ore Canopi*: ſed *aeſtiui* retinendum, quia per calores aeſtatis tenues illas e lino veſtes gerebat, quibus vix velabatur corpus, turba illa Aegyptia. eſt ergo Epitheton rei, quam in manibus habet Poëta, accommodatum, non perpetuum, quo mores Canopi vulgo notabantur. vt male etiam Heinſius ad Ouid. Amor. XIII, 7. *feſtiui* probauerit. ſic *aeſtiuos ignes* dixit inf. 389. vehementiſſimos, vt aeſtate eſſe ſolent: ita et Nemeſ. Ecl. IV, 42. *aeſtiuas cicadas* dixit, quia non niſi calore aeſtiuo prodeunt et cantant. Rutil. Itin. I, 281.

Inde Grauiſcarum faſtigia rara videmus,
Quas premit aeſtiuae ſaepe paludis odor.

Stat. IV. Silu. IV, 19. *Aeſtiuos quo decipis aëre ſoles*: Burm.

44. *Ipſe materia*] Non dubito Gratium reliquiſſe. *ipſe in m.* Nam littera *m.* maiuſcula facta illud *in* in ſe gerebat. *Barth.* Haec in omn. vett. libb. ſcriptura. Pythoeus τὸ *in* omiſit, niſi error typorum eſt. *Vlit.* Scaliger volebat, *ipſa in materia.*

ipſe in materia candor] Naſo appoſite de Remed. Amor. 516.

Quae, nimis apparent retia, vitat auis.

Vlit. *in Add.*

inerti] Candorem illius lini vituperat, qui longius iuſto lucens, prodat ſcilicet feris fraudem. *Iners* eſt inutilis. Auſonius Grypho.

Hic quoque ne ludus numero tranſcurrat inerti.

Barth.

45. *Exterruit*] Pro exterret. Praeteritum pro praeſenti tempore vſurpauit Virg. Aen. II, 12.

Quantum animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

Propter

At pauper rigui cuſtos Alabandicus horti
Canna-

Propter metrum praeteritum pro praeſenti interpretatur Seruius. *Barth.* Pro exterret, vt mox: *Nam fuit et laqueis vſus*, pro eſt. Si tamen autoritate melioris codicis τὸ *exterruit* nobis dedit Pithoeus. Nam omnes ante illum editiones habuerunt, *exterritur*: fortean ἀρχαϊκῶς· vt *lauitur*, *feruitur* apud Nonium cap. 10. Turnebus coniecit *exterritat*, quod propius antiquam lectionem eſt, quam *exterruit*. Vlit. Verum eſt, quod Barthius de variatione duplici temporum in vna periodo obſeruat. et ita Val. Flac. VI, 645.

Rumpit iniqua colos, victorque aduenit Iaſon.

et plura congerit Gronou. ad Liu. XXIX, 27. et ad Senec. Hippol. 510. vid. inf. vſ. 386. et Calp. III. Ecl. 69. et alibi. variationem aliam vid. infra 397. inclinat tamen animus in *exterritat*. Niſi legamus etiam *oſtendit* in praeterito, et hoc modo, *ſaepe in materia d. c. i. oſtendit l. f. atque exterruit h.* Burm.

46. *Cuſtos Alabandicus*] Alabandam Cariae ciuitatem auctor Stephanus. Gratius Alabandicos paupereis indicat, cum luxum iis exprobet Iuvenalis Sat. III. Niſi ſi ignobilitatem potius inibi notari credas; quod ſane magis eſt. *Barth.* Verum eſt Alabandae incolas luxuriae notari proverbiis etiam: et a Strabone lib. XIV. p. 661. ſed inter luxurioſos et diuites etiam pauperes viuunt, vt olitores et hortorum cuſtodes, quos ſolos hic pauperes vocat, non omnes vrbis Alabandae incolas. non enim diuites et luxurioſi hortorum cuſtodes erant, ſed pauperes. Sic inter Tyrios, diuites, potentes et luxurioſos, erat pauper Abdalonimus, qui operam oblocare ad puteos exhauriendos et hortos irrigandos ſolitus, miſere vitam exhibebat. Iuſtin. XI, 10. in cod. Thuan. erat *Adlabandus.* et *ad paper* pro *at pauper.* an *Alanbandius*, vt ſaepe talia gentilia flectuntur. *Burm.*

rigui horti] Horat. II. Sat. IV, 10.

— *Irriguo nihil eſt elutius horto.*

Barth. Vid. ad Ouid. V. Met. 535. Heinſii notas: et ad Calpur. II, 35 et 49.

cuſtos] Ab adſiduitate cultus, quod quaſi cuſtos perpetuus ſuo horto adfixus ſit. Sic Ennius:

— *o Romule, Romule, dic o*
Qualem te Patriae cuſtodem
Dii genuerunt.

Hora-

Cannabias nutrit ſiluas, quam commoda noſtro

Arma-

Horatius de Ioue lib. I. Carm. 12.

Gentis humanae pater atque cuſtos.

Manilius III, 47.

— *Et rerum cuſtos Natura latentum.*

Barth. Nimis magnifice olitores, et cuſtodes horti, Diis cuſtodibus comparat Barthius: rectius ex Draconibus, quos fabuloſa antiquitas cuſtodes Heſperidum hortorum aut Theſaurorum cuſtodes finxit, illuſtraſſet. ſed *cuſtodes* inferioris ordinis miniſtri, quibus cura rei vel loci committitur, paſſim dicuntur. Ita *cuſtodes* gregis ſunt paſtores, vt ipſe docuit ad Stat. II. Theb. 675. ſic *cuſtos alienus* Virg. Ecl. III. pro mercenario paſtoris miniſtro. *cuſtodes fundorum* leg. 72. de Legat. 3. et quae paſſim obuia. *Burm.*

47. *Nutrit ſyluas*] Maxima enim proceritate alicubi excreſcit Cannabis, velut in Roſea agri Sabini, auctor Plinius. *Titius.* Omnia cenſentur *ſiluarum* nominibus, quae vbertim proueniunt. Vide Seruium ad Aeneiden primam, eiusdemque exſcriptorem perpetuum Iſidorum Originum lib. III. cap. 3. *Barth.* Denſam Cannabis ſegetem vocat *ſylvas Cannabias.* Iohnſ. Seruius ad I. Georg. 157. *Siluam* enim de herbis dici notat, nec in Iſidoro quidquam inuenio, quod huc faciat, aut exſcripſiſſe Seruium ibi probet. certe negligentior Barthius fuit in his notis conſarcinandis. Sed ſiluas dixere Poëtae omnes non modo arbores, ſed arbuta, frutices, et herbas, ſi modo denſitate ſiluae nomen mereri poterant. ſic Ouid. IV. Met. 339. *fruticum recondita ſilua.* VII, 242. *verbenis ſiluaque incinxit agreſti.* ita *myrtea ſilua* Rutil. I, 3. et ita denſa caeſaries, tela, multa ſimul in corpore ſtantia, *ſilvae* dicuntur ab Poëtis, de quibus hic agere non vacat. *Burm.*

quam commoda] Miſeret me pueri, et eius paedagogi, qui hic ſe criticos iactantes, *qua* legunt, pro ex qua regione, (quae tamen non praecedit) et inſultant editoribus prioribus. an neſciebant, *quam* millies adiectiuis adiici, et idem eſſe, quod *valde*, *perquam*? vel poni pro *commodiſſimis.* remittendi ad ferulas hi lepores, aut ſi altius velint ſapere, adeant Lexica, et omnes, qui de particulis L. L. ſcripſerunt, iiſque addant Cl. Graevii notas ad Cicer. VII. ad Att. 15. et Barth. XXXIII.

Ad. 12.

Armamenta operi: grauis eſt tutela ſed illis,
Tu licet Haemonios includas ſentibus vrſos.

Tan-

Ad. 12. vbi et poſitiui gradus nominibus adiungi diſcent. *quam* et *qua* vſ. 81. confunduntur etiam. *Burm.*

48. *Armamenta*] Quae toties *arma* dixit. Inſtrumenta. ὅπλα vocat Oppianus Cyneg. I, 148.

— — θήρης ἐρικύδεος ὅπλα.

grauis eſt tutela ſed illis] Difficilis, dura. non facile ait ea a vitiis, quorum capacia ſunt, cuſtodiri poſſe. *Barth.* Id eſt, valide ſuam ſtationem tuebuntur, ne qua fera perrumpat, ne Aemonii quidem vrſi. Grammaticum hic, et aliquoties ago, quia miſer Interpres etiam hanc ſuam artem non ſatis calluit, quem hic τὸ *ſed* non disiunctiuum, ſed copulatiue poſitum fugit. *Vlit.* Barthius videtur accepiſſe tutelam, pro conſeruatione retium, ne corrumpantur: ſed *tutela* hic eſt, quo poſſit venator ſe tueri contra incurſum ferarum; locutione deſumpta a graui armatura in bello, vt ita linea retia, contra lepores et ſimilia animalia ſufficiant, et leuis armaturae ſpeciem referant. aliter non conſtaret ſenſus, et retia ante laudata nunc culparet. quare puto, verum eſſe, quod Vlitius notat, *ſed* hic non eſſe aduerſatiuam particulam, ſed poni pro *ſed etiam.* Vid. Manut. ad Cicer. I. ad Famil. et Victor. ad III. ad Att. 15. quorum auctoritate vindicauimus locum Quinctil. VIII. de Inſtit. Orat. 3. *Decentior equus, cuius adſtricta ſunt ilia, ſed idem velocior.* plura de diuerſo vſu huius particulae *ſed*, pro *ſed etiam*, ad Phaedr. lib. I. fab. 1. congeſſimus. *Burm.*

Includas] Certa enim ſpatia, intra quae fera latere putatur, retibus ambiuntur. Vnde *claudendi* verbo ad hanc rem ſaepe vſi ſcriptores. Fluuio a tergo claudebantur, a fronte retibus, ferae. Virgil. lib. XII, 749.

Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
Ceruum, aut caeruleae ſeptum formidine pinnae
Venator etc.

Barth. Non ſuccenſeam magno Pithoeo, ſi ex Cod. ſuo hic *retibus* pro *ſentibus* ſuppoſuit. ſed videtur Turnebum ſecutus, qui *caſſibus* legendum mandauit. Hoc ſcio, ex coniectura non debuiſſe mutari vocem, quae in omnibus editis erat. Sed alia etiam ratio ſubeſt, cur potiſſimum *vrſos includere ſentibus* dixerit Gratius. In maiorum ferarum, aprorum maxime, venatione,

vbi

Tantum ne ſubeat vitiorum peſſimus humor,
Ante caue: non eſt humentibus vſus in armis;
Nulla fides. Ergo, ſeu preſſa flumina valle
Inter

vbi cubile iam indagatum eſt, quod illi plerumque in denſiſſimis ſiluis habent, ſolos aditus ferae expanſis caſſibus obſtruere, moris eſt. caetera vt natura ſunt, imperuia relinquunt, aut ſicubi interuallum, aut periculum eſt, ne exitum ſibi faciat, caeſis ad id arborum ramis, et ſentibus circumſepiunt, et claudunt. *Vlit.* Venatoria prorſus locutio. Sic, *claudas recte leaenas* Ouidio V. Faſt. 371. Lucanus lib. VI. vſ. 42.

Et ſiluas vaſtaque feras indagine claudit.

Vlit. in *Add.* *Sentibus* poſſet defendi ex illis, quae infr. 241. vbi in *aſpretis* etiam latens fera clauditur, dicuntur; et ex loco Virgilii a Barthio adducto, vbi *incluſus flumine ceruus* dicitur, vt hic *ſentibus vrſi.* quare probamus Vlitii notam doctiſſimam: nam temere Iohnſon reiicit, quia iam de retibus agitur. quis hoc neget? ſed agitur de retium bonitate, quae tanta eſt, vt etiam vrſos includere poſſit ſentibus et ramis arborum, nec perrumpere retia valeant, ſi modo ante caueas, ne humor ſubeat. *Burm.*

retibus] Logi Edit. *ſentibus.* quam lectionem tuetur Vlitius. fruſtra. iam enim de retibus agitur. *Iohnſ.*

51. *Humentibus vſus in armis*] Recte *arma* appellauit, hoc eſt inſtrumenta: ſic Martialis de Parazonio XIV, 32.

Arma tribunitium cingere digna latus.

Titius.

vſus] Vtilitas. *Barth.*

52. *Fides*] Ad res inanimas ab hominibus defertur *fides.* Ita *fidus enſis* apud Virg. lib. VI. *Perfidus enſis*, qui in media pugna frangitur lib. XII. *Barth.* Diſtingue: *non eſt humentibus vſus in armis*, *Nulla fides. Ergo, ſeu preſſa* etc. *Vlit.* Ita et diſtinguit Heinſius; ſic dicitur Aetna *fidem ſeruare niuibus*, quae non liquefiunt, Claud. I. de Rapt. 166. vbi vid. Barth. et *lorica fidelis duplici ſquama*, quae reſiſtit ictibus, Virg. IX. Aen. 707. quod in opere non finditur, vel diu durat, lignum, *materia fidelis* Plinio dicitur lib. XIII, 6. et XVI, 40. *Arundo rimis explendis fidelior pice* XVI. cap. 26. Plura paſſim obuia: et noſtrates ita vulgo loqui ſolent. vid. ad Nemeſ. Cyneg. 61. *perfidum flumen* dixit Florus lib. III, 4. vbi vid. Freinsh. *Burm.*

Inter opus, craſſaeque malum fecere paludes;
Siue

53. *Inter opus*] Sic Ouidius VII. Met. *Inter opus tauros concidere.* et VIII. *inter opus moribuſque genae maduere.* Vlit. *in Add.* *Inter opus* hic exponunt quidam, dum adhuc cannabin euellunt, et praeparant, vt inde ſtupa fieri poſſit. Alii, dum iam retia expanſa, vel tenſa ſunt. Sine dubio agit de materia, vnde retia facienda, ſed ſimul docet, humorem ſemper nocere retibus ex cannabi factis, et ita ſi inter opus, id eſt dum vtaris retibus cannabeis, ſubito ſuperuenerit imber, vel ex paludibus ſurgens vapor illa madefecerit, rationem ſiccandi ſimul adiicit. et ita obuiam it difficultati, quam quis mouere ipſi poſſit contra cannabis vſum, quia retia ex ea facile humeſcunt, et tunc inutilia ſunt. et poſtea addit *idcirco* etc. id eſt ob eamdem cauſſam, quia humida retia ſunt inutilia, etiam in ipſa meſſe obſeruandum tempus ſiccum et ſerenum. *Opus* centies venatum ipſum vocare noſtrum putidum eſſet probare: et ideo hic *inter opus* explico, dum in venatu vtaris his retibus, et illa opponis feris. et ita in alia re hac phraſi vti multos de negotio, quod eſt ſub manibus, docent exempla a Vlitio ex Ouidio adducta: quibus adde II. Amor. X, 26. *Medium ſoluar et inter opus.* agi vero non de meſſe cannabea, ſed de vſu retium iam factorum, docet mentio preſſae *vallis* et *paludum*, ad quae loca ſtultus foret, ſi exponeret euulſas cannabes macerandas, cum apricus maxime eligi debeat locus, vt eo transferantur euulſae. Sed in venatu non eſt in manu venatoris loca non damnoſa retibus eligere, ſed inueſtigat ille feram, etiam in vallibus preſſis et ad paludoſa loca cubilia habentem, quem locum ſi nactus fuerit, et inde humor ſubierit retia, docet rationem exſiccandi. In vallibus vero aeque ac montibus latere feras, vix probari neceſſe, et ibi ſaepius cubilia ponere eas docet Ouid. I. Art. Am. 4.

Scit bene, qua frendens valle moretur aper.

et apud eumdem IV. Faſt. 103. vulpes capta legitur *ſub valle ſalicti.* et huic loco accommodatiſſime inf. vſ. 102. Dercylon nobis exhibet.

Per non aſſuetas metantem retia valles.

Virgil. IV. Aeneid. 150. Aeneam cum Didone venantes *mediis in vallibus* inducit. *Preſſa* vero vallis eſt vel humilis, vel qualem *decurſus aquarum fecit*, vt ait Ouid. XV. Met. 266. et ita

Siue improuiſus coelo perfuderit imber:

Illa

ita *preſſum*, pro aquis inundantibus merſo loco dici, oſtendit Paſſerat. ad Propert. III, 17. pag. 516. et pro oppreſſo idem pag. 454. et alibi. Accidere vero hoc inter opus oſtendit venatus Aeneae et Didonis, qui pluuia et procella ſubita oppreſſi fuere, vnde tunc retia madefacta fuiſſe patet. Deinde de venatu agi docet verbum *ſubeat*, quod non ad meſſem cannabeam referri poteſt, ſed ad vſum omnem retium in tempus ſequens: ſemper enim cauendum, ne humor ſubeat retia; et hoc praeceptum ſe extendit ad totum opus, et ideo meſſes non tantum ſicca tempeſtate faciendas eſſe mox vſ. 57. monet, ſed et ſeruanda retia ſemper ſicca, quae ſi ex cannabi in ipſa meſſe humida fierent, numquam valerent: immo etiam ſicco tempore cannabi euulſa et parata ad linum, poſtea retia inde facta, inter opus eſſe ſemper ab humore cuſtodienda. Scaligerum legiſſe *intrat opus*, *craſſaeque m. f. p.* notant excerpta. quae non capio. licet conſtruas, *ſeu preſſa valle opus intrat flumina*. Burm.

craſſaeque modum fecere paludes] Aquam turbidam atque ideo craſſam ob coenum commixtum continentes Virgilius II. Georg. 110.

Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni.

Nemeſianus ad finem poëmatii de Venatione, *craſſiſque paludibus errant*. Ouid. Amor. III. VI, 8.

Et turpi craſſas gurgite voluis aquas.

Titius. i. e. retibus clauſae. Ita (*clauſae*) lego, Barthium et Gronouium ſecutus. Turnebus coniecit *craſſaeque madefe.* Pithoeus *craſſaeque vdum.* Vlitius *cauſaeque malum* defendit; et cauſam pro morbo inueniri apud medicos probare conatur. at mihi non probat. *Iohnſ.* Ego cum Heinſio in Epiſt. ad Graeu. tom. IV. Syllog. 287. legerem, *craſſaeque malum fecere paludes*, id eſt, exhalationes illae ex paludibus limoſis ortae coruperunt humore retia: nam et *flumina* et *craſſas paludes* iungit Nemeſ. Cyneg. 38. Martial. XI. Epig. 22.

Quam vetus a craſſa calceus vdus aqua.

Vide alia a Titio adducta loca. Lagus legebat,

Cauſſamque mali fecere paludes.

Quod firmare quis poſſet ex Nemeſ. Cyneg. 210.

Exhalat ſeu terra ſinus, ſeu noxius aër
Cauſſa mali.

Burm.

54. *Perfuderit*] Non puto ſemper ad illud recurrendum,

 quod

Illa vel ad flatus Helices oppande ſerenae,

Vel

quod operoſe Barthius fere vbique conatur probare, actiua poni paſſiua ſignificatione; cum *armamenta* a ſuperioribus poſſint repeti, quae perfudit imber: nam, ſi hoc verum eſſet, poſſet etiam dici, *imber perfunditur*, ſed tum rectius *profunditur* legeretur. *Burm.*

55. *Ad fluctus*] Correctio Turnebi eſt. Cum alioqui legeretur, *fluctus.* optima emendatio ſummi Critici. *Flatus Helices ſerenae* ſunt *lenes aurae*, quae per ſerenam noctem ſpirant. *Barth.* Optimam hanc lectionem a Turnebo Pithoeus primus dedit, ante quam in editis fuit, *ad fluctus.* Vlit. *Fluctus* in MSS. et editis eſſe notant. quae variatio forte ab illis orta, qui ventos nihil aliud eſſe, niſi *fluxus* vel *fluctus* aëris eſſe docent. ita Plinius II, 43. *Ventus non aliter intelligitur, quam fluxus aëris.* vbi in codice Bibliothecae noſtrae Academicae reperi *fluctus.* vide Harduini emendationes. idem Plinius docet, *flatus* differre a ventis, quod illi ſint ſtati et perſpirantes. nullos vero magis ſtatos eſſe Aquilonibus conſtat: quales hic ex Helice orti intelligendi ſunt. Sed Poëtas Philoſophis ſubtilia ſua relinquere ſcimus, qui vocabulis ſimilibus paſſim et promiſcue vti ſolent. Harduinus ad Plin. XIX, 9. hunc locum laudans etiam *appande* dedit, an ipſe properans, an operae errantes, neſcio. *Burm.*

illa vel ad flatus Helices oppande ſerenae, Vel caligineo laxanda reponito fumo] Primum verſum expoſuerat Celeberrimus Gronouius lib. II. Obſ. cap. 13. de Borea vel Aquilone, qui ſiccior reliquis ventis, ab Arcto ſiue Septemtrione oritur, et nubes fugat, et nimbos: *Helice* enim eſt regio, vnde maxime aridus ventus ſpirat. Cui interpretationi adquieuerunt docti: quamquam forte quis mallet non ipſam *Helicem ſerenam*, Boream ſerenum, vocare, ſed *flatus Helices* exponere, Aquilonem vel Boream, ex Arcto, vbi eſt Helice, ſpirantem. Noſtrum vero nobile par nugis, mirabile hic ſpecimen eruditionis exhibet, quo vel mille Gorallis palmam in emendandis Poëtis praeripiet. Quia enim *Helice nunquam inter Latinos deſignauit ventum, ſed nomen erat poëticum ſideris*, idem haec vox (etiam Poëtico ipſorum iudicio) loco cedere debet nomini, a nullo vmquam Poëta vſurpato, quo ventus aliquis a Plinio et Agathemere (cuius Harduinus iam locum deſignauit) *Phoenix* vocatus no-

bis

Vel caligineo laxanda reponito fumo.

Idcirco

bis innotuit. In quo εὑρήκατι, docto Iupiter et laborioſo! primo mirari ſubiit miram illam ſagacitatem, qua in cubilia huius vitii, quod tot ſecula inſedit Gratio, peruenerunt Palaemon ille cum Tyrone ſuo. Sed an non ſtatim occurrere debuiſſet viris (vel pueris) ad miraculum ſubtilibus, dum eſcam in ſtercore ſcrutantur, Plinianum hunc ventum *Phoenicem* eſſe inter ortum brumalem et meridiem, et ita parum ab Auſtro diſtare, qui *humidus* et *tepidus* fere a Poëtis vocari ſolet, et *imbricus* a Plauto Merc. V. II, 35. Iam vero ad ſiccanda retia, aqua fluminum vel pluuia vitiata, quis, niſi mente captus, humido et tepido vento oppandet ea venator? Si porro Plinii ventos lib. II. cap. 47. indagare feſtinantibus his canibus vacaſſet, legere potuiſſent, eum docere, *ventos a Septemtrione et occidente eſſe ſicciores, quam a meridie et oriente.* Certe, ſi quis hodie piſcatoribus et venatoribus vellet perſuadere, retia eſſe ſiccanda vento Auſtrino aut Phoenice, quibus pluuium et tepidum eſſe coelum ſolet, nae ille inſignis dementiae ab illis increparetur. Sed Gratio ſtultitiam inſignem adfingere, et vim naturae facere, et ſenſum communem eiurare non contenti hi Σοφοὶ, immenſum praeterea vulnus infligere Poëtae, qui metri et modorum fuit ſeruantiſſimus, memorabili illa ad omnem poſteritatem verſus corruptione, non verentur: legunt enim,

Illa vel ad flatus PHOENICES *oppande ſerenae.*

Hic horribile arcanum diſcimus, quod adhuc latuit omnibus Latinis vatibus; diphthongos ſcilicet poſſe pro lubitu corripi, et ita *oe* in hac voce breuem eſſe. Forte ex poſterioris aeui poëtis, Auſonio, Prudentio, et ſimilibus, qui omnes leges metricas temerarunt, ſimilia produci peccata poſſent, quorum auctoritate miror non vſos interpretes, qui ex Ouidio et Virgilio, ab hac labe immunibus, vulgata loca, ſed de quibus nondum idem ſentiunt viri docti, et in quibus alia eſt ratio, nobis oſtendunt. Vt vero videas, Lector, quomodo inter ſe ratiocinati fuerint puer et magiſter, adiiciunt rationem huius paradoxi: ſi enim, aiunt, poëtae dixerunt *Cyclopeia ſacra*, et *Moeotis hyems*, ergo etiam licet dicere *Phoenix*, prima breui: veroſimile enim eſſe, communem eſſe in propriis nominibus habitam diphthongum. Egregium ſane ar-

 gumen-

Idcirco et primas linorum tangere meſſes
Ante

gumentum; cum alii viri docti hanc licentiam Poëtarum adſtrinxerint vocibus, in quibus diphthongus vocalem excipit. Sed produxiſſent hi librorum et omnis ſcientiae helluones, vel vnum exemplum vocis, in qua ſequente conſona diphthongus corripitur: quae ſi hic aut alibi lateant vocabula, erunt Graeca origine, ſed Latina forma, ſine diphthongo ſcripta, ita vt hic non *Phoenix*, ſed *Phenix* fuiſſet ſcribendum, ſi vlla ratio legis Pediae haberetur. Sed age, corripiatur *oe* auctoritate tam graui, et brevis fiat prima in *Phoenix*, augeaturque nouo hoc miraculo Proſodia Smetii: at quid fiat ſecundae Syllabae, quam huc vſque omnes veteres produxiſſe ſunt crediti: certe Ouid. XV. Met. 393.

Aſſyrii Phoenica vocant.

Virg. I. Aeneid. 343.

— — — *ditiſſimus agri Phoenicum.*

Lucan. III, 220.

Phoenices primi, famae ſi creditur, auſi.

et quae paſſim obuia. Sed novitii Poëtarum venaticorum interpretes corripi poſſe forte crediderunt (nam de modo huius Syllabae non ſolliciti eius tutelam abiecerunt, in ſolam diphthongum *oe* intenti) quia in *Phoeniceus* ſecundam poſſe corripi magiſtelli quidam ex corruptis editionibus Poëtarum prodiderunt. Sed Tu, o Phoenix interpretum Poëticorum, et nouelle ſeculo hoc tuo Britannis future Phoenicule, videte, quid doceat felicior et doctior Poëtarum enarrator N. Heinſius ad Ouid. XII. Met. 104. et ad III. Amor. VII, 29. et aliis ſaepe locis, vbi doceri poteritis *Poeniceus* vel *Puniceus* ſcribendum, ſi legi Pediae ſatisfacere eſt animus. Videtis, Belga et Britanne Phoenix, quam ſine vllo ſcrupulo et dubitatione, quaſi emortui eſſent in Belgio omnes Poëtae et Poëtarum arbitri, in vna voce duplex Poëtae vulnus infligatis, et ita palmam dubiam faciatis viro clariſſimo, qui nuper in Rutilio pro

Factus et Alcides nobilitate Deus,

reſcribi iubebat,

Factus et Alcides ferocitate Deus.

Sed, o bone editionis nouae auſpex et moderator, qui ſi ipſe hoc facinus non admiſiſti, certe recenſuiſti diſcipuli tui notas, immo ſpecimina typographica ad aedes tuas delata correxiſſe iam fateris, ipſumque exemplar editioni, fatente typographo tuo, concinnaſti, et perdita etiam culpa
pueri

Ante vetant, quam maturis adcenderit annum
Igni-

pueri folia quaedam renovaſti, quo abiere, cum haec ſcriberes vel legeres, copiae doctrinae et ingenui tui? quae offuſa fuit oculis tuis caligo, vt in vno verbo duo enormia peccata te non aduerterent? ſed tu auctoritati tuae, quam in republica literaria iam peperiſti, et indulgentiae, qua veniam ſimilium errorum tibi ſaepe videbas datam, ſeculi noſtri confidens, laudem ex hoc illuſtri artis criticae ſpecimine captabas. Non enim hoc primum a te facinus commiſſum ſcio, etſi numquam tam craſſe impegeris: inſignia enim peritiae metricae ſpecimina in Lucretio nuper ſunt edita: quae orbi literato quondam non inuidebuntur. Nunc ad Gratium redeamus: in quo *flatus Helices ſerenae* ſine vllo dubio recte ab interpretibus ſunt expoſiti, ab Arcto ſiue ſeptemtrione venientes, eodem modo, vt Boreas *bacchari* dicitur a *Scythica Arcto* Ouid. I. Triſt. 2. *Serena* vero *Helice*, quae hic pro Arcto ponitur, dicitur, quia, vt vel pueri norunt, venti ex ſeptemtrione flantes ſerenas tempeſtates inducere ſolent, vt probant loca a Gronouio adducta, et hinc *clarum Aquilonem* dicit Virg. I. Georg. 460. et ita *ſerenum flatum* dixit Apulei. lib. XV. Metam. *Helicen* vero pro Arcto poni poſſe, nemo, credo, negabit, cum eius ventus proprius quaſi et peculiaris ſit Boreas ſiue Aquilo, qui *habitare ſub Arcto* eleganter dicitur Ouid. III. Triſt. X, 11. vt ibi viri docti oſtenderunt: et ideo, quia ſerena eſt Helice, *ſiccos Aquilones* dicit eadem elegia vſ. 53. vt et Lucan. IV, 50.

Aegro bruma gelu, ſiccisque aquilonibus horrens.

in quo loco, vt in tranſitu dicam, in Cod. Thuan. legitur *ſociiſque aquilonibus*, quae lectio illuſtrari poſſet illis, quae Cl. Bentleius ad Horat. I. Od. 25. adducit: vt oſtendat *Eurum Hiemis ſodalem* dici. Iam ſi Gratius *Phoenicem* voluiſſet (ventum ſolis forte nautis et rerum coeleſtium ſtudioſis Romae) indicare, *tepidi*, *humidi*, vel ſimili epitheto debuiſſet ornare. deinde idem Ouidius inſigni loco Borean deſcribit lib. IV. Ex Pont. X, 39.

Proxima ſunt nobis plauſtri ducentia formam,
Et quae praecipuum ſidera frigus habent:
Hinc oritur Boreas, oraeque domeſticus hic eſt,
Et ſumit vires a propiore loco.

 At

Ignibus, et claro Pleias ſe promſerit ortu.

60 Im-

At Notus, aduerſo tepidum qui ſpirat ab axe,
Eſt procul, et rarus languidiorque venit.

Quid videtur? an ventus domeſticus ſeptemtrioni et plauſtro, ſiue Arcto, non poteſt iure dici *Helices flatus?* eòdem iure, quo Seneca Herc. Oet. 1539. *terras Helices,* et accommodate huic loco Auienus Deſc. orb. 639. *flatus vrſae ſereniferae*, qui iidem ſunt flatus, qui *Helices ſerenae.* illuſtrare haec praeterea poſſemus infinitis locis, vbi Boreas dicitur in Arcto, ſiue *axe ſuo*, et ſeptemtrione cogere nubes et in Africam agere, vbi effunduntur, dum ſerena Europae facit. Lucan. IV, 61. de Borea.

Ille ſuo nubes quaſcumque inuenit in axe,
Torſit in occiduum Nabathaeis flatibus orbem.

ſi Arctos, vbi eſt Helice, eſt Boreae axis, an ille non *Helices ventus* dici poteſt? quid quod idem Poëta lib. IX. vſ. 422.

Arctoos raris Aquilonibus imbres.

Vbi in Codice Hamb. inueni, *Arctois raros Aquilonibus*, vt Aquilones Arctoi ſint ab Helice flantes; et ita contra Borean ponit pro plaga coeli ſeptemtrionali lib. VIII, vſ. 12. *Quidquid in Euro Regnorum Boreaque iacet*, id eſt ſub Helice vel Arcto. Iam vero quis adeo hoſpes in Poëtarum lectione, qui neſciat, epitheta adiungi rebus, ex locis, vbi ſemper et plerumque eſſe, oriri, et dominari credantur. Sic *animae Thraciae* Horat. IV. Od. 12. quia Thracia etiam quaſi ventorum omnium patria cenſebatur. vid. Caſaub. ad Strabon. lib. I. pag. 28. et hinc *Thracium ventum* idem dicit I. Od. 25. et *Threicium Borean* Ouid. II. Art. Amand. 431. et Lucan. I, 389. vbi Schol. *quia ibi eſt violentiſſimus. Dalmaticus Boreas* Lucan. V, 378. dicitur eadem ratione, quia inde ſpirat: et Ouidius iterum vocat *Sidonium Aquilonem* Epiſt. XV, 13. *Edonos ventos* Valer. Flac. VI, 34. et quae id genus infinita ſunt apud Poëtas. Sic ergo Helice eſt domus et patria quaſi Boreae vel Aquilonis, qui ventus, cum ſit ſiccus, ſerenitatem inducit. Vnum addere adhuc libet, Barthium quidem *Helicen ſerenam* dici eodem modo putare, ac *noctes ſerenae* apud Lucretium I, 346. in quo loco vellem probari, *noctes vigilare ſerenas*, poſſe vllo modo ſignificare, *ſtudendo protrahere in lucem vſque et ſerenum tempus.* An lux ergo, etiam non ſereno tempore, mane non apparet? et ita

ſtudendo

Imbiberit, tanto deſpondet longius vſu,

Magnum

ſtudendo qui noctem extrahit, etiam non ad lucem non ſerenam poſſet vigilare? ego vero apud Lucretium vel proprie ſumo, noctes ſine nube, quibus poterat coelum et aſtra ſpectare: vel figura vſitata Poëtis, *ſerenas noctes* caperem, pro quibus animus Lucretii ſerenus, tranquillus et alacrior ad carmina pangenda eſſet, quia ſilentia noctis ſerenae, ſine ventis et procellis, aptiora ſunt ad meditanda naturae opera et carmina. Ita fere Ouid. I. Triſt. 1. *carmina ſereno animo deducta provenire* ait, non *temporibus nubilis*, metaphora peruulgata. Hactenus admiſſa in ſenſum communem, et in leges metricas vidimus: light ſupereſt, vt Grammatices leges duplici facinore etiam temeraſſe in eadem vocabulo hos operis vnius conſortes oſtendamus; quo certe commento Gratium non modo ex Poëtarum ordine detruſerunt, ſed in plebem et rude vulgus, doctiſſimum vatem tranſcripſerunt. Si enim ventus hic *Phoenix*, vt ex Plinio et Agathemere conſtat, dicendus ſit, ſine dubio ita dictus eſt, vt, *Iapyx* et alii venti, a regionibus nomen ſortiti, vnde ergo genitiuus ille *Phoenices?* exemplum proferant Ariſtarchi noſtri, vbi nominis adiectiui in *ix* exeuntis caſus gignendi exeat in *ces*. Sed ſecuri iam duorum priorum ſyllabarum metuere incipiebant tertiae, ſi produceretur *cis*, ſequente vocali in verbo, *oppande*; atqui caeſurae beneficio hoc defendere licebat. Sed forte nominatiuum ſibi finxerunt *Phoenice*: ſed hoc nomine venit ipſa regio, quae et *Phoenicia*, non ventus, vt ex Plinio et Agathemere conſtat. Vt vero, qui ſemel aberrarunt, longius longiuſque ſe impedire erroribus ſolent, ipſi prius plurali numero videntur cepiſſe *Phoenices ventos, illos placidos et leniter ſpirantes*. Si vero de Regione intellexiſſent, non damnare potuiſſent *flatus Helices*, pro ex Helice, vel regione coeli, vbi Helice locatur, venientes. Praeterea debuiſſent probare, illam regionem fuiſſe ſereniorem reliquis, vt hoc ſibi proprio epitheto poſſet a Poëtis deſignari, vt Rhodus et aliae fuerunt. ſed *Phoenix* ſimpliciter fuit ventus dictus, vt ex Plinio apparet, qui eum *Phoenicem* vocat a nominatiuo *Phoenix*, vnde et in codice Bibliothecae Leidenſis pro *Phoenicem*, *Phoenica*, vt apud Agathem. φοίνικα, legitur. Quod ſi ipſi confiteri cogantur, iam turpius alterum peccatum ap-

 paret,

Magnum opus, et tangi, niſi cura vincitur, impar.

Nonne

paret, appoſito foeminini generis epitheto *ſerenae*, cum conſtans ſit Grammaticorum canon, ventorum nomina eſſe virilis generis. Vid. Voſſ. de Analog. I. cap. 10. neque de hoc quiſquam adhuc dubitavit, et ita Agathem. φοίνικα τὸν καὶ Εὐρόνοτον dixit. Plinii vero locum citantes, quem forte aliunde exſcripſerunt, inſigni negligentia, *Phoenicem media regione inter brumalem et meridiem*, exhibent. Quid vero eſt *brumalis?* debuiſſent certe addere, *inter ortum brumalem.* Sed haec ſufficiant, vt lector videat quinque in vno vocabulo peccata; primum ſenſui communi et vſui venatorum contrarium, duo in leges carminis et metri incurrentia, reliqua vero Grammaticae canonas temerantia: quae omnia, perperam tentata, potuiſſent effugere, legendo

Illa vel ad flatus Phoenicis pande ſereni.

licet vel ſic indignus eſſet Gratio verſus. *Burm.*

56. *Laxanda reponito fumo*] Gronouius *ſiccanda.* at nihil muto. retia enim eo laxiora, quo ſicciora. *Iohnſ.* Vt ſolebant etiam omnia inſtrumenta, quae debebant ſeruari a vitio. Virg. I. Georg. 175. II, 242. vid. Graeu. lect. Heſiod. cap. 11. *Burm.*

57. *Idcirco*] Hic rationem dat prioris praecepti, quo et humorem inter opus eſſe cavendum monuit. et ideo magis cuſtodiendum monet, ne meſſis fiat, niſi matura, et ſicca aeſtate. *Burm.*

58. *Maturis*] Reddidit illa Maronis ex Georg. lib. I, 66.

Puluerulenta coquat maturis ſolibus aeſtas.

Accendere τὸ *coquat*, *ignibus ſoles*, *anno aeſtatem* refert. *Vlit.*

accenderit annos] Incanduerit, hic enim παθητικῶς debet ſumi verbum *accenderit: Accenderit* igitur *annus*, id eſt antequam fuerit accenſus maturis ignibus. *Titius.* Scaliger, Heinſius et Graeuius in Syllog. Epiſt. IV. pag. 284. *annum* eſſe legendum cenſebant: et recte: *annus* enim hic eſt pars anni, aeſtas. vt cum *ſiccus* eſt *gelidis aquilonibus annus.* Ouid. IV. Faſt. 643. et *annum* pro qualibet eius parte poni iam dudum obſervarunt viri docti, vid Gronov. ad Liv. XXXII, 5. Barth. ad Stat. IV. Theb. 1. et VII, 709. et inf. vſ. 148, et alios paſſim. Aeſtatem vero intelligi oſtendunt *maturi* ignes, vt *ſolis*, quos Seruius ad locum Virgilii, a Vlitio productum, *vehementer*

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,

Semi-

menter feruidos, *magnos* exponit. Pleiades vero cum oriantur vere, vt Seru. ad Virg. I. Georg. 138. vel menſe Maio, et tunc incipiat aeſtas, vt ex Kalendario et Faſtis Ouidii patet, primae meſſes, id eſt cannabeae, vnde funes fiant, non debent ante aeſtatem tangi; ſed illa iam adulta: nam notum eſt, duplicem eſſe meſſem cannabis, primam, qua euellitur, vt inde funes fiant, alteram, qua ſemen maturum ex illis colligitur, quae ſerior eſt. male Barth. ad Claud. Conſ. Mall. 184. *accenderit annus*, pro accenſus fuerit, capit more ſuo. *Burm.*

59. *Pleias ſe prompſerit ortu*] Vna pro cunctis. etenim ſex aut ſeptem enumeratas docet Hyginus, Ouidius ait lib. Faſt. IV, 169.

Pleiades incipiunt humeros releuare paternos,
Quae ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.

Titius.

60. *Imbiberit*] Locus mutilus, vnde nullum bonum ſenſum exſculpas: deſunt enim quaepiam, ad quae coniectura peruenire me poſſe plane diffido: videtur autem ſermo haberi de meſſione lini, atque eius cura: dicitur enim *tangi impar*, quod tangi nequit, quod non poteſt tractari, *niſi cura*; aut potius verba fiunt de venatione ipſa, quae ante arma et inſtrumenta inuenta vix attingi poterat ſine periculo ob ſui difficultatem. Turnebus diſtinguebat:

Imbiberit tanto reſpondet longior orſu;
Magnum opus, et tangi niſi cura vincitur impar.

Titius. Irreparabile damnum, ait Barthius. Turnebus diſtinctione putauit leuicula tantum opus eſſe, quam non video a vulgari vllo modo differre. Pithoeus ex V. C. citat: *longior vſu*. Vnde veram lectionem dedi:

Imbiberit, tanto deſpondet longius vſu.

Longius, vt compendio ſcribi ſolet, abiit in *longio*, et ſic *longior*. *Deſpondere* inuſitata vox librarius viſa. *Deſpondet vſu* linum, cum votis retiarii non reſpondet. *Deſpondet ſolum*, cum nihil producit. ſi *vſum* legas, vulgatior locutio erit, vt *deſpondere animum*. Ordo tamen verborum idem: Linum ſi non tantum aliqua occaſione humectatum fuerit, ſed humor vitiorum peſſimus etiam imbiberit, tanto longius abeſſe, vt vſum patiatur, imo ne tactum quidem, niſi cura

vinci-

Semideos? Illi aggeribus tentare ſuperbis
Ire

vincitur, quod magnum opus eſt. *Vlit.* Elegans ellipſis. Subintelligitur autem τὸ *ſi*. Sic enim ſaepe Ouidius. Epiſtola Phaedrae:

— — — *verba precantis*
Perlegis, et lacrimas finge videre meas.

Nimirum, *ſi perlegis.* Lib. I. Amor. Eleg. IV.

Quod tibi miſcuerit, ſapias, bibat ipſe iubeto.

Et lib. VI. Faſtorum 113.

Huic aliquis iuuenum dixiſſet amantia verba,
Reddebat tales protinus ore ſonos.

pro, *ſi dixiſſet.* Vlit. *in Add.* fuit cum coniicerem, *Imber erit.* nec adhuc poenitet me coniecturae. *Iohnſ.* Forte hic verſus loco ſuo motus poni debet poſt 50. et de fumo capi, quem ſi,

Imbiberit, tanto reſpondet longius vſu.

etſi vero illa variatio numeri probari ſatis poſſet, ego tamen *imbiberint* malim; centies enim in MSS. vidi, librarios negligenter in numerorum diſcrimine verſatos fuiſſe: *vſu* pro *vſui* vſitato more, vid. 207. iam vero *bibere fumum* etiam Horat. dixit III. Od. 8. et Ouid. III. Art. 187. *Lana bibit ſuccos.* Plin. VIII, 48. *Lanarum nigrae nullum bibunt colorem*, qui ita aliquoties hoc verbo vtitur, et de *lino* etiam vt hic vtitur lib. XXXIII. cap. 5. ſic *nidor imbibitur* idem XXIV. cap. 15. *potare ſucum* Horat. I. Epiſt. X, 27. *bibere* vero eſt largius attrahere, quam *ſorbere*, quo verbo ante vſus erat vſ. 37. de lino, quod vicini fluminis rore adſpergitur. Graeci etiam ita ſolent vti verbo πίνειν. Anacreon Od. XIX.

Ἡ γῆ μελαίνα πίνει,
Πίνει δὲ δένδρε' αὐτὴν,
Πίνει θάλασσα δ' αὔρας etc.

Ita auctor epiſt. ad Hebrae. VI, 7. γῆ πιοῦσα τὸν ὑετὸν, notante Barneſio. haec mihi facilior viſa via has ſalebras euadendi, in quibus admodum haeſit Heinſius. qui tentabat, *imbrifera et*: deinde (*imbibe*) *erit tanto, res ſpondet, longior vſus. imbibe* ſc. hoc monitum. vel *imbibere* (*et tanto reſpondet longior vſus.*)*Magnum opus.* vel *imbibe et id.* Sed fere omnes deleuerat rurſus has ſibi variis temporibus natas coniecturas. In Epiſt. ad Graevium Tom. IV. Syllog. p. 285. volebat, *imbibere* (*vt tanto reſponſet longior vſus*) *magnum opus.* vid. et pag. 287. Poſſet et legi, *quam bibent* ſc. fumum. de ellipſi illa τοῦ *ſi* vid. ad Ouid. Amor. I. IV, 29. et I. Art. 272. et inf. ad vſ. 357. et 455. quae notamus. *longus* vero *vſus* ſaepe a noſtro laudatur.

Ire freta; et matres auſi tractare deorum,

Quam

datur. vid. ſup. vſ. 27. poſſet forte et ſuum ſeruare locum hic verſus, ſi tres praecedentes parentheſi includamus; nam certe occaſione praecepti de ſiccandis retibus, videtur Poëtae in mentem venire meſſis, quae non tangenda, niſi ſicca tempeſtate: legendumque tunc *vſus*: qui *reſpondere* dicitur, vt inf. vſ. 73. *gratia.* Burm. *Se ſpondet* legebat Gudius.

61. *Magnnm opus*] Videtur hic dicere: Opus eſſe magnum, et quod niſi longa cura dometur, parari non poſſit, ſcientiam Venationis et armorum ad eam pertinentium vſus. *Tangi* videtur dictum ab altitudine, quia res alti momenti ſit. *Barth.* Scaliger legebat, *eſt tangi.*

vincitur] Vinci dicitur, quod aegre et cum labore ſuperatur. *Barth.*

impar] Deerat haec vox in Cod. Thuan. hic vero verſus, quomodo cohaereat praecedentibus, vix video: ideoque quid turbatum aut omiſſum fuiſſe puto. niſi legamus continuata oratione, ſi imbiberit fumum etc. *tanto reſpondet longius vſu Magnum opus: at tangi n. c. v. impar.* vel hic incipiamus digreſſionem. vt, poſtquam de retibus egerit, nunc ipſum venatum adgrediatur. *magnum opus, et impar tangi* hominibus, *niſi cura*, id eſt diligentia et arte vincatur: cum nec Heroës ſine periculo illud tetigerint. *Cura* ſaepe diligentiam in arte venatica notat, vt inf. 152. ſed hic adhuc tenebras video. *Burm.*

62. *Veterum rerum*] *Res* ſunt hiſtoriae, Res geſtae veterum Semideorum. Fabula veterum rerum, de antiquorum geſtis narratio. *Fabula* omne id eſt, quod fando percipitur. *Barth.* Heinſ. coniiciebat *auorum*: ego nihil moueo. Ita chaos dicitur, *res priſca* Ouidio I. Faſt. 103. et ita tempus Mythicum paſſim *vetus aeuum*, et *aetas* dicitur. vt Ouid. XV. Met. 11. et 69. et alibi. *Burm.*

63. *Semideos*] Heroas. Vnum enim idemque haec duo denotant. Martianus Capella libro II. *A medietate vero aëris, vſque in montium terraeque confinia, Semithei, Heroëſque verſantur.* Barth. Ita et Rutil. I, 365.

Secula Semideum ferrati neſcia Martis
Ferro crudeles ſuſtinuere feras.

Scaliger poſt *Semideos* recte interrogationis notam ponebat: vt ibi finiatur periodus, et deinde noua incipiat. *auſi tentare coelum* etc. quam magna mercede *impulerint* ſiluas.

Semi-

65 Quam magna mercede meo ſine munere ſiluas
Impu-

Semideos etiam obuio vſu, poſſet capi pro *Semidei.* nonne vides, quam Semidei auſi tentare coelum, magna mercede impulerint ſiluas? continuata oratione. nemo autem miretur et inter Semideos referri Gigantes, erant enim Deorum proles, et Terrae Matris filii. Nec de ſolis Argonautis agi, vt credebat Titius, patet ex Adoni. *Burm.*

illi aggeribus] Aggeribus quidem nullis omnino in his verſibus opus eſt nobis. *Illi*, id eſt hoſtes, nam de feris, quas eo nomine cenſet, loqui, dubium non eſt. Aut ſcribendum *ſiluae*, quas pro ſilueſtribus feris ponit. Porro coniectura ducor, Gratium ſcripſiſſe,

— *illi aggreſſus lethare ſuperbos.*

Lethare pro occidere priſcum et bonum verbum, ſed vulgo non ſatis vſitatum, videtur loco omni corrumpendo anſam dediſſe. *Aggreſſus* pro ipſis aggredientibus dictos, non mirabitur, qui Latinos Poëtas legerit. *Barth.* Gigantomachiam ſtolidae illorum ferocitatis primum exemplar proponit. *Vlit.* Id eſt, montibus. Horat. lib. I. Sat. 8. *Aggere in aprico ſpatiari.* Vetus Scholion, *in colle aperto*, exponit. Ammianus frequenter *aggeres* pro montibus ponit. vt lib. XXV. *ſub hac altitudine aggerum*, de Alpibus. *Aggerum altitudines* Thraciae attribuit, quas poſt paulo *montium altitudines* vocat. *Vlit.* in Add.

— *illi aggeribus tentare ſuperbis,*
Iret freta matres auſit tractare Deorum.

Ita Pithoeus. In Logi Ed. deeſt *iret.* Grotius legendum coniicit,

Aethera, matronaſque auſi tractare.

Heinſius,

Aethera, tum matres auſi attrectare.

Vlitius, *tentare* abſolute ſumi credit, et *Ire freta*; tum *matres deorum* exponit feras deorum nutrices, et *tractare* pro vexare, affligere. detur et mihi coniiciendi locus: ſic itaque lego

— *coelum aggeribus tentare ſuperbis,*
Ire freta, et matres auſos tractare deorum.

Iohnſ. Facile accedere poſſem coniecturae doctiſſimi *Iohnſoni*, niſi quod *auſi* retinerem, et ad *impulerint* referrem. *coelum tentare*, eſt affectare, conari inuadere, vt Gigantes re vera fecere. hoc colore excuſat audaciam ſuam Daedalus

Impulerint. Flet adhuc et porro flebit Adonim

Victa

dalus apud Ouid. II. Art. Am. 37.

Non ego ſidereas adfecto tangere ſedes.

et ita *aequora tentare* Ouid. Epiſt. VII, 37. vide de hoc verbo ad Val. Flac. I, 197. et 329. et 804. illud *lethare* Barthii ineptum, licet id nec improbare videatur Saluagnius ad Ouid. Ibin vſ. 405. Aggeres vero recte exponunt viri docti aggeſtos montes: inſulſe puer Britannus moles nauium; quia Val. Flac. II, 353. dixit *molem* ratis. ſed an omnes moles, *aggeres* dici poſſunt? ex obuio Virgilio loco VI, 831.

Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monoeci.

Deſcendens.

potuiſſet diſcere, aggeres de montibus dici: conſule et Paſſerat. ad Propert. l. XXI. pag. 241. Vide autem, an huc facere poſſit Valer. Flacci locus lib. I, 199. et an non ille Gratium reſpexerit.

— *nec nunc mihi iungere montes*

Mens tumet.

ſi modo iungere montes, de quo olim dubitabam, hoc ſenſu dici poſſit. licet idem Poëta lib. II, 491. dicat *muros aſtris iungere*, quod clarius dictum puto. Scaligeri excerpta edebant, *et fortes arces auſi tractare Deorum.* Burm.

64. *Freta matres*] *Ire freta* Latium eſt, vt *rate currimus aequor* Maroni. Intelligit autem *prima Deum magnis freta peruia nautis*, et Argonautarum temeritatem. *Vlit.* ſic Valerio Flacco lib. I. *It ratis.* Sic Silius lib. XII. *Sardoos iſſe receſſus.* Vlit. *in Add.* Vid. Heinſ. ad Ouid. Ep. VII, 40.

matres Deorum] Dianam et Iunonem. *Iohnſ.* *Matres deorum* eſt Poëtice dictum, pro *matres deas*, id eſt, ipſas deas, vt ita paſſim *matres Latiae, Achaides, Auſoniae* etc. Ouidio et aliis: ſed et ipſe Naſo lib. IV. Faſt. 423.

Frigida coeleſtum matres Arethuſa vocarat.

accedit, quod honoris cauſſa eas matres appellet, vt paſſim *patres* et *matres* Dii et Deae dicuntur. ita *Bacchae matres*, de quibus vide Barth ad Stat. IX. Theb. 479. *Burm.*

tractare] *Tractare* hic pro attrectare, et contrectare, id eſt impudice tangere, ponitur. vid. ad Ouid. II. Art. Am. 633. vbi legendum cenſet Heinſ.

— *Aggeribus tentare ſuperbis*

Aethera, dum matres auſi tractare deorum.

vel *attrectare.* vid. et Tom. IV. Syll. Epiſt. p. 285. vbi et pag. 288. tentat. *Aetheraque matreſque*

Victa Venus, ceciditque ſuis Ancaeus in armis,

Vt

treſque. hoc *improba manu tractare* vocat Petron. cap. 68. vbi vide. et Sophocl. Trachin. 571. de Neſſo, qui Dianiram ψαύει ματαίαις χερσίν. *Burm.*

65. *Magna mercede*] Magna poena et damno. Graecorum more: Callimachus in Hymno in Dianam

Οὐδὲ γὰρ Ἀτρείδης ὀλίγῳ ἐπεκόμπασε μισθῷ.

Titius. Merces ἐκ τῶν μέσων eſt, et poenam et praemium ſignificans. Phaedr. fab. 17. *haec merces fraudis a ſuperis datur. Quam magna mercede,* quanto cum diſpendio. *Iohnſ.* Vid. ad d. 1. Phaedri, et adde locum noſtro Poëtae admodum accommodatum Liuii lib. II, 36. *ſatin' magnam ſpreti numinis haberet mercedem? maiorem inſtare.* Burm.

meo ſine munere] Recte et iure ita poteſt artem venandi a ſe carmine proditam vocare, vt paſſim meas artes dicit vſ. 69. 489. 512. et alibi. tentor tamen, vt reſcribam, *Dei*, vel *Deae ſine munere*, vt Diana intelligatur, cuius auſpicio ſuſcepit hoc opus, et cui artes ſaepe adſcribit. vid. 105. Vel Deus, qui primum auſpicium dedit artibus, vſ. 10. Ita *meas* contra reſcribi cenſebam apud Nemeſ. II, 51. Sed non audeo tamen aliquid hic mutare, contentus ſuſcipionem indicaſſe. *Burm.*

66. *Impulerint*] Sic dictum, *impellere ſyluas*, vt et *nuda ſyluas virtute mouebant.* Magis proprie a Virgilio I. Georg. 254.

Et quando infidum remis impellere marmor.

contrarium *quieſcere*, cum a venatione ſcilicet deſiſtitur, Martialis lib. XII. Ep. 1.

Et non inuenta ſylua quieſcit apro.

Titius. *Impellere* hic idem, quod initio operis dixit *mouere.* Eſt enim verbum, quo vis et impetus deſignatur, et quo varie vſum Statium ſaepe docet Barth. vid. ad V. Theb. 409. non placet vero Heinſiana coniectura *irruerint*, cum nulla ſit neceſſitas recepta verba mutare aliis, pro arbitrio. *Burm.*

67. *Victa Venus*] Cl. Gronouius coniicit, *Icta.* Vetus Epitaphium:

Ictus et angue puer, victa dolore parens.

Ictus domeſtico vulnere, Agricola Tacito. *Vlit.* Victa, *i. e.* dolore victa. *Iohnſ. Icta* poſſet defendi ex illis, quae Ouidius lib. X. Met. 525. et ſeq. narrat. *victa* vero ſimpliciter pro dolore victa, neſcio an dicatur: cum vox haec varias

recipiat

Vt praedexter erat geminiſque ſecuribus ingens.

Ipſe

recipiat ſignificationes, a diverſis animi affectionibus, quibus mouemur. Ita *victa Dea* Ouid. XII. Met. 32. eſt mitigata. alias additur *precibus*, aut aliud. ſed eligat lector. Heinſius tentabat *moeſta Venus*, ſed hoc longius abit; forte *victa* amore intelligendum. Vel potius, quae non potuit numine ſuo, quod minus erat fatis, mortem ab Adoni arcere et auertere. Ita Iuno apud Virg. I. Aen. 37.

Mene incepto deſiſtere victam!

id eſt, quaſi minor Aenea ſim, a quo vincor, vt lib. VII, 310.

Vincor ab Aenea, quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis.

quo nos remittit Seruius, qui et alios *iratam* explicare addit. quod et hic locum habere poſſet. *Burm.*

Ancaeus] Ancaeus non vnus fuit. Hic, quem loquitur, Oenei Calydonii filius, cum famoſiſſimum illum aprum ſecuri inuaſiſſet, ab eo occiſus eſt. Vide Ouid. lib. XII. *Barth.*

aruis] Heinſius ad Metam. lib. VIII, 313.

— *Ceciditque ſuis Ancaeus in armis.*

reſcribendum cenſet. Vulgo, inquit, circumfertur *in aruis*, quod manifeſto falſum. Arcas enim erat Ancaeus, Lycurgi filius, et ab apro Calydonio in agris Aetolis occiſus. quomodo ergo *ſuis in aruis?* cui facile aſſentior. *Iohnſ. Suis in armis* capiendum, armatur bipenni. tentor vero vehementer, vt credam, *ſuis* a *ſus* deriuandum, *ceciditque ſuis Ancaeus ab armis*, id eſt ab apro Calydonio, qui dentibus inguina eius perfodit. Ouid. VIII, 400. dentes vero *arma* ſuis dici probari nihil neceſſe. vltima vero ſyllaba τȣ *ſuis* producitur ob caeſuram, vt notum. de Ancaeo vide, quae nos diximus in Catalogo Argonautarum. *Burm.*

68. *Vt*] Male *at.* In Veteri Editione exſtat, *vt.* cecidit, vt erat cum ſuis ſecuribus. Iſtud elegantius. *Barth.* *Vt*, ſi legeretur, deberet pro *quamuis*, vel *quemadmodum* ſumi. ſed *at* mihi magis arridet, quae particula ſaepe ironiae et ſarcaſmo inſeruit, et paſſim a librariis in *vt* mutata fuit. vid. ad Ouid. III. Amor. VII, 1. Heinſius tentabat, *atqui*, vel *etſi dexter erat*, quia *praetexter* ipſi auctoritate caruiſſe videbatur. ſed ſufficiat nobis Gratii: vnusquiſque enim ſibi propria habet vocabula ſcriptor, et nihil eſt, quod repugnat Analogiae. Heinſio praeterea videbatur ſpurius

Ipſe deus, cultorque feri Tyrinthius orbis
Quem mare, quem tellus, quem praeceps ianua Ditis,
Omnia tentantem, qua laus erat obuia, paſſi,
Hinc

ſpurius verſus, forte ob vocem *praedexter*: ſed et *praedulcis* Nemeſ. Ecl. I, 22. *praetorridus* Calp. II. Ecl. 80. quae voces neſcio an ab aureae aetatis ſcriptoribus vſurpatae ſint. et talis formae voces ſaepe ab vno aut altero auctore amatae. *Burm.*

praedexter erat] Agilis et aptus. περιδέξιος. Qui Latinis *aequimanus*. Nam Ancaeus vtraque manu dexter erat. *Ingentem* dicit, quod omnium Heroum corpora veteres maiora vſitatis finxerint. *Barth.*

geminiſque ſecuribus ingens] Geminas ſecures appellat, quae eſſet anceps, ita vt duarum vſum praebere poſſit. Vel magnam intelligit, Virgilii exemplo, qui dicit I. Georg. 172. *gemino dentalia dorſo*. *Praedexter* porro eſt valde dexter, ex vi particulae *prae*, ſic *praeluſtris*, *praediues*, *praeclarus*, *praepinguis*, *praepotens*. Titius. *geminis* eſt duabus. ambidexter enim erat. *Iohnſ.* Non veroſimile mihi videtur, vtraque manu tenuiſſe ſingulas bipennes, cum ambidextro etiam vna ſufficiat, quam transferre, vt vſus poſtulat, poteſt, et dextre vti; ſed *geminae* hic ſunt, vt Ouid. VIII. Met. 397. *anceps ſecuris*, quam ibi vtraque manu tollens ab apro confoditur. *Ingens* vero eſt terribilis. vid. ad Val. Flac. II. vſ. 104. *Burm.*

69. *Cultorque*] Qui agros colit, ſordes tollit. Ita orbem tot feris, tot monſtris purgavit Hercules, et tamquam virtutis ſuae campum excoluit. *Vlit.*

70. *Mare*] Erat enim Hercules ex numero Argonautarum. *Iohnſ.*

praeceps] *Facilis* enim *deſcenſus Auerni.* Barth.

ianua Ditis] Ob Cerberum ab inferis extractum. *Titius.*

71. *Omnia tentantem*] Proverbiale quid nutrit haec locutio. Terentius Eunuch. IV, 7.

Omnia prius experiri, quam armis ſapientem decet.

Ouidius lib. IX, 540.

— — — *omnia feci,*
Sunt mihi Dii teſteis, vt tandem ſanior eſſem.

Barth. Heinſius malebat *metantem*, vt vſ. 102. ſed locutio obuia, *omnia tentare*, a Barthio ſatis illuſtrata, et aliis; talesque non libenter muto reconditioribus, niſi accedit MSS. auctoritas. *Burm.*

laus

Hinc decus et famae primum patrauit honorem.

Exige,

laus erat obuia] Cuncta aggreſſum, ex quibus laudem ſe poſſe conſequi ſperaret. Sed lectio non eſt ſincera. *Titius.*

obuia] Ex illa ſcriptura Codicis Thuanei, *laus abulla*, poſſet quis exſculpere, *qua laus erat aemula;* et tentabar diu, an ita emendarem. Sed vulgata tandem perplacuit, quae notat, vbicunque ſe oſtenderet materia laudis. Ita Quinct. XII. de Inſt. Orat. 2. *Virtutem, qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum eſt, obuiam et illaboratam, tantum quia nati ſumus, habeamus.* vbi *obuia* eſt parata, facilis. ita idem VIII. cap. 4. *vt Socratis inuictam continentiam oſtenderet, quae corrumpi ſpecioſiſſimi hominis tam obuia voluntate non poſſet.* Obuia ergo quaſi quaerenti materiam fuit laus. ſic idem Fab. IX, 3. de figuris, *ſe obuias fuiſſe dicenti declarant.* Burm.

paſſi] Nullum hic eſt ſubſtantiuum, cum quo cohaereat, aut igitur *paſſa*, pro paſſa ſunt, legendum; aut *pauit*, i. e. timuit, formidauit. *Iohnſ.* In Cod. Thuan. erat, *qua laus erat abulla pſoſi*, ſuperſcripta litera *a, pſaſi.* Illud *paſſi* certe tolerari nequit: inepte vero noui editores *preſſit.* Vbi enim preſſit mare, tellus et orcus Herculem? cum ille potius illa preſſiſſe dici poſſit. Ex vitioſa illa lectione *pſaſi*, eruerem potius *ſparſit.* aptum vocabulum vago Herculi: ita Val. Fl. V, 488.

— — — *ille labores*
Dat varios. ſuus vt magnum rex ſparſit ab Argis
Alciden.

vbi vide, quae notauimus. *Laus* vero Herculi proprie tribuitur, vt viro forti et bellicoſo. vid. ad Phadr. IV. 11. videant acutiores. *Burm.*

72. *Primus patrauit honorem*] Vetus Edit. *primum.* Sane ante Herculem multi venatores fuerunt. Qui vero tot funeſtas feras occiderit, nemo. Quare videtur Gratius ita ſcriptam reliquiſſe. *Barth.* MSS. *primum impetrauit*, quod Heinſio placet, et merito. *Iohnſ.* Ita Heinſius orae ſuae adſcripſerat. et ad Ouid. I. Art. 395. coniecerat, et *primus penetrauit honorem.* Sed in Codice Thuaneo erat *primus impetrauit.* poteſt reſpexiſſe ad Cleonaeum Leonem, nam

Prima Cleonaei tolerata aerumna Leonis.

Vid. ad Val. Fl. I, 34. aliter poſſet ſollemni aberratione librariorum poſita vox eſſe, pro *priuum*, de qua ſaepe ad Ouidium. de verbo *patrare*

D egimus

Exige, ſi qua meis reſpondet ab artibus ergo
Gratia, quae vires fallat collata ferinas.

75 Sunt,

egimus ad Fabii Inſtit. Orat. lib. VIII. cap. 3. hic vero illud abiicere nondum audeo. *honorem famae* etiam dixit Ouid. Remed. 393. vbi vide notas. Scaliger etiam legebat *primum*. Senſus vero eſt, ipſum Deum Herculem, qui omnia tentauit mari, terra, et apud inferos, tamen ex venatu etiam ſibi famam et decus paraſſe, nec armis ſolis, ſed et artibus venaticis illuſtrem fuiſſe. nam inter primos fere labores fuere Leo Nemaeus, cerua Parrhaſis, Taurus Cretenſis et alia monſtra, quae non ſine venaticis artibus et robore domuit. Senec. Agam. 829. *Burm.*

73. *Exige*] Diligentius conſidera, ſi quis vſus, ſi qua demum opera meis ab artibus oritur, quae collata et quaſi commiſſa cum feris, earum vires eludat. *Iohnſ.* Recte vir doctus hic: *exige*, eſt excute, examinina illa, quae deinde memorabo. *Burm.*

reſpondet] Omnino legitima ſcriptura in priſca Editione ſupereſt. *ſe ſpondet.* Barth. Heinſio placet *ſe ſpondet*, vt et tentabat Gudius ſupra vſ. 60. ego nihil muto: vt enim reſpondent agri, cum fructus reddunt et ſimilia; ſic ab arte gratia reſpondet. *redit* dixit inf. 380.

Et noſtra quidam redit vſus ab arte.

Reſpondit erat in Cod. Thuan. *Burm.*

74. *Gratia*] Alluſio ad proprium nomen. Idem rurſus facit inferius. *Titius.* Alluſit ad nomen ſuum, vt et infra: *quam plurima ſemper* Gratia *per noſtros vnum teſtabitur vſus.* Vlit. Lucretius: IV, 166.

— *quid enim mortalibus atque beatis:*
Gratia noſtra queat largirier emolumenti.

Idem *in Add.* Lucretii ille locus a Vlitio adductus, potuerat viros doctos docere, minime hic Auctorem frigido illo ſchemate et hoc, quo ſcribebat Gratius, tempore damnato, voluiſſe nomen ſuum ſignificare. Immo nec infra 216. recte interpretes id iterum adnotaſſe putem; ſaepe enim auctores operi ſuo vel gratiam adeſſe vel deeſſe, prout res, quas tradunt et docent, placituras lectoribus aut minus, praeuident et praedicunt, iactant. Manil. IV, 434. ſed *gratia deerit.* et mox 441.

— — *nec parua eſt gratia noſtri*
Oris, ſi tamen haec poterit ſignare canendo.

Et ita

Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae

Inſtru-

Et ita paſſim ille hac voce vtitur pro ea dote, venuſtate, decore, quo ſe commendat lectori opus Poëtae. Mens autem Poëtae noſtri eſt, ſi qua dote, auctoritate, quam vſu et experientia mihi paraui in hac arte, valeo apud Venatores. et ita paſſim aliis in rebus hac voce vtuntur Poëtae. vid. ad Ouid. V. Met. 378. eſt illa ergo gratia, artis ſuae peritia et dos, quae auctorem commendat, et in auctoritate ponit: ita inf. 266. *expertos animi quae gratia prima eſt.* Cur vero nec illo in loco vocem hanc diuerſo charactere imprimi curauerunt? ſic Plinius XXXIV, 8. *ſtatua debet habere ſuam gratiam.* Id eſt debet placere ſpectatoribus ſuis ob artis praeſtantiam. Sapuit vero in huius loci expoſitione Lagus, nec ineptum illum luſum agnouit, quem ſemper diſplicuiſſe magnis ingeniis notauimus iam ad Ouid. Epiſt. XXI, 201. quibus plura adiicere eſſet in promptu, niſi anguſtiis notarum contineremur. *Burm.*

collata] *collata* eſt in medium data, et communi vſui praeſtita. *Barth.* *Conlata* Cod. Thuan. ſed deficere hic ſubſtantiuum credo, cuius locum *collata* occupauit: *gratia* enim, ſi intelligatur, debet explicari, quam ego tibi confecero, quare cum Heinſio lego, *quae vires fallunt collata feri-nas.* vt *collata* ſint, quae ad congrediendum cum feris arte magis, quam vi, comparentur. *collata* ergo a Poëta, nunc venatoribus demonſtrata, et mox enumeranda, vt formido, retia etc. quae fallunt feras magis, quam ſi vi adgrediaris. Ita verbo *conferre* vtitur Ouid. V. Am. X, 58.

Quod quis habet dominae conferat omne ſuae.

III. Triſt. V, 29.

Quaeque tibi linguae eſt facundia, confer in illud,
Vt doceas votum poſſe valere meum.

ſic *conferre beneficium*, *munus* et ſimilia paſſim. et inde noſter ſaepe *munus ſuum* iactat. vid. ad vſ. 65. *Burm.*

75. *Decerptae*] Carptae de immundo vulture. *Barth.* Heinſius malebat *dereptae.*

vulture] Quia cadaueribus, et morticinis carnibus hoc auis genus delectatur. Docet autem nunc Gratius, ex quarum auium pennis fiat formido. ea autem eſt linea quaedam venatoria, variis pinnis conferta, ad terrorem animantibus incutiendum, vnde et nomen. *Titius.*

facultas

Inſtrumentum operis fuit, et non parua facultas.
Tantum inter niuei iungantur vellera cygni:
Et ſatis armorum eſt. Haec clara luce coruſcant
Terribiles ſpecies: ab vulture dirus auaro
Turbat

facultas] Adiumentum: quia reddit artem venandi faciliorem. *Iohnſ.* Hoc verbo indicari omnia, quibus facilius aliquid fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt, et late eius vſum apud ſcriptores patere, docuit Manut. ad Cicer. V. ad fam. ep. 20. *Burm.*

77. *Inter*] Tmeſis: *interiungantur.* Barth.

vellera cygni] Plumas inſtar velleris contextas et conglobatas dicit. Alioqui *vellus* Poëtis, quicquid mollitie ei ſimile et colore. *Barth. Vellus* proprie eſt manipulus ſiue *tractus lanae.* Varro Lib. IV. de L. L. *Vellus dictum, quod vellebant lanam.* Ita vellus plumam dixit Gratius, quia vellitur, vt, *decerptae vulture plumae.* Non autem plumas inſtar velleris contextas et conglobatas intellexit, vt ariolatur Barthius. *Vlit.*

78. *Luce coruſcant*] Virgilius II. Aen. 470.

— — *et luce coruſcus ahena.*

Et illud: *plumae Inſtrumentum operis fuit*, exemplum habet in illa Aeneid. XII, 897.

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat,
Limes agro poſitus.

Barth. Aptiora ſunt exempla, vbi pluralis habet ſequens nomen et verbum ſingulare, licet ſaepe turbauerint ſcribae. vt apud Ouid. I. Amor. VII, 60.

Sanguis erat lacrimae, quas dabat illa, meus.

ita Iunianus Cod. et alii. Sed *erant* vulgati IV. Met. 604.

— *Sed tamen ambobus verſae ſolatia formae*
Magna nepos fuerat.

vt recte Heinſius, quem vide. ſic Gellio IV, 1. reſtituit, *ea, quae reconduntur ex eo, quod non in promptu ſint, penus dicta eſt.* Gronou. quem vide. ita et apud Curtium IX, 1. *Caetera opimam praedam fore,* egregie vindicauit, et optimis exemplis illuſtrauit Snakenburgius noſter. *Burm.*

coruſcant] Huc illuc vibrant et emittunt. actiue ſumitur. *Iohnſ.* Scalig. malebat *coruſcat terribilis.*

79. *Species:*] Hac voce ſolent vti Poëtae, cum incertae formae aliquid oculis obiectum eſt. Quare nec audimus

Vet.

Turbat odor ſiluas, meliuſque alterna valet res.
Sed quam clara tuis et pinguis pluma ſub armis,
Tum

Vet. Edit. in qua diſerte excuſum *terribiles ſpecie.* Barth. Non tam abſurda eſt lectio *ſpecie*, ſi etiam *terribili* legeretur. nam ita Virgil. IV. Georg. 73. *penniſque coruſcant*, et 98. *fulgore coruſcant ardentes auro.* et paſſim; et tunc *clara luce* pro *ſole*, vel *die* capiendum cum Waſaeo: vt infra 422. *clarus ſol.* et ita *claram lucem* nubi opponit Maro lib. I, 588. ſed quia tunc hiatus eſſet in verſu, malo actiue ſumere cum Iohnſ. vid. Heinſ. ad Ouid. IV. Met. 493. nec *terribiles* video, quo referri poſſet, ſi cum aliis *terribiles ſpecie* legas. nam *haec*, ſcilicet *vellera* cygni, praecedit: haec ergo coruſcant, id eſt vibrant, tremulo motu, emittunt ſpecies terribiles feris illa intuentibus, vt odor Vulturis totam concutit et turbat ſiluam, id eſt feras in ſilua. *Burm.*

80. *Odor*] Vehementiſſimum nidorem et ingratiſſimum reddunt pennae vulturis, ſed crematae. Apud Aelianum lib. I. de Anim. 45. lego *γυπῶν πτερὰ εἰ θυμιάσαι τις, ὡς ἀκȣ́ω, καὶ ἐκ φωλεῶν καὶ ἐξ ἰλεῶν τȣ̀ς ὄφεις προάξει ῥᾳςα.* *Titius.* Seneca lib. II. de Ira, cap. 12. *Acerrimas feras vmbra, vox, et odor inſolitus exagitat.* quod huc referendum Lucanus lib IV, 437.

— *dum pauidos formidine ceruos*
Claudat odoratae metuentes aëra pennae.

Vlit. Oppianus lib. IV, 65. rationem dat:

— *ἐπεὶ μάλα θήρεσι πᾶσιν*
Ὀξύταται ῥινῶν ὀσφρήσιες. εἰ δὲ φράσαιντο
Ἢ ςαλικῶν ὀδμὴν, ἢ πεπταμένοιο λίνοιο
Ἔμπαλιν ἰθύνȣσι, etc.

Vlit. in Add.

turbat ſyluas] Sylueſtres feras longe arcet. *Iohnſ.* Ita Val. Flac. III, 531. *turbatum nemus*, vbi vide.

alterna] Plumae cygni et vulturis alternatim iunctae. *Iohnſ.*

81. *Quam*] *Qua* Cod. Thu. et *quam clara ſuis* Scaliger. nihil opus: venatorem enim docet. *Burm.*

pinguis] Ampla. *Iohnſ.* Immo odorem ſpargens. vt ita pinguia omnia vnguenta, oliva, tura, et ſimilia paſſim dicuntur. quare *pinguis pluma* vulturis adhuc recens et redolens

Tam mollis tactu, et non ſit creberrima nexu,
Ne reprenſa ſuis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipſo mendoſa coarguat vſu.
Hic magis in ceruos valuit metus. aſt vbi lentae
Inter-

lens, non ſiccata, quae odorem iam amiſit, capienda, et vt ſequitur, *mollis adhuc tactu*, non indurata, et exſiccata, vt *clara* Cygni vellera indicant. *Burm.*

82. *Tam mollis tactu*] De vſu illo ſupini in *u* vid. Voſſ. III. de Analog. 12.

83. *Reprenſa*] In Cod. Thuan. eſt *inreprenſa* vel vt Doruilii excerpta *inrepenſa*. Heinſ. tentabat, *ne te panſa:* non ſatis haec intelligo: forte ſcribendum *tractu*, vt mox *lentas* explicat Iohnſ. hoc ſenſu. vt linea non impedita nodis vel nexu, ſed molliter poſſit trahi et retrahi. De *tractu* vid. infr. 162. et hinc *reprenſa* pro retracta, recollecta. formido vero illa, vel linea plumis illis inſtructa, per longum extenſa tractum, nitebatur furcis quibusdam, vt mox docet Vlitius, per quos decurrens, ſi noti eſſent crebri, non facile attrahi poterat vel remitti, vel concuti, impedientibus illis notis et plumis. poſſet et *linea* ſumi in accuſatiuo caſu, vt mox *linea arma*, et ita conſtrui; ne pluma illa, (id eſt plumae) creberrima nexu, reprenſa, implicet venatorem, properantem linea, ſuis pinnis, et ita vſu coarguat illa linea mendoſa: et tunc recte cohaerebunt omnia: videant peritiores huius artis. *Burm.*

linea pinnis] Sunt *pinnae* alarum, et ipſae alae frequenter: *penna* plumam in pectore vel tergo denotat, quam *tactu mollem*, et ideo *vellera* vocauit Gratius. ſed *pinna* etiam pro pluma poteſt accipi, vt πτερὸν, et πτέρυξ. *Vlit.*

84. *Mendoſa coarguat vſu*] Parum vtilis deprehendatur eſſe ipſo vſu. atque ita παθητικῶς verbum *coarguat* exaudiemus: vel legendum *vſus*. *mendoſa* porro valet hic idem, quod apud Horatium I. Sat. IV, 66. *Ac mea paucis Mendoſa eſt natura.* Et II. Sat. IV, 24.

Aufidius forti miſcebat mella falerno,
Mendoſe.

Titius.

85. *Metus*] Pinnatum ab effectu non tantum *formido*, ſed et *metus* vocatur. vt ſtatim: *ſi qua metus eludat bellua falſos.* Nemeſianus, 304. *volucreſque metu concludere praedas.* Vlit. Qui et *Formido* vocatur, ab effectu. Pinnatum enim

Interdum Libyco fucantur Sandyce pinnae,
Lineaque exſtructis lucent anconibus arma,
Rarum,

enim eſt inſtrumentum linea et pinnis conſtans, ad terrendas feras factum. *Iohnſ.*

aſt vbi] Heinſ. corrigebat, *eſt vbi.* vt apud Claud. I. in Eutrop. 138.

Eſt vbi deſpectus nimius iuuat. Et ita ſaepe loqui veteres, non ignoramus, ſed melius cohaerere tum ſequentia, *Rarum, ſi qua*, credimus; ſi *aſt* legatur. *Burm.*

lentae] Molles tractu. *Iohnſ.*

86. *Fucantur*] *i. e.* Colorantur. Nam *fucus* pro colore. *Idem.*

Sandice pinnae] Solus, quod ſciam Gratius, mediam huius vocis ſyllabam corripit. Id quod notauit Caſaubonus ad Aurel. 29. *Barth.* Vetus auctor Gloſſarum dicit, *Sandycem eſſe herbam tincturae aptam*, *rubri coloris.* adi Salmaſ. ad Solin. 810. *Iohnſ.* Monent hic duumviri, *ſandice* ſcribendum, quia corripitur, non *ſandyce.* quod ineptum, cum tot deriuata ab *yx*, breuia ſint: vt *Phryx*, *ſtyx*, *ſardonyx*, et alia: contra in *ix* fere longam facere ſyllabam vidimus in *Phoenice* vſ. 55. vbi debuiſſent meminiſſe hi heroës legis Pediae: quam ignorare ſe produnt. Sic quoque apud Nemeſ. Ecl. II. vſ. 7. *Ericis* pro *Erycis* ediderunt. vt vero in modo ſyllabae in obliquo caſu variant Poëtae, ita de genere, an maſculino, an feminino, non conuenit inter omnes. vid. Voſſ. I. de Analog. 34. in Thuan. erat *Sanduce.* Burm.

87. *Linteaque*] Vet. Edit. *Lineaque.* Et ita veteres libros habere notat etiam Petrus Pithoeus. Et hanc veram ſcripturam puto. Nam de retibus ab anconibus ſuſpenſis loquitur. Sunt autem *ancones* ferramenta ſeu furcillae, ſiue amites, quibus plagae innituntur, vbi extenſis iis opus eſt. *Barth.* Poterat ſane hoc ferri, vt per *lintea* intelligeremus ex duriore lino facta vincula, quae ſtupea et ex ſtupa fieri ſolita. Non potuit igitur tenue et terſum fuiſſe *linteum*, quo Saluator ſe circumſtrinxit, vt pedes diſcipulorum abſtergeret. *Linteum* fuit omnino omolinum. *Lintea arma*, vel *Linea* ipſa hic retia eſſe facile conceſſerim Barthio, niſi vox iſta *lucent* formidinem intelligendam innueret. Retia autem nequaquam lucere debent, ſed terrae ſimillima eſſe, ne vllo modo ea feris conſpicua ſint. Omnino igitur de formidine accipiendum, et *linea* vel *lintea arma* ſunt funis ex ſtupa plexus. *Vlit.* *Linteaque* reponendum ex MS.

 Thua-

Rarum, ſi qua metus eludat bellua falſos.
Nam

Thuaneo, quia rudiori lino retia texi ſolita. Idque *linteum* proprie eſt. Hinc et pro velis *lintea* paſſim apud Poëtas. *Vlit. in Add.* Sine dubio de formidine accipienda, et *linea arma* ſunt funis ex lino, vt modo vſ. 81. *pluma ſub armis.* id eſt, in fune. *Lintea* Scaliger. neſcio, quid praeſtet, *Linea*, an *lintea.* ſed id velle Poëtam credo: alios in formidine, ſiue funi illo longo, innectere vulturis et cygni pennas, ita vt natura eas dat, alios vero per interualla (id enim *interdum* notare hic puto) fucare illas pennas ſandyce, quod ſi fiat, et linea arma, id eſt funes ſint candidiſſimi, quae innexas has pennas habent, et quae in anconibus illis lucent, et ſplendent candore ſuo rarum eſſe, ſi bellua illos metus falſos, ex coloribus illis candidiſſimo et ruberrimo incuſſos, eludat, et ſuper ſaliendo euadat. *Burm.*

extritis] Barthius dicit *ex tritis* (ita cod. ſuum habere) anconibus lucere retia, vel *extritis* (vt vulgo) valde tritis eſſe, et reſpondere *lineis lucentibus.* Ego nullus dubito, veram eſſe lectionem, quam dedi a Gronouio in ora libri ſui adnotatam, et erectis furcillis iniectam formidinem intelligendam. *Vlit.* *Expoſitis* Cod. Thuan. vt teſtatus iam olim Heinſ. ad Ouid. I. Am. IX, 12. ipſe tamen in *extritis* propendere videtur. ſed nihil elegantiae in *extritis* vel *tritis* anconibus video. *expoſitis* probarem, pro conſpicuis, ita vt et illi terreant feras, et ſimul, vt recte Vlitius exponit, capitibus ſuis prominentes incurrentibus feris obſtent. ita *expoſitum* ſaepe pro conſpicuo, quod videndum ponitur. vid. ad Ouid. I. Art. 409. et III, 209. et ad IV. Faſt. 564. Si tamen ab vſu longo *extritos* anconas velit quis interpretari, quia funes diu per eos ducti lignum extriuere, per me licet. *Burm.*

anconibus] *Ancones* hic ſunt furcillae breuiores, quibus formidines iniiciuntur: quarum in ſummo cornua bina ſunt, ἀγκῶνα, ſiue cubitum referentia. A forma enim ita indigetauit Gratius, vt *ceruos* quoque alii. Seruius ad Eclog. II. 29. *figere ceruos*] *furcas, quae dictae ſunt cerui ad ſimilitudinem cornuum ceruinorum.* Varro lib. IV. inter caſtrenſia accenſet: *Vallum, vel quod ea varicare nemo poſſit, vel quod ſingula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litterae V. cerui, a ſimilitudine cornuum cerui. Vallum a vallo* nomen habet,

Nam fuit et laqueis aliquis curracibus vſus:

Cer-

habet, et *vallus* a *varo* deminuitur. Idcirco *vallum* per antiphraſin ἐτυμολογίζει Varro, quod vallos, quibus inſtruitur, *varicare*, id eſt inflectere nemo poſſit. Per *ea* videtur *valla* pro *vallos* intellexiſſe, neutro genere. Ita et Gloſſae Veteres: *Vallum*, χάραξ. id eſt *vallus*, vt frequentius dicitur: quia *vallum* proprie munimentum eſt vallis praecinctum. Virgilius Georg. I, 264.

Exacuunt alii vallos furcaſque bicornes.

Valli ſunt furcae bicornes, vt et *vari*, a quibus deriuantur. In venatione quoque vſum habent. Lucanus lib. IV, 439.

Aut dum diſpoſitis attollit retia varis,

Venator.

Barthius, quanquam ita quoque exponit, cum tamen retia ab anconibus ſuſpenſa dicat, et ea ferramenta fuiſſe, videtur pro hamis in arboribus poſtea affixis accepiſſe. Iis certe ſolent aucupes vti: non venatores. Illis enim eundem in locum redire ſemper integrum. His ſemper mutandus, prout ceciderit indagatio, vel ipſae ferae duxerint. Itaque furcillae commodius figuntur, et tolluntur, quam hami. Illas merito *anconas* vocat Gratius, quia patentioribus cornubus, quam retium furcillae, propius ad cubiti formam accedunt. *Vlit.* Profelyta quidem, ſed iam familiaris Latio vox *Ancon.* Nam et a coaetaneo Gratii Naſone vſurpata Met. XV, 718. *ſinuoſi litoris ancon.* Quia cubiti inſtar flexum erat litus. Eadem ratione Val. Flacco lib. IV, 600. *Ancon* fluuius dicitur, vt obſeruant Carrio et Alardus. *Vlit.* in Add.

89. *Nam*] Hinc tranſit ad praecepta de pedicis per diſtinctionem; hoc enim efficit nunc vocula *nam.* ergo valet *fuit autem et laqueis.* Titius. Formidine quamuis feram poſſe capi cum dixiſſet, ſubdit, aliquos tamen et laqueis vti, quos ceruino neruo iubent contexere, cuius odor ſuſpicionem feris facere non poſſit. *Vlit.* Gudius ad Appendic. Phaedri fab. IV. legit

Nam fuit vt laqueis aliquis curracibus vſus.

et latius de hoc loco agit; nec curraces abiiſſe in deſuetudinem probat, ſed ceruino neruo a magiſtris fuiſſe contextos: ita vt *fuit*, ſit hic, poſtquam eſſe coepit vſus laqueorum curracium, iuſſere magiſtri artis eos contexere ceruino neruo. Heinſius, quia in Thuan. legebatur *aliis*, volebat,

 Iam

Ceruino iuſſere magis contexere neruo;
Fraus

Iam ſubit et laqueis alius curracibus vſus.
Gudii lectio placet, quia aliter non videntur ſatis cohaerere ſequentia. *aliquis* vero ne mutetur in *alius*. vid. infr. 380. *Burm.*

laqueis] Horum mentio et in iure. Βρόχοι dicuntur in Baſilicis. Vnde et in S. Scriptura crebrae petitae metaphorae. vt Pſalmo IX, 16. XXX, 5. ſed in Pſalmo IX, 16. melius in ipſo Hebraeo textu, *inciderunt in foueam, quam abſconderunt mihi:* Intellexit enim ſanctiſſimus Regum τὰς ποδοστράβας. Hae enim in foveis occultantur. Vti et Pſalmo CXL. Ἔκρυψαν ὑπερήφανον παγίδα μοι, καὶ σχοινίοις διέτειναν παγίδα τοῖς ποσί μου. Cum quo verbo tenus facit Ierem. locus cap. XVIII. verſ. 22. et Iob. cap. XVIII. verſ. 10. Item Pſalm. XXXV, 7. et LVII, 7. et CXLII, 4. Quibus locis non ſemper podoſtrabas intelligas; ſed nonnumquam et *foueas* ſolas, quae antiquiſſima venationis ſpecies. *Vlit. in Add.* De foueis vide ad Phaedr. I. fab. 17.

curracibus] Turnebus libro XXVI. Aduerſ. capite 19. Epitheton eſſe laqueorum hanc vocem credidit, cui adplicauit Gallicum loquendi morem. Non inepte ſane. Nam *laquei curraces* poſſunt dici, qui currentem ſine difficultate facile ſequuntur, et ita ipſi ob mobilitatem *curraces* eſſe dicuntur. Sed nobis dubium non eſt, de feris ipſis capiendum, quas curraceis laqueis capi poſſe autument. Eam Gratii ſententiam fuiſſe facile nos docebit Manilius, lib. V. Aſtronom. 186.

Mendaceſque parant foueas, laqueoſque tenaces,
Currenteſque feras pedicarum compede nectunt.

De iis igitur feris dicit Gratius, quae non terrentur formidine, ſed perpetuo curſu perrumpunt, ideoque iis laqueos non ſine ſucceſſu poni poſſe, quia curraces, hoc eſt, celeres ſint. *Barth.* Dubito an hanc interpretationem patiatur vox *currax*, quae vagum, et inquietum notat. vt ita *ſeruus currax* non eſt, qui *curſor* vocari ſolet, ſed ſedulus, in omnes partes diſcurrere ſolitus, qui inerti et deſidi opponitur, vel etiam nimiam feſtinationem adfectans, quales in comoediis *currentes* inducuntur ſaepe. Ita *curraces* laquei eſſent, qui ita erant poſiti, vt non vno loco haererent. qui quomodo fierent, neſcire me fateor. an ab ipſius cerui velocitate, an quia ipſi laquei alligati palis currunt
cum

Fraus teget inſidias, habitu mentita ferino.
Quid, qui tentatas iligno robore clauſit
Vena-

cum illaqueatis feris? vt fere Vlitius. Heinſius coniecerat *furacibus*. ſed an hoc pro furtiuis ponere liceat, neſcio. ex Manilii loco, quem Barthius et Vlitius adducunt, ſi *curraces* laquei eſſent illuſtrandi, legendum eſſet,

Currentique feras pedicarum compede nectunt.

ſed nihil muto. *curraces* illos vero *nodos* Gallis dictos huc nihil facere puto: illi enim laxi et alligati palo vel alii rei eſſe, et intrante fera adſtringi, debent intelligi. quare illos aliis interpretandos relinquamus. deinde *ceruino tergo*, malebat Heinſius, et certe huic fauet ſequens *habitus*, vt corii externam ſpeciem notet. ſed nihil mutare melius erit. Vt vero *ceruinos neruos* in laqueis probant, ita et *Taurinos viſcere neruos* intendere ſolebant. Vt Heinſ. ad Claudian. Idyll. II, 38. legit. Haec omnia, quae in deſuetudinem abierunt, obſcuriora. *Burm.*

90. *Magis*] Potius, quam alio. Sic Claudianus hac voce vſus lib. III. de Laud. Stilic. 209.

Seu tibi Dictaeae placuerunt aſtra coronae,
Seu magis aeſtiuo ſedes vicina Leoni.

Barth. Terent. Adelph. IV. III, 15. ad *contumeliam omnia accipiunt magis*, vbi Donatus, *mire additum magis, quum poſſit ſenſus et ſine hoc eſſe integer.* ſed *magis* eſt magis ceruino quam aliis neruis. vid. Nemeſ. 214. et ad Val. Flacc. I, 74. et III, 271. *Burm.*

91. *Habitu*] Appellat *habitum* Gratius odorem ipſum. nam alioqui quae cerui ſpecies in ſolo neruo. *Titius.* An neruis ceruinis habitum ferinum dabit? Vel haec vox mendoſa eſt, vel ante hanc verſum lacunae nota pingenda. *Barth.*

mentita] Notandum paſſiua vi, hoc verbum vſurpari. Antiquos *mentio* et *mentior* dixiſſe auctor Priſcianus lib. VIII. *Barth.* Vid. ad Ouid. X. Met. 28.

92. *Quid, qui*] ſenſus eſt: Vti aliquos laqueis curracibus ſolis, ideoque feram illorum laqueis implicitam nullo relicto fugae ſuae veſtigio, quia palus deeſt, ſaepe in alienas inopinantis manus incidere. Quid, qui igitur *ilignum robur*, i. e. palum pedicis ſuis adhibuit, an non certius agit. *Vlit.* Vtramque mihi improbare videtur Gratius. Neque enim ſatis video, qui iſte palus pedicis adnexus impediret, quo minus praeda in manus inopinantis incideret. *Iohnſ.*

denta-

Venator pedicas? quum diſſimulantibus armis
Saepe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum induſtria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille an proxima Diuos

Mens

dentatas] Stimulis ferreis, quaſi dentibus munitas. *Titius.*

93. *Diſſimulantibus armis*] hic *diſſimulantibus*, pro *diſſimulatis* dictum. Nam illae pedicae terra iniecta teguntur. *Barth.* Ita *diſſimulans vultus* Val. Max. III. IV. Extr. I. *arma diſſimulantia* hic ſunt occulta, latentia, quae clauſa vel cincta ſunt ilicibus. vt ita *claudere* pro cingere mox vſ. 112. *habet* vero referendum, non ad alium, ſed ad eumdem, qui poſuit pedicas; nam Gratius inſtruit illum, et docet varios modos laqueorum. ille ergo, qui pedicas dentatas clauſit iligno robore, ſaepe imprudens, id eſt, neſcius ibi feram eſſe, aut incidiſſe in illas ſine ſuo labore, ab aliis excitatum, lucratur, et ita alieni laboris fructum capit. ita malo cum Barthio explicare. nam abſurdum foret, docere pedicarum genus, vnde alius, quam qui poſuit, lucraretur. poſſet et ita explicari, illas pedicas ita eſſe poſitas, vt, ſi incideret in illas fera, clauderetur ligno quodam ſuper feram cadente, ita vt alius praeteriens neſciret ſub illo, in pedica, feram iacere captam: fateor, haec nondum clara ſatis in luce poſita, ſed genus fuiſſe decipulae puto has pedicas, in quas incidens fera tegeretur ſub iligno operculo. vellem haec magis illuſtrari ingenio aliorum. *Burm.*

96. *Prodidit auctorem*] In Vet. Ed. *condidit*, non *prodidit* exſtat. Quod mihi quidem longe elegantius videtur, qui ſciam, *condendi* verbum ita crebro ab ſcriptoribus poni. *condidit*, id eſt, eſſe fecit, prodidit atque edidit. *Barth. Condidit* poſſet adſtrui ex illis, quae dixit ad Albinou. Eleg. in Druſum vſ. 343. nihil tamen temere nouo. ſic et Ouid. I. Art. 326. *partu proditus auctor erat.* IV. ex Pont. XIII, II. *Prodent auctorum vires.* Burm.

proxima Diuos] Heinſius, *Diuis*; Turnebus, *Diuo*. at nulla mutatione opus. *Iohnſ.* Vindicauimus vulgatam lectionem ad Ouid. I. Art. 139. *Diuis* etiam Scaliger. puer Britan-

nus

Mens fuit, in caecas aciem quae magna tenebras
Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus?
Dic age Pierio, (fas eſt) Diana, miniſtro.
Arcadium ſtat fama ſenem, quem Menalus altor

Et La-

nus ex Plauto locum adductum ſublegit Stephani Theſauro. *Burm.*

97. *Caecas aciem*] *Caeca faciem* Cod. Thuan. ortum vitium ex more librariorum, qui ſolebant *aciem* et *faciem* confundere. vid. ad Ouid. IV. Met. 463. et ad Val. Flac. VI, 297. *Burm.*

magna] Pollens. Nam *magnus* excellentem Latinis ſonat. Claudianus in Bell. Get. 356.

— *ſtat pallidus hoſpite magno Paſtor.*

Plinius Panegyrico. *quodcumque tectum magnus hoſpes impleueris.* Barth. Vid. ad Val. Flac. I, 272.

99. *Fas eſt*] Scilicet vt ſacro vati aperias arcanum hoc. ita ſaepe Ouidius in Faſtis, vt lib. I, 89. et ſeq. lib. IV, 1. VI, 7. et paſſim. *Burm.*

100. *Arcadium ſtat fama ſenem*] Fallor niſi omnino ignotiore nomine Ariſtaeum indicare voluerit, quem *Arcadium magiſtrum* vocauit Maro Georg. IV. *Barth. Stat fama*, id eſt, pertinax penes illum manet. quamquam id verum non ſit. Quod fortean Turnebo ſuboluit, cum *ſcit* reſcriberet. Sed recta locutio eſt, *ſtat fama.* Vlit. Dura haec locutio Cl. Gronouio merito viſa, cuius gemellam nondum inueni. *Vlit. in Add.* Gronovius, *Dat.* Turnebus, *ſcit.* ego tamen nihil temere mutandum cenſeo. *Iohnſ.* Sine dubio verus fuit hic Gronouius coniector, cui acceſſit Heinſius, ad Sil. VII, 398. Et nos confirmauimus ad illa Val. Fl. V, 507. Qualemque dabat te fama, videmus. et ad Ouid. VI. Faſt. 434. in Barthii notis non capio, an voluerit *fama ſtat ſenem* coniungere, vt inde efficiat *penes eum ſtat fama.* Saltem ellipſin ſtatuiſſet. fama ſtat prodidiſſe has artes, vel illum proditum eſſe harum rerum inuentorem ab Induſtria, quam vt deam quandam conſiderat. nam Latine dici, *fama ſtat ſenem*, vt *manet aliquem*, nondum credo. *Scit fama* illuſtramus infr. vſ. 202. *Burm.*

quem Maenalus auctor] Emendatum *altor:* atque ita

Turne-

Et Lacedaemoniae primum vidiſtis Amyclae
Per non adſuetas metantem retia valles,
Dercylon. haud illo quiſquam ſe iuſtior egit,
Aut

Turnebus. *Titius.* Mihi veriſimile eſt ſcripſiſſe Gratium:

— — *quem Maenalus auctorem*

Et.

Vlit. Hanc Turnebi emendationem textui non dubitabam inſerere, contra omnes codices, qui *Auctor* nullo ſenſu habebant. *Iohnſ. Altor* rerum eſt, et ſe probabat Heinſio. vid. Syllog. Epiſt. tom. IV. pag. 289. et 294. Si vero iam fingere liceret Maenalum Lycaonis filium, generis Dercyli auctorem, ille certe hunc vidiſſe non potuit. Sed mons Maenalus, in quo nutritus fuit, eum, more Poëtico, primum vidiſſe recte dicitur, et ita Poëta noſter Maenalo, et Amyclis, vtpote celeberrimis locis, vtitur ad demonſtrandam patriam: millies enim hunc vel illum locum eligunt Poëtae, vt totam regionem deſignent: ſic ſupra vſ. 34. *Cinyphiae paludes*, pro Africa. *Canopus*, pro Aegypto vſ. 43. et vſ. 42. *Bubaſtis.* et 128. *Hebrus*, pro Thracia, et infinita talia, quae congerant, quos puerilis labor iuuat. *Altor* vero hic, vt *Ida altrix* Ouid. IV. Met. 293. et *Saetabis altrix* Silio III, 372. adcommodate Pacuuius apud Varron. de L. L. pag. 69. *Calydonia terra, altrix* exuberantium virorum, vbi Varro Calydonem pro tota Aetolia poni docet. *Burm.*

103. *Dercylon*] Mirum certe accidere poteſt lectori, tot laudibus celebratum, et Deis aequatum virum, non potuiſſe a doctiſſimis viris indagari. Sed ignoratione moris et vſus Poëtici deceptos viros egregios puto; ſolent enim Poëtae ſaepe in nominibus propriis, praeſertim Graecis, filiis nomen patris dare, primitiuum pro patronymico, vt vocant. et ita hic *Dercylum* eſſe dictum a noſtro pro *Dercylide* puto, et laudari celeberrimum illum Laconem *Dercylidon*, cuius in bello Peloponneſiaco tot egregia exſtiterunt facinora, et res pro patria geſtae, et qui Abydo et Lampſaco, quae defecerunt ab Athenienſibus praefuit: Vid. Thucydid. lib. VIII, 61. hunc vero intelligi ſuſpicor, quia a Xenophonte lib. III. Hellen. pag. 481. multum laudatur, et dicitur *ἀνὴρ μάλα μηχανικὸς*, quare et cognominatus fuit Σίσυφος, vir ſolers in inveniendis

Aut fuit in terris diuom obſeruantior alter.

105 Ergo

veniendis machinis, et nouis inſtrumentis: Siſyphum vero vaferrimum fuiſſe notum ſatis eſt. Praeterea Athenaeus lib. XI. cap. 14. pro *Siſypho* eum *Scython* vocatum dicit, niſi hoc corruptum ſit et Siſyphum legendum: nam de eo teſtatur, *ἦν γὰρ οὐδὲν ἐν τῷ τρόπῳ Λακωνικὸν οὐδ' ἁπλοῦν ἔχων, ἀλλὰ πολὺ τὸ πανοῦργον καὶ θηριῶδες. Nihil in eius moribus erat Laconici, aut ſimplicis, ſed multum verſuti et ferini.* Quae omnia optime conueniunt in venatoriae artis peritiſſimum, qui vt in bello nouas machinas inuenit plurimas, ita et in venatu noui generis laqueos, pedicas etc. excogitaſſe fertur. Meminit eius et Polyaen. lib. II. Strateg. cap. 6. vbi pro Δερκυλίδας, alii Δερκυλλίδας volunt ſcribendum. Sed Poëtae licet, credo, metri cauſſa literam exterere. corrupte apud Iuſtin. VI, 1. *Hercyclides* pro *Dercyllide* ſcribitur, ſed hic alius videtur et paullo ſerior aetate. Diuerſus etiam ab hoc, licet forte vt et alter ex eadem gente, eſt *Dercylidas*, item Laco, cuius reſponſum Pyrrho Regi datum, memorat Plutarch. in Apophth. Lacon. pag. 229. Edit. Francof. alii etiam hoc nomine memorantur, vt *Dercylus* Hiſtoricus, ſaepe Plutarcho et aliis laudatus, de quo vide Mauſſac. ad Plutarch. de fluminibus in Hydaſpe, et de quo errantem Micyllum notauimus ad Ouid. III. Metam. 32. *Dercyli* cauponis mentionem facit Ariſtoph. Veſp. vſ. 78. Iam vero Graecorum exemplo noſtrum *Dercylon* pro *Dercylida* poſuiſſe, et iure ſuo et licentia vſum credo: Graeci enim promiſcue ſaepe duplici hoc nomine ſolent vti. Ita Ἀμφιτρύων, pro Ἀμφιτρυωνίδου poſitum docet locus Pindari Od. Nem. IV, 32. vbi Scholiaſtes alia exempla producit, et primitiuis etiam dari formam patronymicam, oſtendit Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 251. Ita Σωκλείδας dicitur, qui Σωκλῆς erat dictus, Pindaro VI. Od. Nem. 35. vbi itidem videndus ſcholiaſtes. et Schmid. ad VI. Olymp. pag. 265. Latinos vero hoc quoque ſibi ius feciſſe patet ex Ouidio, qui VI. Faſt. 235. *Lycaona* dixit pro *Lycaonide*. Hygin. fab. 81. et Sidon. Paneg. Maior. 179. *Oileus* dicitur *Aiax* pro *Oilide*, et apud Ciceron. II. de Orat. 66. *multos Oileos* Antonius dicit: ita *Herodes Atticus*, *Apollonius Molo*, et alii nomine patrum dicti, vt notum. et hinc videmus cauſſam, cur *Eurytion*, eum *Euryto* ſaepe confuſus fuerit,

Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,

Aucto-

ſuerit, in Catalogo Argonautarum. plura exempla proferre poſſemus, ſed intra notarum modum cohibendus eſt impetus. *Valles* vero *non adſuetas* non interpretor, Dercylo antea non viſas, ſed quae antea retia et inſtrumenta illa non viderant, ſed venatores tantum viribus congredientes cum feris. *Burm.*

ſe iuſtior egit] Τὸ *ſe* abundat. Abundat vero *ſe* in plurimis ſcriptorum locis. Caeſar lib. II. de Bell. Ciu. *portis ſe foras erumpunt. Emergere ſe* Manilius lib. IV. Salluſtius. *Omnes homines qui ſeſe ſtudent praeſtare caeteris animantibus.* Barth.

104. *Diuom obſeruantior*] Virgil. *Obſeruantiſſimus aequi.* Barth. Memoriae nimis confidit vir Doctus: apud Virgil. II. Aen. 427. legitur

— — *iuſtiſſimus vnus,*
Qui fuit in Teucris, et ſeruantiſſimus aequi.

Quod imitans Gratius recte mutauit, quia, vt *ſeruare ius, aequum*, et ſimilia dicimus, ita non *ſeruare*, ſed *obſeruare* deos dicimur. *Burm.*

105. *Primis in annis*] Primis illis temporibus. *Vlit.* Malo, ex ipſa iuuentute, vt ex *finxit* manifeſtum eſt. *Iohnſ.*

nemorum Dea] Diana, quae generatim cunctis nemoribus praeeſt. Horat. in carmine ſeculari

Phoebe, Syluarumque potens Diana.

Catullus Carm. XXXIV.

Montium domina vt foret
Syluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum.

Titius. Iupiter etiam cognomine Nemorum Dei cenſetur. Virgil. lib. II. Georg. 15.

— *Nemorumque Ioui quae maxima frondet*
Aeſculus.

Barth. Sed ibi non *Ioui nemorum*, ſed *Aeſculus maxima nemorum, frondet Ioui*, eſſe conſtruendum, docet Seruius: Diana vero paſſim nemorum et montium dea a Poëtis inducitur. Vnde *Regina nemorum* Senec. Hipp. 406. vid. ad Catul. Carm. XXXIV. et infinitos alios. Egregie Lutatius illuſtrat Virgilii locum ad Stat. IV. Theb. 425. *Nemori Latonia cultrix additur:* vbi, ille, *omnis lucus Dianae eſt conſecratus, exceptis quercetis, quae ſunt Ioui.* vt recte legit Barthius. *Burm.*

finxit] Ad ſuas artes. in Vet. Edit. *armis*, non *annis* legitur, quod ego verum eſſe non puto. *Barth.* Sollemnem hanc eſſe librariorum confuſionem

τῶν

Auctoremque operi dignata inſcribere magno,
Iuſſit adire ſuas et pandere gentibus artes.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit:

τῶν primis in annis et *armis* docebunt ea, quae ad Ouid. I. Art. 118. et VIII. Met. 313. et alibi adnotata leguntur. ego hic etiam *annis* praeſero, et cum Iohnſ. de iuuentute prima expono: venatui enim ab ipſa pueritia a Diana fuit initiatus, et ita proluſit bellicae virtuti, et artibus militaribus. *Burm.*

106. *Auctoremque operi*] Alludit ad nomen Dercyli, Δερκύλλω excorio, a frequenti captura ferarum. *adire artes* eſt exercere. *Titius.* Inepta derivatio nominis, cum δερκύλλειν ab Heſych. *αἱμαπoτεῖν* vertatur, et δερμύλλειν alios ſcribere notat Etym. M. Auctor, et pro excoriare ſumi docet. Sed an ita non rectius ſeruis hoc nomen imponeretur? quibus credo hoc relinquebatur. *Burm.*

inſcribere] Translatio a libris, qui nominibus auctorum *praetitulantur*, vt loquitur Hieronymus. *Barth.* Ita *dominus inſcriptus rei* Senec. Epiſt. XCVIII. et Ouid. XV. Met. 128. *inſcripſere Deos ſceleri* et X, 199. *mea dextera leto Inſcribenda tuo eſt.* alia conſtructione Tibull. IV. I, 38.

Vt noſtrum tantis inſcribam nomen in actis.

Burm.

107. *Adire ſuas*] Tanquam myſteria. *Iohnſ.* Heinſius malebat *obire.* ſed *adire*, ipſum ſcilicet, et *pandere* deinde aliis, verius videtur. et recte Iohnſ. cepit. ita Ammian. Marcell. lib. XXII. cap. 16. dixit, diuini *intelligendi aditionem, et praeſenſionum originem.* Burm.

108. *Etiam*] Vet. Ed. *aciem.* Quae lectio non indigna eſt Gratio. *venabula induit aciem, valido dente.* Omnino ita ſcripſiſſe videtur. *Dens* autem poëtis quilibet mucro aut cuſpis. *Barth.* Itaque nulla ante Dercylon venabula fuerunt, ſiquidem ex ſolo ligno conſtare non poſſunt. Sed Plinius lib. VII. cap. 56. Cretenſes dicit venabulum inueniſſe. Varia itaque illa Barthii lectio a mala manu eſt. Cretenſes venabula inuenerunt, et primus ea valido dente induit Dercylos. An ferreo? ita videtur, cum alio iam muniiſſent venabulum ſuum antea Cretes, ſed minus valido. Doctiſſimus Gronouius lib. II. cap. 13. additam venabulo hic, λόγχην τομωτάτου καὶ στεγνοῦ σιδήρου,

Induit: et proni moderatus vulneris iram
Omne

σιδήρου, verbis Pollucis, ex lib. V. cap. 3. Quod hic *valido dente* induere eſt, idem ſtatim erit, *verutis dentibus ſtrictum*. At ſi *veruti dentes*, et *geminae furcae* eaedem, quae antea *morae* ſint, etiam hic validum dentem eſſe cenſeam, qui moris excipit onus. Singulari pro duali poſito, *validi dentes* ſunt, quas *geminas furcas* ſtatim vocat. Ita non primus inuenerit aut praefixerit cuſpide venabula Dercylus, ſed a Cretenſibus inventa. Sed ſi *dentem* pro cuſpide accipimus, ita et *veruti dentes* accipiendi erunt: Hoc ſenſu poteſt legi: *Ille aciem*, quod alias ineptum eſt. *Vlit.* Sed rationem conſtare conſtructioni fuiſſet oſtendendum; et ſi *aciem* voluiſſent ſeruare, legendum foret,

Ille acie validi primus venabula dentis
Induit.

Sed nec hoc praeſtare vulgato temere quis dixerit. ſine dubio a gloſſatore venit, qui *dentem* explicabat per *aciem*. Quae Vlitius ex Gronouii lib. II. Obſ. 13. adducit, fruſtra quaeres in vltima editione, ſed apparent in priore anni 1639. *Burm.*

109. *Proni moderatus*] Elegantiſſime. *Moderari* enim *vulnus* eſt certo ictu, non cum impetu infligere. *Ira* vim inconſultam et impetum vulneris denotat. *Barth.* Deorſum acti. peſſime hunc verſum interpretatus eſt Vlitius, qui per *pronum vulnus* feram prono pectore in telum irruentem ſignificari contendit. *Iohnſ.* Recte, vt puto, Iohnſonius. Ita *pronos* et *ſuccinctos* coniungit Quinctil. II. de Inſtit. Orat. 2. *pronus* venator et paratus ad excipiendum aprum, moderatur iram vulneris, id eſt, non irruit et altum vulnus infligere et adigere meditatur, ſed excipit feram irruentem venabulo: ita *toto pectore pronus* Ouid. IX. Met. 44. et hoc oſtendit Pollux lib. V. §. 22. qui ſtatum tenentis venabulum contra Aprum, dicit eſſe debere, vt ſiniſtro pede praepoſito, dextro poſtpoſito, ſtet venator, et ita prono ſit corpore, contra alias vero feras, magis rectus ſtet. quia illae inſiliant venatorem, aper vero irruat: ſi autem ſaliat, enſem eſſe ſtringendum, et ſupponendum addit: *pronum* ergo *vulnus* Poëtice pro prono homine, qui vt vulnus inferat paratus ſtat ad excipiendam venabulo feram, non vero praeceps eſt ad inferendum ſponte vulnus, ſed exſpectat irruentem. *Pronum vulnus* videtur

Omne moris excepit onus. tum ſtricta verutis
Denti-

detur dictum, vt *deſcendere* dicitur vulnus et ipſum telum, de quo vide ad Ouid. III. Met. 67. *Moderari* vero *iram*, vt apud Sueton. Aug. cap. 13. *Succeſſum victoriae moderari.* *Temperare iras* dixit Maro I, 57. de Aeolo ventos cohibente. *Ira* vero hic eſt, quam poſtea *impetum* vſ. 123. vocat. *Burm.*

110. *Moris*] id eſt extantibus vtrinque alis moratus eſt feram, ne totum ſubiret venabulum. Dicit Gratius, hunc primum adinueniſſe duas illas furculas, quae circa medium fere cuſpidis vtrinque prominent. Κνώδοντας vocavit Xenophon. Mora illa eſt, quam in ingreſſu κνώδοντες ſiue dentalia habent. Non aliter quam ſi quis enſe transadigat quidquam capulo tenus, ipſe capulus moretur et ſiſtat impetum. Silius lib. I, 515. *ſimul exigit enſem Qua capuli ſtatuere morae.* Contrariae his ſunt, quas in extrahendo ſagittae habent. Lucanus lib. VI, 216.

Ille moras ferri, neruorum et vincula rupit,
Affixam euellens, oculo pendente, ſagittam.

Vlit. Προβολὰς vocat Heſychius, atque inde προβόλιον. quod illi eſt, σιβύνη ἔχουσα μετὰ τὴν ἀκμὴν προβολάς. Eleganter Naſo lib. II. Amor. Eleg. XI. *conchas bibuloſue lapillos*, *bibuli litoris moram* vocat, quaſi vndas morentur. Quod autem *apros excipi* obſeruaui, inueni et apud Flaccum lib. III. Od. 12. *latitantem fruticeto excipere aprum.* Et apud Ammianum lib. vlt. *ſi qui adultus aprum exceperit.* Ad hoc valido niſu firmoque gradu venatori opus eſt. *Vlit. in Add.* Heinſ. malebat *toris*, quaſi fuerit toroſus vir, et inde fortis Dercylus, vt de Hercule et Milone multis ad Ouid. XV. Met. 230. ſed *morae*, vt explicat Vlitius, magis placent. Licet quaedam exempla, quae adducit, non ſatis apta legerit: nam apud Ouidium: *litoris mora* eſt, vbi Puellae morari debent, vt legant conchas, non vltra progredi: ex Vlitii ſenſu dixiſſe debuiſſet, *aequoris illa mora eſt.* In Lucani quoque loco *Moras ferri rumpens*, eſt membra ſiue partes, vel oſſa capitis, quae morabantur ſagittam, ne altius penetraret, rumpens, et euellens ſagittam. nihil haec ad moras illas ſiue furcas, ſiue in ſagittis contrarios, vt puto, hamos intelligens Vlitius. Ita lib. IV, 762. *nec profuit vlli Cornipedis rupiſſe*

Dentibus et geminas ſubiere haſtilia furcas.
Et qui-

piſſe moras; id eſt, equis euntibus in hoſtes obſtantia rupiſſe. *Burm.*

excepit onus] Impetum ferae ſauciae in venatorem ruentis ſua mora ſuſtinuit, quod alae in venabulo praeſtant. *Titius.* Artis huius vocabulum eſt, quam in venabulo tenendo egregie inſtruxit Xenophon cap. 27. et ab eo Pollux lib. V. cap. 4. et proprie quidem ad excipiendos apros. *Vlit.*

onus] Omne negotium venatorium. Quod graue erat, mora vero et ingenio leue redditum eſt. *Barth.* Immo *onus* eſt feram irruentem, quam ſuſtinet, et moratur, vt recte Titius expoſuit. *Burm.*

ſtricta verutis] *Veruti denteis* dicuntur mucrones inſtar veruum vna cuſpide prominentes. Nam *veru* eſt telum vnius et rectae cuſpidis. Illa vero non inelegans phraſis eſt, *ſubiere in furcas*, pro in eas mutata ſunt. *Barth.* *Veruti dentes* recte exponuntur cuſpides longiores et tenues, quales erant in verubus. *verutos Volſcos* Scalig. in Epiſt. ad Lipſium tom. I. Syllog. pag. 239. κεϛροφόρȣς explicabat. obſcuriora vero haec ſunt Gratii verba, quae ego ita conſtruenda eſſe arbitror et explicanda: tum haſtilia verutis dentibus (vt *venabula lato ferro*, et ſimilia obuia) fuere ſtricta, (vel *ſtructa*, licet prius praeferam) et ſubiere geminas furcas. nam variatio illa conſtructionis, ſi repetas ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃ *ſubiere*, vix hoc loco placere poteſt: ſenſus autem eſt. tum haſtilia (id eſt ligna venabuli) dentibus verutis, fuere ſtricta; et deinde ligna illa ſubiere furcas geminas, id eſt fuere ſub furcis, quae in parte ſuperiore poſt dentes verutos fuere poſitae, et quas ſubiere, id eſt inferiora fuere, haſtilia. Quae clariora credo eſſe, quam perplexae illae interpretationes. *dentes veruti*, ſunt *longum* illud *roſtrum*, quod Martialis dat venabulo. lib. XIV. Epigr. 31. *ſtricta* vero ſeparatim capiendum, non coniungendum cum *verutis dentibus.* vt ita *ſtrictae manus*, *vngues*, etc. quae parata ſunt, armata ad laedendum et pugnam, de quo vid. ad Ouid. I. Amor. VI, 14. ita *ſetae ſtrictae* in ſue apud Stat. XI. Theb. 531. poſſet et *ſtricta* pro *deſtricta* ſumi, vt mox 119. et 144. tunc *haſtilia* deſtricta dentibus verutis fuere. nam abſurde Iohnſ. hic, *haſtilia ſtricta cortice*, explicat. inductus credo vſ. 119. vbi *deſtrictae cortice virgae*, ſed non *virgae deſtricta cortice* dicuntur. Qui melius

Et quidem totos clauſerunt enſibus orbes,
Ne ceſ-

melius expoſuerit, vates eſto felicior. ſed *in furcas ſubiere*, vt Barthius vult, an notare poſſit, mutata ſunt in furcas, dubito, et auctoris menti repugnare puto, qui non haſtilia mutata in furcas, ſed illas in ſuperiori haſtilium parte additas vult. praeterea, quaenam ſunt illa, quae ſtricta ſunt dentibus, et ſubiere in furcas? certe haſtilia: ſed illa manſerunt, et ligna illa venabuli, veruto dente iam armata, accepere poſt cuſpidem ab vtraque parte geminas furcas, quae vt *geminae ſecures* ſupr. vſ. 66. ancipites erant, et duplex vulnus infligere exceptae ferae poterant. Et talia haſtilia Vlitius in titulo Gratio ſui inter alia expreſſit. Heinſius tentabat, *tum ſtricta veruti;* vel *veruta; dentibus et geminis ſubiere haſtilia furcas*. Sed haec vix capio. In Codice Thuaneo etiam *furca* reperit Doruilius, vt legi poſſet, *et gemina ſubiere haſtilia furca*. vt litera *s* adhaeſerit voci, a ſequentis *ſubiere* prima, et ſi ita legatur, ita conſtrue, *tum haſtilia gemina furca* (eodem modo vt *haſtilia verutis dentibus* explicabam) ſubiere, id eſt ſucceſſere, poſtea inuenta fuere, et in vſum recepta. vt ita Ouid. I. Met. 114. *ſubiit argentea proles*. et tunc poſſet etiam legi, *geminis ſubiere haſtilia furcis*. quicquid ſit, haec puto tolerabiliora eſſe iis, quae tentabat Barthius. et recte Vlitius credit, aliud genus venabuli, quam quod lato erat ferro, intelligi, quod longa et tereti eſſet cuſpide, et munitum duabus furcis ſub cuſpide illa veruta: et hoc genus ſucceſſiſſe illi valido denti, quo Dercylus armauerat antea venabulum. arbitrium eſto penes eruditos. *Burm.*

112. *Totos clauſerunt enſibus orbes*] Rotunditatem haſtilium vndique paruis gladiis muniuerunt. *Titius*. Vetus Codex, vt teſtatur Pithoeus, habuit *notis*. Ait Gratius, quosdam tot cuſpides telo vni praefixiſſe, vt in orbem viſi ſint eos totum diſpoſuiſſe. *Barth*. Deſcribit hic nobis εὐρυκάρηνα προβόλια, quae poſt exſertam aciei longitudinem ferreum orbiculum, ſiue obeliſcum latiſſimum furcarum loco habent. *Totos clauſerunt enſibus orbes*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, totis clauſerunt orbibus enſes. Τὸ *enſibus* tertii caſus eſt, vel pro *in enſibus*. *Claudere* eſt circumdare. *Toti orbes* ſunt, qui enſes ſiue cuſpides totas circumeunt, cum furcae tantum ab vno et altero latere exſtant. Orbes autem aliqui harum

Ne ceſſaret iners in vulnere maſſa ferino.

Blandi-

harum loco adhibuerunt, vt eo validius irruentem feram exciperent, et maſſa tota illa certius onus ſuſtineret. *Vlit.* Obſcuriora haec fateor, neque admodum ſatisfaciunt interpretes, ego timide et cum veniae praefatione dicam, quid de hac *maſſa inerti* ſentiam. Dercylum primum inueniſſe dicit moras, id eſt poſt cuſpidem in ligno ſiue haſtili, circulum quemdam vel orbem, qui vulneratam feram cuſpide venabuli moraretur, ne penetrante toto venabulo per corpus ferae, periculum aliquod venatori a fera vulnerata, et quae totum telum receperat, naſceretur. poſtea inuentas fuiſſe geminas furcas, quae non modo morarentur feram cuſpide ictam, ſed et alio vulnere laederent. his non contentos alios poſt cuſpidem addidiſſe circumpoſitam haſtili maſſam illam, ſiue orbem ligneum vel ferreum, et multis minoribus cuſpidibus, quos *enſes* vocat, muniuiſſe, et ita irruenti ferae et cuſpide iam percuſſae, ſi penetrare vlterius vellet, plura ſimul vulnera infligerentur. *iners* ergo erat prima illa maſſa, cum ſola et nuda ſine cuſpidibus erat, nec inſeruiebat vlli rei, niſi vt moraretur feram, quae ad moram illam vſque, cuſpidem ſiue verutum dentem corpore receperat, ſed ceſſabat, et nihil vlterius operabatur. Gratius vero monet duas furcas illas, ſub dente venabula ſufficere, quia et illae morari, et geminum praeterea vulnus ferae poſſunt imponere: nec debere aliquem, ſolo inductum nouitatis ſtudio, illum orbem ſiue maſſam tot cuſpidibus armare, quaſi plura vulnera plus efficerent, duobus a furca inflictis: nam et nimio et exiguo peccari. exiguo peccabat nuda et iners maſſa, nimio peccabat maſſa tot enſibus armata, medium tenent duae furcae, quae ſufficiunt. ſed hoc eſſe, addit ingenium hominum, vt, licet vſus et experientia doceant, quaedam ſufficere, ſemper tamen expertis aliquid addere velit, blandiente inuentionis gloria, *quae noua ſemper amat, et mox poſſeſſa relinquit*; vt in alia re Petronius cap. 120. *ibidem* vero explicarem, in hac re, quam tracto, et coniungerem cum Vlitio ſequentibus, *exiguo nimioque nocent* ſc. *blandimenta nouitatis.* aeque ergo in venabuli ſtructura dicit peccare, qui ſolam et nudam maſſam circumponunt haſtili, atque eos, qui pluribus enſibus armant; et licet

proprie

Blandimenta vagae fugies nouitatis; ibidem
Exiguo nimioue nocent. ſed lubricus errat
Mos, et ab expertis feſtinant vſibus omnes.
Quid, Macetûm immenſos libeat ſi dicere contos,

Quam

proprie *ibidem* de eodem loco dicatur, vt apud Terent. Andr. IV, 4. *te ibidem prouoluam in luto*, id eſt in eadem via. et Virg. I. Aeneid. 115. aſt *illam fluctus ibidem torquet*, quia tamen *ibi* etiam ſaepe de re dicatur, vt Terent. Heaut. III. 1. *Subſenſi*, *illos ibi eſſe*, et alibi, nihil obſtet, quo minus hic *ibidem* ita capiamus. *Burm.*

112. *Totos*] *Notis* Cod. Thu. in quibus et vox *orbes* deerat. Scaliger volebat, *clauſerunt orbibus enſes.* Sed enſes clauſi orbibus, quid nocere feris poſſint, non video. Licet ita per figuram etiam explicet Vlitius, et *claudere* pro cingere, ambire capiat: hoc recte, illud nimis improprie et duriter. Cum in vulgata lectione nihil duri ſit, etſi *claudere* pro cingere, munire capias: vt *claudere ſiluas*, *feras* et ſimilia, de quibus vid. ad vſ. 49. et 91. ſimilis locutio et in alia re, inf. 141.

Aſpretis medius qua clauditur orbis.

Vbi orbis eſt locus, in quo creditur cubile ferae, vndique cinctus aſpretis; ita hic *orbis*, rotunda maſſa, enſibus clauſa et circumdata eſt. *Burm.*

113. *Maſſa*] *Maſſam* vocat totum illud ferrum, quod vulneri infligendo per ſe ineptum eſt; ſed tantummodo feram ſauciam diſtinet, ne per contum ad venatorem peruadat. *Titius. Maſſam* videtur inertem appellare clauam illam ſiue ligneum telum, cui infixae fuerint tot cuſpides. Quod *ne ceſſaret*, hoc eſt, vllo modo finem vulnerandi faceret, tot in orbem mucronibus ſuffixum erat. *Barth.*

115. *Exiguo nimioue*] Venationi inepta ſunt haſtilia, quibus vel nimia, vel perexigua ſit cuſpis. *Iohnſ.*

lubricus errat] *Errat* hic eſt non conſtitit, non acquieſcit inuentis et vſu probatis: ita *errat amor* Ouid. II. Am. X, 9. et alibi ſaepe. *Burm.*

116. *Feſtinant vſibus omnes*] Diſcedunt, abeunt a recto vſu. *Titius.*

117. *Immenſos libeat ſi dicere contos*] Sariſſas Macedonicas; quarum ingens proditur fuiſſe longitudo. *Titius.* Longiſſimos. Hoc enim valet *immenſi* non raro vox. Clau-

E 4 dianus

Quam longa exigui ſpicant haſtilia dentes?
Aut contra vt tenero deſtrictas cortice virgas
Praegrauat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia

dianus de haſta Martis, Conſ. Olyb. 122.

— *immenſaque cornus in hoſtem,*
Porrigitur, tremuliſque ferit ſplendoribus Hebrum.

118. *Spicant haſtilia*] Cuſpidant, in modum ſpicarum armant ferro inſerto. Virgil. I. Georg. 192.

— *ferroque faces inſpicat acuto.*

Titius. Vetus verbum *ſpicare.* Nam *ſpicum* dicebant, quod nunc frequentius *ſpiculum* perhibetur. Hinc *ſpicare* eſt adfigere ſpiculum. *Barth.* Aliud eſt *inſpicare faces*, de quo egit infra Vlitius ad vſ. 484. aliud *ſpicare* hoc loco, quod nihil aliud notat, niſi in dentes acutos exire haſtilia, ſiue ſariſſas illas Macedonicas. *Burm.*

119. *Vt*] *In* Cod. Thu. ego abeſſe malim: vt ſupr. 75. *decerptae vulture plumae:* repeti debet *quam tenero*, cuius locum tamen *vt* tueri ſatis poteſt. *Burm.*

virgas] Sic tenues haſtas alii etiam *virgas* vocant. ῥάβδους Graeci. Claudianus lib. I. de Laudibus Stiliconis 65.

Quis Stilicone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virga transfigere tigres.

Barth. Sed in Claudiani loco *virgatas figere tigres*, legendum docuerunt interpretes. tenero cortice deſtrictas interpretor, ex arboribus nondum validis et duro cortice obductis, ſed tenero et molli adhuc. *Burm.*

120. *Liuania cultro*] Ignota mihi regio, ignoti populi. *Titius.* *Atbania* legendum coniecit Turnebus, cum ex autographo primae editiones habeant, *Liuania.* Quod *Lucaniam* ex ſuo cod. ſuppoſuerit Pithoeus, vereor, ne ἀνιςώρητον ſit. Nam de iis nihil tale quid memoriae proditum eſt. At Albani celeberrimi antiquitus venatores, et canes eorum ab omnibus fere celebrati. *Vlit.* Recte Pithoeana habebat, *Lucania.* Nam ita in MS. Thuanaeo. Venatu autem celebres fuiſſe Lucanos poſtliminio me docuit Papinius Theb. VIII, 532.

Qualis ſetigeram Lucana cuſpide frontem
Strictus aper.

Iuſtinus lib. XXIII. cap. I. de ipſis

Omnia tela modi melius finxere ſalubris.
Quo-

ipſis Lucanis: *Quippe ab initio pubertatis in ſiluis inter paſtores habebantur. Cibus his praeda venatica.* Vlit. *in Add.* Quia hic de venabulo agitur, de Apris Lucanis conſulendus Barth. ad Stat. VIII, 532. quem locum recte Vlitius adduxit: adde Horat. II. Sat. IX, 6. vbi *Lucanus aper* captus memoratur. *Burm.*

cultro] *Cultrum, enſes, dentes* pro iisdem ponit, nimirum cuſpide vel acumine modo longiore, modo breuiore. Vide Salmaſ. de Cruce. p. 338. vbi et Graecis μάχαιραν eſſe ferrum lanceae docet. *Burm.*

121. *Omnia tela modi*] Id eſt, temperata mediocritas. Plin. Lib. I. Epiſt. vlt. *Si praediolum iſtud tam ſalubriter emerit, vt poenitentiae locum non relinquat.* Ita iuſto et temperato pretio, vt neque emptori nimium, neque venditori minus videatur. lib. VI. Epiſt. 30. *Attendimus ergo, vt quam ſaluberrime reficiantur. Salubres modi* hic ſunt, cum telum neque exiguo, vt Macedonicum, dente *leue* nimium *vulnus* ſtringat: neque ingenti, vt Albanicum, cultro iaculantis impetum corripiat, et grauitate ſua citius terram verſus declinet. *Vlitius.* Mediocres recte expoſui. ſic Suetonius de Auguſto cap. 42. *Sed vt ſalubrem magis, quam ambitioſum Principem ſcires.* Id eſt moderantem beneficia ſua, medium inter auarum et prodigum. *Idem in Add.* Vlitius exponit temperatos. et Plinium ſuum mellitiſſimum trahit in partes, inuitum ſiquid ego ſentio. *Iohnſ.* Non male *mediocres* exponit Vlitius *ſalubres*: licet enim id non natura ſua notet, ſed vtiles, commodos; tamen inde illa ſignificatio ſponte fluit, et ita in Suetonii loco Auguſtus Saluber princeps, id eſt vtilis reipublicae, legibus et etiam exemplo ſuo dicitur, et ita *ſalubre pretium*, eſt quod vtile eſt, nec arcae graue, et ideo etiam modum non excedit, ſed medium eſt inter *vile* et *inſanum*, vt alii loquuntur paſſim, ita Heinſ. ex Codice S. Germ. apud Columell. VII, 3. reſcripſit. *Cicercula ſumptuoſior eſt, quam vt ſuburbanis regionibus ſalubri pretio poſſit praeberi.* vbi olim *exiguo pretio* legebatur. in Cod. erat *ſalubri potio.* mox ſumptuoſitati opponit *vilitatem.* ſic *ſalubriter paſci* idem VIII, 10. et ſalubre pretium Martiali X. Ep. 104. reddidit Scriuerius. vt ergo ſupra dixit vſ. 115. de haſtilibus armandis, *exiguo nimioque* nocent, et ideo inutilia fieri haſtilia, quae modum excedunt

Quocirca et iaculis habilem perpendimus vſum:

Neu

dunt, aut intra eum fiunt, ſic mediocria etiam iacula probat. non eſt ergo, quod Iohnſ. cavilletur, et Plinium perperam a Vlitio adductum dicat, qui *ſalubriter emtum* explicat iuſto et temperato pretio, quod verum eſt, licet magis vtile ſit emtori, quam venditori. male quoque videtur Iohnſ. in ſeq. nota haec verba conſtruxiſſe, vt ſit *modi ſalubres melius finxerunt omnia tela*, quod neſcio, an alicui placere poſſet. an enim modi, et ii ſalubres, fingunt tela? cum homines vel periti rei venaticae intelligendi ſunt, qui finxerunt tela modi ſalubris, id eſt, quae ſunt mediocria, et habilia, et ita vidimus iam ante vſ. 25. 26. ſub verbo nude poſito ſubintelligi homines etc. quamquam, ſi mei arbitrii res eſſet, malim legere.

Omnia tela modi melius finxiſſe ſalubris.

vt dictum ſit quemadmodum apud Terent. Adelph. II, 1.

Ante aedes non feciſſe conuicium, erit melius.

Burm.

122. Quocirca] Ad haec verba ſic Gronouius Obſeru. L. II. c. 13. Quid ſit hic *perpendere vſum habilem iaculis*, aut vbicunque ſit, iuxta intelligo. Suſpicor fuiſſe

Quocirca et iaculis habiles praebebimus vſum,
Ni leue vulnus eat, neu ſit breuis impetus illi.

Etiam iaculo habili inſtructi venationi vtiles erimus, modo ne ſit tale iaculum, quod nimis aut leue vulnus faciat, aut impetum per breue ſpatium perferat. Modum armis Venatoriis praeſcripſerat, eum et in iaculis exigit. Vide tamen, annon verbis, vt nunc ſunt, non inconcinnus inſit ſenſus. Quia itaque modus omnia tela melius fingit, idcirco librando examinamus vſum iaculis accommodum, eo fine, vt nec leue vulnus eat, nec ſit breuis impetus illi. Nempe vulneri. *Vulnus* enim pro telo vulnifico poni videtur, vt v. 109. *Iohnſ.* Senſum, quem Iohnſ. his verbis adfingit, ego minime inde conficere poſſum: nihil enim de libratione teli aut praeceſſit aut ſequitur: neque de eo agit Poëta, aut erudire vult modum iacula mittendi. ſed de modo iaculorum ad venatum eligendorum agit. in voce *perpendimus* vero nihil eſt, quod ad librationem poteſt trahi, cum tantum diligens examen et diſquiſitionem notet

Neu leue vulnus eat, neu ſit breuis impetus illi.

Ipſa

tet, quam in legendis iaculis vult adhiberi: et capiendum in praeterito; expertus enim Auctor loquitur, et ideo dicit, ſe omnibus perpenſis, vt in haſtilibus, ita in iaculis habilem vſum, non grauem aut difficilem probare: fatendum tamen, durius eſſe loquendi genus. Sed noſtrum abſtruſis locutionibus indulgere Vlitius ſupr. ad vſ. 112. et alibi recte notauit. ſi liceret *praependimus* legere, pro praeferimus, praeponimus, clarior eſſet ſententia, ſed hoc verbum auctoritate caret. Gronouii *praebebimus* ſatisfacere quidem poterit, ſed aequo iure aliud verbum vnuſquiſque poterit ſupponere, vt *praeſcribimus* vel *praeſcripſimus*; praeterea *habilem vſum iaculis* dictum videri poteſt pro *habilia iacula vſui*, id eſt, apta, accommoda. vt ita *habilem currum* Ouid. II. Met. 531. vt legendum eſſe oſtendimus, et multis exemplis adſtruximus. Et ita Nemeſ. Cyn. 148. *habilem orbem*, vbi recte Barthius explicat. et hoc *iaculabile telum* Ouid. VII. Met. 680. vocat. *Vſum* certe *habilem iaculis* vix alium reperies, cum *habiliter vti* ſit obuium, vt Mela III, 7. *habiliter et facile vti elephantis* dixit: poſſet tamen et *iaculis* eſſe poſitum pro iaculorum, vt mox vſ. 127. *diſce dilectum omnem haſtilibus*, pro *haſtilium*. Offendit praeterea Iohnſonium impetus *illi*, cum *iaculis* praeceſſerit. et ideo ad vulnus refert, quod capit pro telo vulnifico, vt vſ. 109. at ibi de homine vulnus infligente agitur. deinde ad iacula referendum patet ex Tibull. IV. I, 96.

Siue hac, ſiue illac veniat grauis impetus haſtae.

Facilius ergo fuiſſet legere *illis*. ſed nec hoc opus. Gratium enim qui legerit, deprehendit ſine dubio illum a plurali ad ſingularem, et contra, ſaepe tranſire. inf. 518. cum dixiſſet *Parthis* (*equis*) *manſit honor*, continuo ſubiicit, *veniat Caudini ſaxa Tiburni*. vbi vide alia exempla. Horat. IV. Od. 6.

Neſcios fari pueros Achiuis
Vreret flammis: etiam latentem
Matris in aluo.

An ibi contra codices legendum *latentes*, vt ſatisfaciat hodiernis grammaticis? nec cauſſa erat, vt numerus conueniret apud eumdem lib. III. Od. XII, 17.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Maiorumque fames.

legere

Ipſa arcu Lyciaque ſuas Diana pharetra
Armauit comites; ne tela relinquite Diuae,
Magnum opus et volucres quondam fecere ſagittae.

Diſce

legere *creſcentes pecunias.* nam ibi a ſingulari tranſit ad pluralem contrario, vt hic, modo. vid. quae notauimus ad Quinctil. lib. IX. cap. 2. idem Horat. I. Od. XXXIV, 13.

Inſigne attenuat Deus, obſcura promens.

Sed modus non eſſet, huius licentiae exempla ſi proferre vellem, quae ad manum ſunt. *Burm.*

123. *Breuis*] Breuior iuſto. Sic ſupra vſ. 115. *exiguum* pro nimis curto vſurpauit. *Barth.*

124. *Lycia pharetra*] Barth. ad Stat. VI. Theb. 645. ex Virgilii Aen. VIII, 618. Lyciam pharetram illuſtrauit, et explicuit aeque praeſtantem ac Lyciam. et ita veteres Grammatici. ſed Gratium credo ideo eius meminiſſe, et vſum eius commendaſſe, quia modica et habilis erat, ideoque Dianae et Camillae, vt virginibus datur, cum graues Diis et Heroibus conuenirent. *Burm.*

126. *Volucres fecere ſagittas*] Ad differentiam telorum, quae manibus retinentur; *volucres* autem propter pinnas, quae ſagittis induuntur, ad motum accelerandum, et ad directionem. inde πτέρυγες. Sic etiam Oppianus καὶ εὔπτερον ὠκὺν ὀϊστόν. *Titius.* Neſcio, vnde hauſerit Iohnſ. lectionem nouam, *ſagittae*, cum omnes editi habeant *ſagittas*: in Pithoei quoque et Barthii editione haec (*Ne tela relinquite diuae Magnum opus*) incluſa parentheſi, et ita expreſſit Vlitius. In Thuan. Codice *volucres quondam eam facere ſagittae.* Heinſius ſublata parentheſi volebat

— Ne tela relinquite Diuae;
Magnum opus, et volucres quondam exacuere ſagittae.

Ego neſcio, an non reſpiciat hic Poëta ad Herculem, qui volucribus ſagittis fecit quondam magnum opus, id eſt venatum, quem *magnum opus* paſſim noſter dicit: ſic et poſtea Herculeis ſagittis petitur Philoctetes apud Ouid. XIII. Met. 53.

Velaturque aliturque auibus, volucreſque petendo
Debita Troianis exercet ſpicula fatis.

ſcio quidem, multos tradere Herculem Stymphalidas fugaſſe crepitaculis. Sed ſagittis petiiſſe, et ab ipſo coelo in terram

Diſce agedum et validis delectum haſtilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, et vmbroſae Veneris per litora myrtus,
Taxique,

terram detuliſſe alii tradunt: Senec. Herc. Fur. 243.

Solitaſque pennis condere obductis diem
Petiit ab ipſis nubibus Stymphalidas.

Herc. Oet. 1236.

— — *tenſus hac arcus manu*
Aſtris ab ipſis detulit Stymphalidas.

Vid. Catull. LXIX, 113. et ad Hygin. fab. XX. et XXX. et Scriuer. ad Martial. IX. 101. *Volucres* vero *ſagittas* dicit exemplo Virgilii, quem Manilius et alii imitati paſſim. ſic *volare tela* et ſimilia dici vidimus ad Val. Flac. VII, 631. Herculis vero exemplo etiam vſus eſt ſupra vſ. 68. ſenſus vero optimus exoritur, ſi *Divae* caſu datiuo ſumatur, et ita explicetur: ne ſoli Dianae relinquite ſagittas, (*tela* enim pro ſagittis ponit, vt paſſim) ſed et vos eas adhibete in venatu, quia et Herculis ſagittae volucres, non tantum miſſilia, et iacula, fecere magnum opus, id eſt venatui vtiliſſima ſunt. ita apud Ouid. XII. Met. 476. *Bella relinque viris.* vbi et *tela* in Medicaeo codice, et lib. VI, 687. *quid enim mea tela reliqui?* Martial. I, 5. *ceruos relinquant Villici.* Burm.

127. *Delectum*] Nempe arborum, ex quibus fiant haſtilia. *Iohnſ. Dilectum* Cod. Thuan. Vid. ad Ouid. X. Met. 324. *omne* etiam Thuan. *Burm.*

128. *Hebri*] Heinſ. mallet *Haemi.* nec male, vt puto: vide de ſimili confuſione ad illa Valer. Flac. II, 511.

Qualis vbi a gelidi Boreas conuallibus Hebri
Tollitur.

Aliter *valles fluuiorum* dici vidimus ad Ouid. II. Met. 256. ſed hic *Hebrum* pro Thracia potuit ponere, vt alias fieri vidimus ſupra ad vſ. 100. *Burm.*

129. *Cornus*] *Cornumque ſonantem* pro haſta poſuere et Silius lib. XIII. et Claudianus I. in Rufin. bis. Quare εὐςόχως Naſoni a me reſtitutum olim *cornum*, pro corneo iaculo. Cui ipſi ſubſcribit optimus eius Editor Heinſius. *Vlit.* in *Add.* Vide Epiſtolam Vlitii ad Heinſ. in Sylloge noſtra t. III. p. 720. *Burm.*

Veneris per littora myrtus] quia Venus vmbris gaudet. *Littora* autem *Veneris* Cyprum vocat.

Taxique, pinuſque, Altinateſque geniſtae,
Et ma-

vocat. Quam vmbroſis locis conſitam agnoſcit Claudianus Nupt. Hon. *Barth.* Seruius ad initium lib. III. Aeneid. 23. vbi eſt *denſis haſtilibus horrida myrtus*, *vmbroſum* interpretatur. Et quod per *Veneris litora* myrtum ex Cypro videtur laudare, exemplo caret: Niſi potius hic ordo verborum ſit: *et Veneris myrtus* (plurium numero, *ἀρχαϊκῶς vmbroſae per litora.* Veneri dicatum myrtum omnes ſciunt. *Vlit. Myrtus*, quartae declinationis Arbor Veneri ſacra ripis gaudens. *Iohnſ.* De myrtis et virgis myrteis videndae notae ad Valer. Flacc. III, 524. ſed qui hic *myrtus vmbroſas* dicere volunt, oſtendere prius debuiſſent, quarta declinatione dici *myrtus.* quod cum adhuc ignorem, ego *Veneris vmbroſae litora* explicare malim de templo aliquo Veneris, quod luco vel nemore obumbratur. certe nemo facile negauerit, id fuiſſe moris, vt circa templa nemora eſſent; de Veneris ſede in Cypro id clare Claudian. de Nupt. Honor. vſ. 62. inter alia canit.

Vmbroſumque nemus quo non admittitur vmbra.

Quem locum innuere Barthium credo, ſed hoc obuium. Myrtum autem vmbroſam, certe ex Gratii ſententia, quam mox vſ. 140. promit, dici non poſſe putem, cum denſae ſeri ſoleant, non vt vmbram facerent, ſed vt rami depoſiti denſos et craſſos truncos ederent, vtiles haſtilibus. vid. Plin. XVII. cap. 12. nec in Virgilii loco, *denſis haſtilibus horridam myrtum*, explicarem cum Seruio vmbroſam, ſed quae horrorem incuteret, vel quae intonſa et ideo horrida erat; ad Cyprum vero abire hinc nollem, quia neſcio, an ibi praecipue et tam feciliter Myrtus proueniat, vt eo reſpiciat Poëta, qui in Italia obuiam ſciebat ad litora creſcere arborem, quare locum viciniorem quaerendum eſſe puto, qui Veneris templo et nemore inſignis fuit. Quid ſi Aphrodiſium, non longe ab Antio intellexerit? quid ſi Veneris templum ad lacum Lucrinum, circa quem omnia loca viridibus et amoenis ſilvis erant plena? certe Baias vocat Martial. XV. Epig. 18. *litus beatae Veneris aureum.* vide de Lucrina Venere ad Stat. III. Silu. I, 151. et ad Sil. XIV, 410. eruditorum adnotationes. et hinc inter Campaniae loca Stat. V. Silu. III, 164. *Veneri ploratam domum* ponit. poſſet et lucus Maricae intelligi, qui ad litus, quod amant myrti, erat, et vbi templum

Et magis incomptus operae Lutoſer agreſtis Termes,

plum Veneris, cui inſcriptum Νῆον τῆς Ἀφροδίτης, teſte Servio ad Virg. II. Aen. 47. et hinc *vmbroſa* Marica dicitur Lucano II, 424. poſſet quidem pro *myrto vmbroſa* adduci locus Claudian. de Bell. Get. 319. Vbi *vmbroſa oliua* dicitur, ſed hanc vmbroſiorem eſſe myrto crediderim. Heinſius malebat hic legere *Ambraciae Veneris*, ſed nec inde petere tela ſua venatorem iuſſiſſe Gratium eſt vero ſimile, cum in propinquo ad manum eſſet materia. *Burm.*

130. *Taxique*] Silius quoque *taxum* pro iaculo poſuit lib. XIII. *auras ſecat Itala taxus.* Vlit. in Add.

Altinateſque geniſtae] Mirum, quod hic dicitur de geniſtis in vſum venabulorum, et quidem validorum, cum τȣ̃ *lentae* atque *humiles* epitheto fuerint affectae a Marone. *Titius.* Genus fruticis illa quidem; inter arbores vero numeratur a Plinio, et nonnullis in locis credibile eſt, eam ad inſtar arboris excreſcere. *Iohnſ.* Cod. Thuan. *geneſtae*, et ita alibi MSS. et editi Codices exhibent. vt in peruigilio Veneris vſ. 80. apud Pallad. Febr. tit. XXIII. Martial. I, 44. vid. ad Calp. I. Ecl. 5. ſed de eo minus laboramus; maior difficultas ſuboritur, quam mouerunt, ſed leui manu ſoluerunt Titius et Iohnſ. qui aptum haſtilibus lignum ex Geniſta potuerit commendare Poëta, cum illa verius frutex humilis, quam arbor, vix videri poſſit dare valido venabulo lignum, quod ad quinque pedes caedi mox praecipit. Quare, cum hic haererem, decurri ad certiſſimum harum rerum arbitrum, collegam honoratiſſimum Boerhauium, qui, vt omnia, quae tractare voluit, inter manus ſuas ſplendeſcere et politiora exire videt, hic quoque noua luce, vt puto, Poëtam perfudit: meque docuit, reuera Geniſtam eſſe fruticem et ſtirpem, cuius dotes Plinius variis in locis deſcripſit, vt lib. XXI, 9. 12. XXIV, 9. et alibi. et cum Virgilius et alii *lentas geniſtas* dixerint, conſtare tamen herbarum peritis eſſe genus *Geniſtae*, quae *iuncea* dicitur, cuius virgulta ſunt contumaciſſima, ſi frangere velis, ſed tamen flecti facilia, et ideo recte *lentam* vocatam Maroni II. Georg. 12. ſi iam geniſta talis creſcat in locis incultis, diſpergitur in multos ramos, nec ſponte ſua procera exſurgit, ſed in ipſa ſtirpe curuatur, vt noſter Poëta vſ. 138. obſeruat. ſin cura et cultura accedat, et luxuria detrahatur, rectum, et procerum truncum

Termes, ab Eois deſcendet virga Sabateis,
Mater

truncum tollere diſcit: oſtenditque Vir Doctiſſimus, eſſe geniſtam illam, quam vir in plantarum peritia princeps, Carolus Cluſius depinxit, in Hiſtor. Plantar. 102. et quam ſpartam Dioſcoridis eſſe docuit. Andream etiam Caeſalpinum, primae virum auctoritatis, hanc appellare in Hiſtor. Plant. III, 35. Geniſtam alteram, cuius materiem in Italia craſſam valde naſci teſtatur, et in quatuor vel quinque cubitos exſurgere, altius etiam et ſtipite magis lignoſo in aliis regionibus excreſcere. Quin Ioh. Bauhinum Hiſt. Plant. I, 2. 395. adfirmare mihi oſtendit, in montibus Euganeis et circa Veronam inſtar arborum ſurgere, quibus ſi labor et cultus, a Gratio mox praeceptus adhibeatur, longum ſatis et aptum praebere poſſe haſtilibus lignum. Et ſine dubio debuit Altinatibus geniſtis peculiaris fuiſſe dos, vt eas prae caeteris Gratius commendet: et cum vrbs haec in Venetis fuerit, aeque ibi altae geniſtae et denſae potuere creſcere, atque circa Veronam et Patavium, et cultu accedente haſtilia inde fingi et poliri, quae nec facile frangerentur incurſu feraram, et flexibilitate ſua maiorem vſum dabant, quam ſi ex rigido ligno confecta fuiſſent. *Burm.*

131. *Lutoſer agreſtis*] Luctor hic cum dimenſione carminis in dictione *incomptus*. Luctor item multo magis cum ſignificatione vocis *lutoſer*. de *lutoſere* nihil certi afferre poſſum. *Titius*. *Operae agreſtis*, eſt ad vſus agreſtis aptus, atque habilis. Quod vero genus arboris *Lutoſer* ſit, neſcio. *Barth.* Nihi certi habeo, quod dicam. Coniecturis defungendum erit. Principem inter eas pono, quam ſuppeditauit conſultus a me ſuper hoc loco Salmaſius:

Et magis incomptus operae, loti, ſed agreſtis
Termes. Ab Eois, etc.

Gronouius annotauerat in ora libri ſui: f. *in comptûs*. Certe Lucretius lib. I, 88. *virgineos comptus* dixit. Vnde legendum ego coniiciebam:

Et magis in comptûs operae cupreſſus agreſtis.

Ex cupreſſo enim *radios trivere rotis*, *hinc tympana plauſtris Agricolae*, autore Virgilio Georg. II, 144. Quid ſi hic apud Gratium legamus: *incomptus operae cupreſſus agreſtis Termes?* Quia ſupra per *incultum termitem* Siluani innuere videtur cupreſſum, ex illo Maronis: *ferens Syluane cypreſſum*. Vlit.

132. *Termes virga*] Si vulgata diſtinctio retinenda eſt, *termes*

Mater odorati multum pulcherrima turis.
Illa

termes virga eſt, vt *termiteus ramus* infra. Sin ex Salmaſiana diſtinctione *termes* ad praecedentia cohaeret, propius ad Maronem, quem in Georg. II. paſſim ſequitur, etiam haec accedunt: *ab Eois deſcendet virga Sabaeis.* Vlit. Locus ſane deploratiſſimus; cui tamen variis coniecturis medicinam facere tentaui. Accipe igitur.

Et magis in contos apro Lotaſter agreſti Termes

MS. *incomtos.* quod non longe abeſt ab *in contos.* MS. *opera.* quod et inuerſo literarum ordine fiet *apro. Lotaſter.* verbum quidem inſolens, et tamen ex analogia linguae Latinae depromptum, vt *Finaſter*, *Oleaſter.* Senſus itaque hic eſt. Et Lotaſter termes in contos apro agreſti excipiendo idoneus.

Et magis in cultros opera Lotaſter agreſti
Termes.

Vnde iſtud *in cultros*, inquies? errore ſcriptum fuit, *incultos*, hinc *incomptos*, Gloſſema: quod in textum irrepſit tandem. Vna adhuc ſupereſt coniectura.

Et magis in contos oleae praelatus agreſtis
Termes.

Termes enim proprium eſt rami oleagini nomen. Ipſa quoque olea his vſibus deſtinata olim fuit. *Iohnſ.* Hic ſcopulus, ad quem omnes interpretes impegerunt. Heinſius in ora codicis tentabat,

Et maris incomptus ripis Oleaſter, agreſtis
Termes; ab Eois deſcendit virga Sabaeis.

Sed nec haec lectio expeditam facit rem. nec in ripis maris creſcere Oleaſtrum ſatis eſt planum, certe non magis, quam aliis in locis. De Oleaſtro tamen non male ſuſpicatum eſſe virum egregium puto: nam *lutoſer* ille ignorabilis eſt arbor. Quid ſi,

Et magis incomptus oleae nodoſus agreſtis
Termes.

Vt intelligatur termes Oleaſtri, qui magis incomptus eſt geniſtis. proprie vero *termes*, qui teſte Feſto eſt ramus incomptus, *nec repletus foliis, nec nimis glaber*, de Oleaſtro et Olea dicitur. ita Horat. Epod. XVI, 45.

Germinet et numquam fallentis termes oliuae.

Vbi vide Acron. et Porphyr. et noſter mox vſ. 138. repetens praecepta de cultu et labore, quo haſtilia fingi debent, *Termitem* et *Geniſtas* iungit, vt hic fecerat: nodoſos vero hos termites fuiſſe, nec glabros docet claua Herculis, quae ex Oleaſtro erat,

teſte

Illa ſuos vſus intractatumque decorem

135 (Sic

teſte Theocrit. Id. XVI. et Apoll. Rhod. IV, 1439. et aliis. Atqui haec nodoſa erat, vnde *trinodis* dicitur Ouid. I. Faſt. 575. et Virg. VIII, 220. *nodiſque grauatum robur.* ſic et Theſei claua *trinodis* Ouid. IV. Ep. 115. iam vero clauam etiam vult ferri a venatore Xenophon de Venat. p. 984. *incomptus* vero hic oleaſtri termes, et qui numquam procerus ad aëra exit, ſed multo labore eſt fingendus. Caeſurae vero beneficio ſatisfieri poteſt legi metricae. deinde malim continuata oratione legere.

Termes, et Eois deſcendens virga Sabaeis,
Mater etc.

Nam deſcendere Sabaeis, dictum, vt *deſcendere coelo, templo, antro* Ouidio et aliis. Ideo vero hoc verbo vtitur Gratius, quia tus et virga turea ex Arabia ad mare deferebatur, vnde in alias partes orbis mittebatur. Vt ita paſſim *deſcendere*, et *adſcendere* de itineribus ex montanis ad maritima vel contra dicitur, vt ſatis notum eſt. Iohnſónii coniecturae omnes vanae, nam de cultris et contis iam non agitur, ſed de ligno deligendo haſtilibus et iaculis apto. et de cultris non agi apparet, quia quinos pedes requirit in haſtili, quod ineptum eſſet cultro accommodare, qui breviores, vt et contis, qui longe illam menſuram excedebant. *Burm.*

133. *Mater*] Id eſt, quae producit tus. Plinius lib. XII, 14. *matrem* vocat ipſam arborem, vnde virgae illae deciduntur, quam dicit, *tereti et enodi fruticare trunco.* quid vero, paullum alio ſenſu, *matres* ſint arbores, vid. apud Rutgerſ. Venuſin. Lect. cap. XI. *Burm.*

multum pulcherrima] Ita Cicer. XII. ad Att. Ep. 38. quae *maxime liberaliſſima, doctoque homine digniſſima.* vbi videndi commentatores. II. Verr. 66. *maxime ab iniuriis remotiſſimi.* et ibi videndi interpretes. ſimilis locutio in l. 2. §. 46. de Orig. Iur. *Oratio ſatis pulcherrima.* vbi vir dignitate et eruditione Illuſtris Bynkershoekius alia exempla produxit in Praetermiſſis pag. 83. alii auctores *multo* cum ſuperlatiuo conſtruere ſolent, vt vel Lexica docent. etiam *multum* apponitur comparatiuo. vid. ad Ouid. XVIII. Epiſt. 71. et alibi. *Burm.*

134. *Intractatumque decorem*] Manibus non conformatum aut vexatum. *Tractare* enim vexare eſt. *Barth.* Non arte fictum, ſed naturalem. *Iohnſ.*

(Sic nemorum iuſſere Deae) natalibus haurit
Arbitriis. at enim multo ſunt ficta labore
Cetera, quae ſiluis errant haſtilia noſtris.
Numquam ſponte ſua procerus ad aëra termes

Exiit,

Iohnſ. Sic *intractatum et nouum equum*, vbi alii codices *intactum*, dixit Cicero de Amicit. 19. et antea cap. 17. diverſo ſenſu *tentatum* dixerat. *tractare* enim in genere dictum de omnibus, qui materiam aliquam excutiunt, poliunt etc. Vid. ad Quinct. Prooem. p. 9. et ad lib. VII, 1. p. 584. et alibi ſaepius. *vexare* huc nihil facit: rudem ergo virgam, ita vt nata eſt, deſcribit, quam ideo praefert, quia eſt teres et enodis natura ſua, nec eget, vt poliatur. ita in puella *naturae decus* vocat Propert. I, 11. vbi mox flores et hederas, et arbutum ita commendari addit. *Burm.*

136. *Arbitriis*] Ipſa naſcendi lege. *Iohnſ.*

ficta labore] Caetera genera arborum aptarum ad haſtilia, multo labore vincenda ſunt, vt haſtilibus mutentur. *Errant* eleganter dixit de iis, quae temere inueniuntur. *Barth.* Heinſius correxerat *exſtant*, *haerent*, vel *ſe dant.* in alio exemplari ſuperſcripſerat verbo, *inter venandum*, forte explicans, dum emittuntur manu ad vulnerandas feras. ego Barthio accedo. vt ſint quae temere, paſſim in ſiluis naſcuntur, cum in hortis ordine ſeri ſoleant arbores et frutices. *Burm.*

multo ſunt ficta labore] Malim *ſint*, vt praeceptum haec verba contineant. quia enim arbores aliae, et indigenae, quas memorauit, non ita rectae, enodes et politae naſcuntur, vt turea virga, ideo praecipit, illas multo labore eſſe fingendas. *Victa* Barthius perperam edidit, cum vitia in virgis et termitibus poſſint vinci labore, ſed non ipſae virgae, quae fingi, poliri, eodem modo vt homines rudes et animalia, poſſunt. ita *fingere equos* inf. vſ. 508. dixit. vid. et vſ. 105. 121. et paſſim. *Burm.*

138. *Ad aëra*] Non eſt Latina haec ſcriptura. Scribendum *ad aethera*, vel *in aëra.* Barth. Ridicula eſt Barthii ſollicitudo de hac locutione: ſi enim *aëra* ſumas, pro quidquid eſt medium inter coelum et terras, an non recte termes dicitur exire *ad aëra*, id eſt ſe tollere humo? ita *aër liquidus* in verſibus Varii apud Macrob.

 quos

Exiit, inque ipſa curuantur ſtirpe geniſtae.
Ergo age, luxuriam primo foetuſque nocentes
Detrahe: frondoſas grauat indulgentia ſiluas.
Poſt vbi proceris generoſa ſtirpibus arbor
Se dede-

quos Vlitius adducit ad vſ. 212. et altae arbores *aëriae* paſſim Poëtis dicuntur. ita aëria ornus Val. Flac. VIII, 113. ſed hic *aër* intelligitur inferior, cum ſuperior ſit, vbi aquilae et volucres volant. vid ad Val. Flac. VII, 376. et ita ſaepe *aurae* pro aëre, in quas dicuntur ſurgere omnia, quae ſe ſupra tellurem eleuant. vt inf. vſ. 503. de equo, qui crura fundit *in auras*, id eſt alte tollit. Immo mox vſ. 143. maiori hyperbole dixit, virgas ſe *ferre ad ſidera*, vnde longiſſime abſunt. et quis non Poëtarum arbores, turres, muros ad aëra, aethera, et coelum ſurgere dixit? ſic *aërius murus* Val. Flac. II, 553. vbi vide notas. *aëria cornua* Caprae, quae certe non altiora his arboribus, Ouid. V. Faſt. 119. Sed et aliter explicari hic locus poteſt, nimirum: nullum vmquam termitem, ſcilicet Oleaſtri, ſurgere procerum, ſiue rectum, ad ſummum vſque cacumen arboris, vt turea virga; ſed incuruari ſtatim, aeque ac geniſtam, ab ipſa ſtirpe: *aër* enim arboris dicitur cacumen, faſtigium. vide, quae nos et ad Val. Flac. VI, 261. notauimus. *Burm.*

140. *Luxuriam*] Ita *vitis luxurioſa* apud Columellam lib. IV. cap. 21. Quod ab hominum moribus et natura translatum. *Barth.* Intempeſtiuam ſurculorum abundantiam. *Iohnſ.*

foetus] Ramos. Virg. Georg. II, 56.

Creſcentique adimunt foetus, vruntque ferentem.

Barth. Vid. ſupr. vſ. 36.

141. *Indulgentia*] Si luxuriae ramorum indulſeris, nec mature putaueris, grauatur arbor frondibus, et nodoſa curvaque euadit. *Iohnſ.*

ſiluas] Arbores. Claudian. III. de Rapt. 30. de haſta.

Inſtar habet ſiluae

Saepe Virgilius Georg. II. *Barth.* Vid. ſupr. ad vſ. 47.

142. *Generoſa ſtirpibus*] Dudum a viris doctis obſeruata eſt vis litterarum *SP. SC. ST.* quae ſcilicet ſyllabam breuem praecedentem ſoleant facere longam. *Barth.* Vid. ad Phaedr. prol. lib. III.

Se dederit, teretesque ferent ad ſidera virgae,
Stringe notas circum, et gemmantes exige verſus.

145 His,

143. *Se dederit*] Haec locutio obuia eſt, ſed varie pro materia ſumitur. ſemper fere notat copiam ſui et facultatem facere, conſpiciendum ſe dare, vt Virgil. I. Georg. 287.

Multa adeo gelida melius ſe nocte dederunt.

Senec. Epiſt. XXXVI. *Bene ſe dabit vinum in vetuſtate.* Sueton. Caeſ. XXXI. *ſe conuiuio dedit.* Ouid. III. Art. 421.

Det quoque ſe populo mulier ſpecioſa videndam.

Vide plura apud Gronou. ad Liu. XXVIII, 5. hic vero eſt idem, quod antea *exiit ad aëra* vſ. 138. dixit. et Virgil. II. Georg. 147. *ſponte ſua quae ſe tollunt in luminis oras*, vbi apud interpretes alia exempla videbis, vbi *exiſtere*, *exire in auras* vel *oras* occurrit. et infr. 311. vbi *ſe extollere* dicitur ratio. vt ita *vitis ſe extollere* Catull. LXIII, 50. et mox *ſublata haſtilia in quinos pedes.* vſ. 147. *Burm.*

ferent] Et hic repetendum *ſe*. ſic *via ferens* dicitur, pro in aliquam partem tendens, Liu. VII, 30. et *ſcalae ferentes in publicum*, eidem XXXIX, 14. et ita Scaliger ad Manil. V, 355. *ara ferens*, eſt abſolute ἀναφερόμενος. vt *in coelumque ferens*, ibid. 390. ſed in Manilio coniungo, *ara ferens turis*, pro *tus ferens*. Burm.

144. *Notas*] Aliter *comas*. V. II. Georg. vſ. 368. *ſtringe comas.* at vide, ne legendum ſit, *Nothas*, i. e. ſpurias virgas. vt amicus meus monuit legendum, et impenſe arridet. *Iohnſ. Stringere* in re ruſtica eſt, cum folia demunt; vt Virg. IX. Ecl. 60. *hic vbi denſas Agricolae ſtringunt frondes.* Vbi vid. comment. ita paſſim *oleas ſtringere* apud R. R. ſcriptores; *defrondare* explicat Seru. ad I. Aeneid. 552. hoc autem fieri iubet Gratius, ne deinde gemmis et foliis illis in ramos exeuntibus nodi fiant. Quare *notas* vel *nothas* hic vix locum habet. et ego *comas* praeferrem, licet et *notas* potuerit vocare folia illa et frondes, quae deſtrictae faciunt notam, ſiue vlcus, vt mox vocat, et maculam: eſt vero hic tmeſis, pro *circumſtringe comas* vel *notas*, ex more Gratii: *Gemmantes* vero *verſus*, explico de ſerie illa et ordine gemmarum, quae in fruticibus ſe exſerunt, has iubet *exigi*, id eſt demi, ex-

pelli,

His, ſi quis vitium nociturus ſufficit humor,
Vlceribus fluet, et venas durabit inertes.
In quinos ſublata pedes haſtilia plena
Caede manu, dum pomiferis aduertitur annus

Fron-

pelli, vt ita *exigere* paſſim occurrit. exuberantes ergo gemmas vult, antequam in folia et ramos creſcant, decerpi. vid. Heinſ. et Drak. ad Sil. VII, 657. miſere hic caecutiunt noui operis duumviri, qui ipſa haſtilia matura ſcindi iubent, cum adhuc agatur de creſcentibus, et demum vſ. 148. de caedendis ſequatur, ad quem verſum debuiſſent notam ſuam apponere. et forte manus cum mente, vt ſaepe, aberrauit. nam et *dum continet imbres*, explicant, antequam auctumnus effuderit imbres. an ergo aeſtate caedenda crediderunt haſtilia? *Burm.*

145. *Quis vitium*] *Quid vitii* malebat Heinſius.

146. *Vlceribus*] Ita vocat laeſum illum et vulneratum locum, ex quo gemmae et folia ſunt deſtricta: quae coibunt poſtea, cortice ita ſupernaſcente, vt nulla nota vel nodus appareat. *Burm.*

inertes] Inutileis aut nocivas. *Barth.*

147. *Plena manu*] Petron. cap. 46. *Manu plena eius ſcapulas verberauit.* Tibull. I, 6. *ianua plena percutienda manu.* vbi recte quidem explicat, non tamen locum Ciceronis recte aduocauit egregius eius commentator; nec alium Tibulli locum, vbi pro liberali, larga ſumitur. ſed *plena manu*, eſt valide, vt contra *digito tangere*, eſt leuiter: ita *plenus gradus*, *plena vox*, et ſimilia, quae alibi illuſtramus: aliud vero eſt *plana manu*, quod in Petronio quidam ſupponunt. illa enim opponitur pugno. vt apud Iuuenal. XIII, 128.

— *nec pugnis caedere pectus,*
Te veto, nec plana faciem contundere palma.

Burm.

148. *Dum pomiferis*] Melior lectio in Vet. Ed. *aduerterit.* Nam ex more Gratius agendi verbum vicem paſſiui poſuit. Eſt vero Graecum περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *Voluentibus annis* Poëtae dictum. Nam anni et temporis ſeries in orbem volui fingebatur. *Anni* autem vocabulum Auctumnum notat, vel quamuis fertilem anni partem. *Barth.* mendum hic ſubeſſe ſuſpicor. Non enim Annus dicitur *aduerti* ſub Autumno, potius *auerti*; quin et *fron-*

Frondibus, et tepidos auctumnus continet imbres.
Sed cur exiguis tantos in partibus orbes Luſtra-

et *frondes* dici *pomiferas* durius vereor, ne ſit. Aldina Editio omnium vetuſtiſſima exhibet *Promiſeris*, vnde ſic locum conſtituendum cenſeo.

— *pronus ſeris dum auertitur Annus*
Frondibus.

Haec itaque loci ſententia eſt. Cum iam Annus prono latus curſu frondibus ſeris aridiſque vultus auertit, et Autumnus non amplius fundit tepidos imbres. *Iohnſ.* Violentiora haec ſunt: ego puto, ſimpliciſſimam eſſe deſcriptionem praecipitis auctumni in hiemen, et ſenſum eſſe; illud eſſe tempus caedendi captandum, quo auctumnus maxime aduertitur, id eſt cognoſcitur, animaduertitur per frondes, id eſt arbores et ramos, pomiferas: nam initio auctumni poma vix ſunt matura, et pars prima auctumni aeſtatis proxima nondum poma dat, niſi praecocia. Ita *aduertere* nos res viſae paſſim dicuntur. vid. Comm. ad Tacit. XIV. Ann. 43. Cicer. I. ad fam. 1. *nam aduertebantur Pompeii familiares adſentire Volcatio*; IV. ad Att. IV. de *Librariis*, *ſi me amas*, *diligenter adverte*. et ita Terentius et alii ſaepe. Deinde monet, ſerenum tempus eſſe eligendum, dum continet auctumnus ſerior et praeceps imbres, id eſt cum ceſſant iſti imbres. non enim ſemper imbres dat auctumnus, ſed et ſerenos ſaepe dies, praecipue in hiemen vergens, quos captandos eſſe monet. *Continere* contrarium hic eſt τῷ *effundere*. auctumnum vero deſcribit eodem fere modo Horat. III. od. 23. *Pomifero graue tempus anno.* *tepidos* imbres auctumno dat, qui calore iam diminuto medius inter frigus hybernum eſt, et aeſtiuum calorem. Manil. III, 660. *dum terra tepore Autumni reſoluta patet.* Vid. ad Calp. Ecl. I, 1. *Burm.*

150. *Sed cur exiguis*] Ait fugiendam eſſe μικρολογίαν correctione ſui, vt ſic etiam fiat μετάβασις ad canes, qui praecipue curae eſſe debent venatoribus: dictum eſt autem *luſtramur*, quomodo *bellantur* et *populantur* a Marone. *Titius.* Vulgatum retineo, et fere cum Barthio faciens, *partes* hic de operis ſui parte, quae de haſtilibus agit, capio. cur tot regiones orbis luſtro? vt Thraciam, Italiam, et Arabiam, iam recenſuit, vnde lignum haſtilibus aptum venit. *tantos orbes* dixit, pro tot partes orbis, vt ita *orbis Eous*, et ſimi-

Luſtramus? Prima illa canam, non vlla per artes
Cura

et ſimilia, *meus orbis* pro imperio meo Senec. Thyeſt. 181. vbi v. Gronou. *alienus orbis* Ouid. VII. Met. 22. et eo ſenſu, *diuerſus orbis*, *Germanus*, *Heſperius*, *gelidus* et infinita talia apud Ouidium et alios. vide Paſſer. ad Propert. II, 16. p. 312. plurali vero numero recte vtitur cum quadam hyperbole, quia non de vno diuerſo orbe, ſed de pluribus, per quas iam vagatus eſt, partibus agit. Manil. I, 76. *Inmotuſque nouos Pontus ſubduxerat orbes.* id eſt regiones. et V, 213. *Cuncta peregrinos orbes animalia quaerent.* ſingulari vtitur Val. Fl. IV, 745. *tanto procul orbe remoti.* et ita ſolent de longinquis et remotis loqui, vt Val. Fl. II, 375. *tantum maris aequor adorti.* et IV, 541. *tantum aequor adorti.* VII, 19. *nec tantas timuere vias. tanti* ergo *orbes*, ſunt tot regiones a nobis diuerſae et remotae. et *tantos* pro *tot* poni vulgatum eſt. vt Virg. VI. Aen. 58. *magnas obeuntia terras Tot maria intraui:* ita paſſim *terras* pro partibus terrae poëtae dicunt: Virg. I. Aen. vlt. *omnibus errantem terris* et *fluctibus*. Burm.

orbes] Cum in opere tam paruo tot verſibus de haſtilibus egimus. Figura ſumpta ab aurigis in circo. Horatius ſimiliter Art. Poët. 132.

Nec circa patulum vilemque
morabitur orbem.

Barth.

151. *Luſtramus*] Log. Edit. *luſtramur* habet. quod placet. *Iohnſ.* Non video, quis ſenſus aut elegantia oriatur ex illa lectione. Vellem, explicuiſſent ſimul. An vero probare poſſent, *luſtrari* deponentis modo in vſu fuiſſe, vt *bellari*, *populari?* exemplis et auctoritati cedam, de *luſtrare* vid. vſ. 221. *Burm.*

prima] i. e. prima pars, prima regio. Si enim *prima* penderet ex *cura*, vereor, ne frigidiſſimus fieret ſenſus. Nam, ſi cura canum prima eſt, fatearis neceſſe eſt, nullam illa priorem eſſe. *Iohnſ.* Offendit vehementer me etiam repetitio illa τῶν *prima* et *prior*: nam licet aliquando Gratius easdem voces geminet breui interuallo, vt ſaepe vidimus, et hic *per artes* et *ex arte* etiam reperiatur, ſenſus tamen ſemper conſtat. ſed quae haec ſtribligo, *prima cura eſt canum, nec vlla cura prior illa?* forte legendum, *luſtramus? minima illa: Canum non vlla per artes Cura prior*, hoc ſenſu: quid, vt haſtilia et tela paremus, obimus tot regiones orbis? cum

Cura prior, ſiue indomitos vehementior hoſtes
Nudo Marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.
Mille canum patriae, ductique ab origine mores
155 Cuique

cum illa pars venatus ſit minima. *ſed* (hoc per ellipſim omiſſum eſt) cura canum eſt praecipua per has artes, id eſt in venatu exercendo, in his deligendis magis ſpectanda eſt patria et mores. Si haſtilia ex myrto, corno, turis virga etc. ex peregrinis regionibus petita non poſſunt haberi, ex obuio quoque ligno fieri poſſunt. Sed nulla cura prior ſit cura canum, quorum multo diligentior delectus eſt agendus. *Per artes* vero dictum pro in hac venatica arte, quam trado. Ita Virgil. I. Georg. 122.

— — Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Mouit agros.

Manilius centies ita loquitur, et noſter inf. 190. 383. et alibi. ſic *per vſus* 216. plura adſcribere taedet. *Cura prior* etiam Martial. lib. VIII. Epig. vlt. dicitur. *Burm.*

153. *Nudo Marte premas*] Sola virtute et robore fretus, nullis inſidiis adhibitis: haud longe inferius: *ſed nudi ad pignora Martis.* Titius.

ex arte] *Ex arte* capio de omnibus dolis, quibus vtimur, vt in bello ſunt varia ſtrategemata. ita de bello ipſo Iuſtin. IX. cap. 8. de Philippo et Alexandro. *Hic aperte, ille artibus bella tractabat. nudo* vero *Marte* hic, vt inf. 255. eſt ſicut initio, *nuda virtute.* etſi Marte aperto, ſimplici, quaſi in aperto campo, praelio adgrediaris, ſine iaculis et armis: tamen opera canum egeas, vt imperator militum: et ideo dat primum locum bellicoſis Vmbris. *ex arte* vero pro *arte.* vid. Gron. ad Gell. VII, 3. et Muncker. ad Hyg. fab. XX. et Barth. inf. ad vſ. 325. licet ibi alia ſit res. *miniſtrare* vero hic eſt regere, vt ita *miniſtrare ratem vento ſtelliſque.* Val. Flac. III, 38. vbi vide. et inf. 314. *Burm.*

154. *Ductique ab origine mores*] Ita Manilius lib. V, 200.

— — catulos nutrire ſagaces,
Et genus a proauis, catulos nutrire per arteis.

 Inge-

Cuique ſua. Magna indocilis dat proelia Medus,
Magnaque diuerſos extollit gloria Celtas.
Arma

Ingenium iisdem tribuit Claudianus ibid. 297.

— *variae formis et gente ſequuntur*
Ingenioque canes.

Nemeſ. Cyneg. vſ. 237. *Barth.*

155. *Cuique*] *Quoſque* Thuan. et Heinſ. corrigebat *quiſque.* neſcio, cui bono. ſine dubio olim ſcriptum fuerat *quoique,* quod ſaepe librarios in errorem duxit. vid. ad Ouid. VII. Met. 690. et ita ſemper exhibebat Romana editio in Eclogis. *Burm.*

dat] *Dat proelia* dictum, vt illud Terent. Eunuch. V. II, 60. *dabit hic aliquam pugnam denuo,* vbi in Donato exempla reperies, vbi *magna pugna* occurrit, vt mox vſ. 170. *magnus pugnator.* Suet. Caeſ. LXVI. poſt *magnam pugnam atque victoriam.* et ad Veneris bella transferens Catul. Carm. XXXVIII. *pro qua mihi ſunt magna bella pugnata.* Virg. III. Georg. 265. *quid, quae imbelles dant proelia cerui?* Burm.

proelia] Primo loco bellicoſos ponit, nec immerito; ſiquidem primus eorum vſus rudi adhuc orbi fuit, qui a feris defenderent greges. *Vlit.*

156. *Extollit gloria Celtas*] Appellat diuerſos Poëta, vel ob ſitum regionis longe diverſum in regione Medorum, vel quia diſciplinae ſunt capaces, cum Medi indociles habeantur. *Titius.* Sagaces hic intelligit Titius, quod refutat Vlitius, et recte *Gloria* enim bellicoſos canes extollit, vt infr. 228. de equis victoribus. vid. ad Valer. Flac. I, 77. Sed idem Titius ridiculus eſt, qui *Braccos* canes dictos a Graeco Βρακαίαι, (melius Βραχέαι dixiſſet) deducit, cum hoc ſit Celticum vocabulum, et in legibus Friſonum notum genus canum oſtendit Oliu. Vredius tom. I. Flandriae pag. 249. et fatetur Menagius in originibus Italicis voce *Bracco.* et Francicis in *Braque.* quem vide. Valeſius quoque in Notitia Galliae p. 93. inde caſtri nomen, quod eſt *Braccum Saccum* deducit. *Burm.*

Diuerſos] Primi itaque et in Gallia canes bellicoſi fuere, et nullos adhuc ſagaces ibi fuiſſe Gratii tempore ex ipſo aliisque colligere eſt: ita ad hunc locum Vlitius. atqui Celtas a Medis diuerſos vocat Gratius. vnde igitur hoc diſcrimen? an quia dociles Celtae, aeque ac bellicoſi? ita quidem videtur. Poteſt quidem explicari non minus recte, per *longe ab inuicem disiunctos,* quibus

Arma negant contra, Martemque odere Geloni,
Sed natura ſagax: Perſes in vtroque paratus.
Sunt qui Seras alant, genus intractabilis irae.
At contra faciles, magnique Lycaones armis.
Sed

quibus patria eſt maxime diſiuncta. *Iohnſ.* Vlitius videtur vocis *diuerſos* nullam rationem habuiſſe. et poteſt explicari ſane cum Titio et Iohnſ. qui ex regione longe a Media remota ſunt orti (vid. ad Ouid. Epiſt. XII, 145.) aut qui etiam dociliores Medis ſunt, et ita contrariae naturae, vt ita *diuerſus parens* Calpurn. Ecl. II, 38. poſſet etiam hoc ſenſu capi, et aduerſarii intelligantur, et ſi inter ſe committerentur, vt ſaepe fit. vt ita *diuerſae partes* paſſim, *diverſa gens* Ouid. Ep. VII, 7. pro hoſtili. ſed quiſque capiat pro arbitrio ſuo. *Burm.*

157. *Arma negant contra*] Ἔκλειψις, videlicet *ire* aut *mittendos eſſe*, aut quid tale. *Titius*. *Negare arma* ſimpliciter ſine ellipſi eſt, nolunt pugnare, et ita *negare comitem* Ouid. I. Art. 127. quod neſcio, cur Heinſio diſplicuerit: *negare manum* alicui III. Triſt. IV, 76. et talia infinita. alio ſenſu *arma negate mihi* dixit Aiax apud Ouid. XIII, 254. contra dicitur arma *velle*. vid. inf. vſ. 173. *Burm.*

158. *In vtroque*] An non, vt Heinſius notauit in margine, praeſtat *in vtrumque*? vt Virgilius, quem centies imitatur, de Sinone II. Aen. 61.

Fidens animi, atque in vtrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti.

Sed retineo tamen ſcripturam editam. nam in Virgilii loco *in* pro *ad* ponitur, vt explicat Seruius. hic vero peritiam, ingenium et naturam canis, in vtroque genere venatus notat. ita in *iure paratus Scaevola* dicitur Ciceroni, vt docet Cl. Graeuius ad Suet. Claud. 42. Qui ibi ſine praepoſitione dixit, *vtroque ſermone paratus*. *Paratus ad partes* quid ſit, docuimus ad Ouid. I. Amor. VIII, 87. *Burm.*

irae] *Ira* hic pro fortitudine et vehementia debet capi, vt paſſim apud Poëtas *ira* tribuitur Leonibus, et etiam militibus. vid. Barth. ad Stat. IV, 23. et 114. et ſaepius. *Burm.*

160. *Faciles*] Heinſius corrigebat, *graciles*. Sed melior eſt oppoſitio, ſi *faciles* retineatur: vt ita paſſim Terentius *facilem* patrem opponit duro,

Sed non Hyrcanae ſatis eſt vehementia genti
Tanta: ſuis petiere vltro fera ſemina ſiluis.
Dat Venus adceſſus, et blando foedere iungit.
Tunc et manſuetis tuto ſerus errat adulter

In

duro, iracundo et truculento. vid. ad Nemeſ. vſ. 50. *Burm.*

armis] Ad arma ſua habiles ait Arcadios canes. Aut *armis*, brachiis quaſi, aut lacertis valet. *Barth.* Dubium iterum, an ab *arma*, an *armi* deducendus caſus. ſi ab *arma*, intelligendum bello eſſe egregios, vt ita *magnus artibus* Cicer. pro Quinct. cap. XXX. ita infra vſ. 173. vid. ad vſ. 4. Scaliger malebat, *magniſque L. armis.* quod eodem redit. *Burm.*

162. *Tanta:*] Malo, *nata* i. e. natiua, ingenita vehementia non ſatis eſt Hyrcanis canibus. *Iohnſ.* Dubito, an auctoritate boni ſcriptoris defendi poſſet *nata*, et recte dici, *natam vehementiam eſſe genti*, pro innata, natiua, propria ex natalibus arbitriis, vt loquitur alibi. nec tamen *tanta* placet admodum, licet et infr. 196. *tantum vitium* dicat fere eodem ſenſu: deinde *ſuis ſiluis* et *vltro*, (quod Ariſtoteli repugnare recte animaduertit Iohnſonius, et quae vox iterum repetitur mox) habent, quod offendat. forte ſcripſerit,

Sed non Hyrcanis ſatis eſt vehementia gentis
Tanta ſuae. Petiere vtero fera ſemina ſiluis.

Pro *vtero* poſſet et ex libro veteri Barthii legi, *vltra*, id eſt ſemina feriora, quam Hyrcanae genti propria et naturalis eſt vehementia, licet et *vltro* poſſet capi pro *vltra*, inſuper, vt Voſſius docet ad Catull. p. 327. hic vero erit ſenſus, ſed tanta (id eſt propria et nota ſatis) vehementia gentis ſuae non ſufficit Hyrcanis, ſed canibus ſuis petunt vltra, id eſt praeterea feriora ſemina ex tigribus, quae in ſiluis Hyrcanis (vnde *Hyrcanae Tigres* celebres habentur) frequentes ſunt. ſi *vltro* retineas, ne explices de canibus, quae inſtinctu quaſi naturae, ſponte, et non ſollicitatae quaerunt adulteria Tigridum: hoc enim Ariſtoteli et Aeliano repugnat, ſed *petiere* referendum ad *gentem Hyrcanam*, ſiue Hyrcanos. perfecto vero tempore more ſuo vtitur, pro petere ſolent. vt mox 184. *ſubierunt.* et ſupra 45. *exterruit.* et paſſim. vid. ad vſ. 221. et ſaepe alibi. *Burm.*

fera ſemina] Hircanos canes ait non contentos agnata vehementia, ſiluas ſubire et tigribus miſceri. *Barth.*

164. *Adulter*] Tigrin dicit. Translatio adulterii ab hominibus

165 In ſtabulis, vltroque grauis ſuccedere Tigrim
Auſa

nibus ad feras. Claudian. de Pardo, Conſ. Mal. 304.

— — — *leaenae*
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter.

Barth.

165. *Grauis*] Grauida. Virg. I. Aen. 274.

Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Barth. Planior ſenſus erit, ſi legamus *grauem*, vti citauit Salmaſius ad Solin. Apud Maron. X. Aen. 207. *It grauis Auletes*, id eſt *fortis*, inquit Seruius. Auienus Fab. XL. *grauem leonem* indigetat, cui *grauem iram* et *graues oculos* attribuit Fab. XXIV. Eodem ſenſu hic *grauem tigrim* haberemus. *Vlit.* Hic verſus valde ſollicitos habuit olim Heinſium et Graeuium, vt ex Epiſtolis patet, quas edidi, tom. IV. Sylloq. p. 285. vbi ille tentabat,

Vteroque graui ſuccedere Tigrim
Auſa canis.

et in ſequentibus vehementer adhuc laborare videbis. in ora Codicis ſui coniiciebat Heinſius,

Vteroque grauem ſuccedere Tigrim
Auſa canis.

vide plura tentantes pag. 287. 288. et 293. mihi placeret vel *vteroque grauem ſuccedere tigrim auſa canis.* vel quia *vtero* anteceſſit, *vltroque grauem ſuccedere tigrim auſa canis*, vt *ſuccedere* pro ſubire, ſuccumbere tigri ſit poſitum: eo fere ſenſu, vt apud Nemeſ. 116. *huic parilem ſubmitte marem* explicant eruditi: συμπλέκονται αὐταῖς dicit Aelian. commiſcentur cum illis: dicit vero plus noſter Aeliano et Ariſtotele, quia Poëta, illi Hiſtorici *grauis* vero rectius tigris mihi videtur dici, quam canis, quae certe, cum coit cum Tigride, nondum grauida poteſt dici, et recte Vlitius ita cepit, et Salmaſius. *ſuccedere* vero accuſatiuo caſui iungi ſatis eſt obuium. Vid. Gronou. ad Liu. XXXV, 45. et quae nos ad Calpurn. Flac. Declam. XXIX. diximus. *Grauem* vero Tigrim poteſt dixiſſe, vel, vt Vlitius probat, pro feroci, forti, vehementi. vid. quae ad Val. Flac. I, 145. diximus. Vel quia ſuccumbenti cani grauis Tigris incumbit, cui leuior conſuetudo eſt cum cane ſui generis. poſſet et legi, *vltroque graui ſuccedere Tigri Auſa canis.* vt opponatur canis nunc ſponte ſe ſummittens alteri in ſiluam deportatae, et alligatae arbori. et tunc ex Aeliano etiam *grauem* poſſemus *ſaturam* explicare. nam non ſtimulari libidine, nec miſceri canibus Tigres, niſi ſaturatas praeda,

Auſa canis, maiore tulit de ſanguine foetum.
Sed praeceps virtus ipſa venabitur aula.
Ille

praeda, ἐν πλησμονῇ ait: fame autem inanes, canes lacerare. Ita *mero grauis* Ouid. III. Met. 608. *grauis cibo* Liv. XXXI, 41. *cibo vinoque graues* Ouid. Epiſt. XIV, 33. non diſſimili modo *graues hircos* dixit Martial. IV, 66. pro pinguibus. *graui* vero propior eſt antiquae ſcripturae *Tigris*, vbi vltima litera geminata ex proximo vocabulo *ſuccedere*. ſi *grauis* abſolute pro pleno, ſatiato diſplicet, capiat priori ſignificatu, quem dedimus. *Burm.*

166. *Maiore de ſanguine*] Praeſtantiori, nobiliori genere. Horat. Art. Poët. 292. *Pompilius ſanguis*. Virg. VI, 836. *proiice tela manu ſanguis meus.* Titius.

167. *Praeceps*] Praefeſtina; impetus animi praeferuidus. *Iohnſ.* Dictum, vt in Halieut. 75. *praeceps audacia*, de qua vide Heinſ. ad Claudian. praef. lib. I. Rapt. 9. forte tamen ſcripſerit *praecox*. Burm.

ipſa venabitur aula] Locus circumſeptus, vbi totum agmen canum manſiones ſuas habet. Horat. lib. I. Epiſt. II.

— — *venaticus ex quo*
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſiluis catulus.

Petronius *aulam* pro cauea poſuit. cap. CXIX. vſ. 17. *Vlit.* Pro nido, vt apud Martialem, *aulas apum*, interpretatur Barthius. *Aulae* non apibus, ſed Regi eorum metaphorice aſſignantur, Georg. VI, 201.

— *ipſi regem, paruoſque Quirites*
Sufficiunt, aulaſque et cerea regna refingunt.

Apud Gratium vero quid hic *aula* ſit, docet Seruius ad IX. Aeneid. 60. *Graeci aulas vocant animalium receptacula. Vnde ſepta, quae turbas prohibent in ſacris aedibus et tribunalibus, aulas vocamus.* Non ſunt itaque nidi aut caueae, ſed tota cancellata ſepta, quales illae in templis aulae, quae altare ſepiunt. *Vlit.* Vide notas ad Petronii locum. ita et Oppian. IV. Cyneg. 107. μέλαθρον ponit pro Leonis cauea. hae caveae erant vel portatiles, vt certe illa Petronii *aula*, vel, vt Vlitius, ſepta et cancellata, et hinc apud Virgil. I. Aen. 140. eleganter de feroci et indomito Aeolo, Neptunus indignabundus dicit,

— — *illa ſe iactet in aula*
Aeolus, et clauſo ventorum carcere regnet.

Vbi Seruius notat, eſſe irriſionem, quod *aulam* vocat carcerem mox. et ita non ſemper eodem modo explicanda vox erat.

Ille tibi et pecudum multo cum ſanguine creſcet:
Paſce tamen, quaecumque domi ſibi crimina fecit,
Excutiet ſilua magnus pugnator adepta.
At fugit aduerſos idem quos reperit hoſtes Vmber.

erat. *Clathra* dici oſtendit multis Heinſ. ad Claud. III. de laud. Stilic. 272. et ad Sil. I, 466. Catuli vero ex cane Hyrcana et tigride, incluſi fuiſſe videntur ſeptis, propter rabiem: ſed qua ratione tunc venari, et cum ſanguine pecudum creſcere poſſint, non video: niſi aliquando emittantur, vt venatui adſueſcant; vel, in eodem ſepto etiam alia animalia nutriantur, vt apud Martial. IX, 73. Leo et Aries et agna in eadem cauea vel ſepto. hoc ſeptum *palaeſtra* forte inde dicta, in qua exercebantur canes, et in qua apri et alia animalia. vide Scriver. ad Martial. III, 82. vide et Vlit. ad Calp. I. Ecl. 15. *Burm.*

169. *Crimina fecit*] Latine hoc dici probamus ad Ouid. II. Art. 633. *Burm.*

170. *Excutiet*] Ingenioſiſſima Gronouii (II. Obſ. 13.) coniectura, *Excuſet*, ſed ita Gratium ſcripſiſſe nondum mihi probat. *Excutere metum, furorem* Maroni, vt hic *excutere crimina*: quod amplius aliquid ſignificat, quam *excuſare*. Qui crimen excuſat, vmbraculi loco aliquid obtendit. Qui vero *excutit* totum delet et abolet. *Vlit.* Nihil mutem. Ita *excutere diros amores* Ouid. X. Met. 426. *excutiet* etiam poteſt capi pro te obliuiſci faciet; fere ita vtitur Cicero pro domo cap. 28. *Illa calamitas, ſi ita eſt appellanda, excuſſit hoc genus totum maledicti, ne quiſque audeat iam reprehendere conſulatum meum tot, tantis, tam ornatis iudiciis, teſtimoniis, auctoritatibus comprobatum*, et ita *excutere alicui mentem*, pro demere, expellere. de quo vide ad Sil. II, 592. et ſimilia paſſim. *Burm.*

171. *Idem quos*] Vetus Editio, *idem quo.* Videtur Gratius, ſalua relationis lege, ſcripſiſſe *qui.* Nam alioqui τὸ *idem* quo referatur, non habet. *Barth.* *Vmber hoſtes quos repperit, idem aduerſus fugit.* Quid planius poterat dici? Aqua tamen haeret interpreti, et ſcribendum edicit: *qui repperit.* Inſulſe prorſus. *Vlit.* Neſcio, an mereatur haec Barthii correctio tam acerbam cenſuram. Idem ille Vmber, qui ſollers et fide-

Vmber. quanta fides, vtinam, et ſollertia naris,
Tanta foret virtus, et tantum vellet in armis!
Quid freta ſi Morinûm, dubio refluentia ponto,
Veneris, atque ipſos libeat penetrare Britannos?

O quanta

et fidelis in indagando et reperiendo hoſte eſt, fugit, ſi ſe illi opponat, repertus. ita Ouid. Ep. XX, 73.

Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram.

De voce *idem* vid. ad Val. Fl. II, 104. Vulgatam tamen ſeruo, eodem modo mox vſ. 186.

At clangore citat, quos nondum conſpicit apros etc.

Burm.

173. *Vellet in armis*] Id eſt in bellis, quae armis geruntur. Virgil. I. Aen. *Arma virumque cano.* et ſupra 157. *arma negant.* aliter dictum paullo ſuperius. vſ. 160. at *contra faciles, magnique Lycaones armis. Vellet* ergo *tantum in armis* eleganter dictum, pro in ipſa pugna, idem ipſi impetus eſſet, qui ardor in inueſtigando. ita *arma velle* et ſimilia. vid. ad Sil. IX, 7. eruditiſſimum Drakenborchium. *Burm.*

174. *Morinum*] *Dubio ponto* eſt inſtabili et ſemper inaequali. *Barth.* Auſonius in Moſella 32. *biuio refluus munimine pontus. Dubius* itaque hic pontus, qui nunquam certa ſtatione manet, ſed modo huc, modo illuc aeſtu ſuo agitur. *Vlit.* Recte explicant. aliter *dubium* mare, ſaepe eſt, vnde periculum naufragii et ſubmerſionis. Ouid. Ep. XVIII, 52. IV. ex Pont. X, 10. ſed ex noſtri Poëtae ſenſu dixit *dubiam Syrtim*, Lucan. I, 686. vbi vide doctiſſimi Oudendorpii notas. Iornand. de reb. Get. cap. V. *terra paludibus dubia.* vid. Scal. ad Manil. V, 794. Sic fere *dubium coelum* dicitur, nunc ſerenum, nunc pluuium. *Burm.*

175. *Atque ipſos*] Licet non culpem hanc locutionem, tamen video ſaepius *penetrare regionem* dici, quam ipſos *populos*, vt ita *Aegyptum penetrare* Sueton. Caeſ. 52. et ita Florus et alii. ſed de hominibus fere dicunt *penetrare ad eos.* quare hic legerem, *atque ipſos l. penetrare Britannos.* Sueton. Caeſ. 6. *Clodium inter publicas cerimonias penetraſſe ad eam fama erat.* 58. *per ſtationes hoſtium penetrauit ad ſuos.* ſic Catull. Carm. cap. XI.

Siue in extremos penetrabit Indos.

Burm.

O quanta eſt merces, et quantum impendia ſupra!
Si non ad ſpeciem mentituroſque decores
Protinus; (haec vna eſt catulis iactura Britannis)
At magnum cum venit opus, promendaque virtus,

Et

176. *Quantum impendia ſupra!*] Ait, impendia bene compenſare canes Britannos. *Barth.*

177. *Ad ſpeciem*] Ita Mela II, 2. de Thracia, *viros benignius alit, non ad ſpeciem tamen: nam illis aſper atque indecens corporum habitus.* vid. Pontan. ad Macrob. II, 9. Keuchen. ad Seren. Samm cap. 5. male ergo Heinſius tentabat, *ſi non dant ſpeciem:* nam obuia locutio eſt etiam in aliis, *ad ſpeciem.* Sueton. Caeſ. LXVII. *milites argento et auro politis armis ornauit, ſimul et ad ſpeciem, et vt tenaciores eorum in praelio eſſent.* Flor. III, 12. ad *imperii ſpeciem magna nomina.* Burm.

178. *Catulis*] dubito, vtrum pro *canibus* commode ſatis poſitum, an ita potius ſcribendum ſit. *Vlit.* Voſſius ad Catullum p. 100. ad haec verba, *catuli ore Gallicani* ſic dicit. catuli i. e. canis. vt paſſim apud Horatium, Virgilium; Graeci σκύμνους vocant, non recens genitos, ſed adultos. nulla itaque opus correctione. occurrit poſtea v. 400. *Iohnſ.* Vide ad Nemeſ. Cyn. 129.

179. *Ad magnum*] Hanc e vett. lib. ſcripturam ſeruaui. Barthius ex ſua ſibi Edit. refingit: *At, magnum*, etc. Mens Gratii autem haec eſt: *cum opus ad magnum venit*, id eſt cum bellandum eſt collata cum feris vi, et extremo vitae periculo decernendum. *Magnum opus* itaque bellicoſa eſt venatio, vt mox, *leue opus*, cum curſu tantum in fugaces feras contenditur. *Opus* ipſam ſaepiſſime venationem vocat. *Vlit.* *At* praetuli. praecedente enim *ſi* rectius *at* ſubiicitur. vid. Gronou. ad Liu. XXII, 37. et hoc requirit praecedens *ad ſpeciem*, cui nunc vſum opponit, vt ſaepe auctores. Manil. II. 821.

Effectu minor in ſpecie, ſed maior in vſu.

vbi ex codice Suſiano *in ſpeciem* notauerat Heinſius. vnde Iuſtin. XIV, 6. *Specioſum magis, quam vtilem gregem* dixit.

 et

Et vocat extremo praeceps diſcrimine Mauors,
Non tunc egregios tantum admirere Moloſſos,
Comparat his verſuta ſuas Athamania fraudes,
Acyruſque, Pheraeque, et clandeſtinus Acarnan.

Sicut

et contrario ſenſu Ouidius VII. Met. 681.

— — — *et vſum*
Maiorem ſpecie mirabere, dixit in iſto.

Burm.

181. *Moloſſos*] pergit bellicoſos canes recenſere, inter quos celeberrimi olim Moloſſi, ideoque *egregios* hic vocat, *acres* Virgil. Georg. III. vbi Seruius: in Moloſſis fortitudo *laudatur.* Vlit. Ita mox Moloſſo patre et Aetola matre natum canem non vanae linguae fore tradit noſter vſ. 196. *Burm.*

182. *Comparat*] Forte, *comparet.* et ita puto Geſnerum legiſſe, in cuius Hiſt. Quadrup. pag. 217. vitioſe excuſum eſt *competar* pro *comparet.* vid. et inf. vſ. 507. *Burm.*

fraudes] Fraudes eorum ſunt ſubiti inſultus, et repentini ac taciti acceſſus. Tale quid in Indico cane laudat Plinius, *ingenti primum latratu intonuit: mox irruit aſſultans, contraque belluam exſurgens hinc et illinc artifici dimicatione, qua maxime opus eſſet, infeſtans atque euitans, donec aſſidua rotatum vertigine afflixit.* Hae bellicoſorum fraudes ſunt. Vlit.

183. *Acyruſque*] Lege *Acytus.* Barth. Geſnerus coniecit primus, *Acytus*, quae eſt adeo ignobilis, vt tam generoſos canes produxiſſe veriſimile non ſit. Fuit cum ſubſtituendum putarem *Acritas*, quod initium Meſſeniaci ſinus eſt, et haud longe Taygetus mons canibus Laconicis cognitiſſimus. Nunc vero ipſum *Taygetum* hic reſtituendum puto, cuius canes pro toto genere κατ' ἐξοχὴν poſuit Maro Georg. III. *Taygetique canes.* Vlit. *Epiruſque* reſtituit Gronouius. Heinſius, *Argiuus.* Iohnſ. Vid. Syllog. Epiſt. t. IV. p. 285. et ad Ouid. VI. Met. 416. ſed Argiuos canes voluiſſe miſcere Poëtam canibus, in alia parte Graeciae verſus Epirum et Macedoniam, non ſit veroſimile. Latet nomen gentis vel vrbis in vicinia aliarum. Scaliger adſcripſerat *Aſcyrus*, quem locum ignoro, niſi aliquem nouerit, vnde *Aſcyridem* paludem dictam memorat Liuius lib. XLIV, 2. ſed obſcurior eius

Sicut Acarnanes ſubierunt proelia furto:
Sic canis illa ſuos taciturna ſuperuenit hoſtes.
At clangore citat, quos nondum conſpicit, apros

Aetola

eius notitia vix videtur perſuadere eius meminiſſe Gratium. *Burm.*

clandeſtinus Acarnan] Qui ex inſidiis viatorem adoritur. *Titius.*

184. *Sicut Acarnanes]* Thucydides lib. III. ad finem narrat, vt Acarnanes, conſilio Demoſthenis in inſidiis locati Ambraciotas prorſus profligarunt. Huic hiſtoriae alludit Gratius. *Iohnſ.* Neſcio, an ad ſingulare aliquod Acarnanum factum reſpiciat, an potius ad eorum conſuetudinem, vt recte Barthius: ita vt *ſubierunt* ſit pro ſubire ſolent; vt ſupra 162. vidimus. ex moribus ergo gentis, canes etiam fraudibus vti docet. *Superuenire* vero proprium eſſe bello docuit Barth. I. Adu. 16. et alii paſſim. ſed noſter noue accuſatiuum caſum ipſi dat, cum alii fere datiuum adiungant: ita Stat. VII. Theb. 275. *nimia ſata laeta ſuperuenit herba.* vbi recte, opprimit, reddit Lutatius. *Burm.*

Furto] Clam, dolo. Sic κλοπὴν pro furto bellico dixit Libanius, Declamatione Menelai. *furtiuum bellum* Procopius de Bello Perſico lib. I. Gratii eſt ſententia: ſicut Acarnanes conſueuerunt clam et dolo hoſtibus nocere, ſic eorum quoque canes mores eoſdem furtim ſubrependi vſurpant. Vox *ſuperuenit*, improuiſum damnum denotat. *Barth. Furto* pro *furtim.* vid. ad Ouid. VI. Epiſt. 43. et *ſubire* eſſe verbum occultae et furtiuae molitionis docuit Brouckh. ad Propert. I. IX, 26. vid. et inf. 257. *Burm.*

185. *Sic canis illa]* Semel dicendum eſt, libentius Cynegeticos ſcriptores canes, foeminas nominare, quam mares ad exercitium venandi, propterea quod eae longe ſint animoſiores. *Titius.*

186. *At clangore]* Gannitu. Feſtus. *gannitio canum querula murmuratio. Clangorem* de tuba Virgilius dixit. *Titius. Clamore* corrigit doctiſſimus Marklandus ad Stat. I. Silu. IV, 55. quia *clamor* in venaticis canibus proprie dicitur. fateor, ſed non ideo minus noſter hic eleganter *clangorem* canibus tribuit, quia grauior clamore, vnde *malignum officium* vocat. et hinc κλάγγην canibus tribuit Xenophon iunior cap. III. XXI. et alibi. et diſtinguit ab ὑλαγμῷ latratu. *Burm.*

 Citat

Aetola quaecumque canis de ſtirpe (malignum
Officium) ſiue illa metus conuicia rupit;
Seu fruſtra nimius properat furor. et tamen illud

Ne

citat] Hic vero malignum officium duumuirum, et ſimul peruerſam explicationem notare fas eſt. dicunt, ſe non plus ſemel in Poëta purioris aeui *citari* pro excitari legiſſe: Quis vero ille ſit, non indicant, niſi illum locum ſignificant, quem ex Valerio Flac. lib. III, 527. (vbi *citatae ſorores*, pro excitatae, producunt, cum ſit ibi alia verbi vis, et *citatae* ſint incitatae, cum impetu ruentes, vt explicui, et ex Statio eiusque interprete Barthio oſtendi, quem mihi ſublegerunt. et ita *citare equos*, et *citati equi*, *curſus*, *gradus* paſſim occurrunt, pro citis, celeribus. Sed hic *citare clangore*, eſt eodem modo dictum, vt *ciere* et *citare voce*, *ſono*, quod ſaepe occurrit. ita *manes citare*, de quo vide Heinſ. ad Claud. I. in Rufin. 155. vid. Feſtum in *procitant*. vbi, *citare eſt vocitare*, qui vero *citat voce*, ille facit, vt exſurgant, et ita ſimul excitat. Sic Lucret. V. 1250. *canibus ciere*: ſic *citabantur* per praecones rei, teſtes et alii quae obuia ſunt. Et Catull. LVI. ait, *ſe citarier ad ſuum munus*. Senec. Herc. Oetoe. 12, 38. *citatam greſſibus vici feram*, poteſt capi pro celerem, vt *pernix* dicitur Herc. Fur. 222. *Burm.*

187. *Malignum officium]* Venantibus malignum, vtpote quod feris euadendi copiam dat. noxia ſedulitas. *Iohnſ.*

188. *Conuicia]* Vox inordinata et confuſa *conuicium* dicitur quaeuis. *Barth.* Clamorem. Phaedrus lib. I. fab. 6. *Clamorem ranae ſuſtulere ad ſidera, conuicio permotus quaerit Iupiter cauſam querelae.* Lib. III. fab. 14. *Cicada acerbum noctuae conuicium faciebat.* Iohnſ.

189. *Furor]* Scribo *fauor.* dum ſibi fauet ante tempus, et praedam credit ſuam, a qua longe adhuc abeſt. ſic infra 230.

Ne qua ex nimio redeat iactura fauore.

Et mox 240.

— vt ne prima fauentem pignora fallant.

Gronon. II. Obſ. 13. *Iohnſ.* Veriſimilis coniectura Gronônii quia hae voces paſſim in MSS. reperiuntur inter ſe commutari. vt apud Lucan. II, 447. VIII, 359. Sil. Ital. VII, 496. vbi eodem modo dubia eſt ſcriptura, et *fauorem* explicare licet temeritatem magiſtri militum

Ne vnum totas genus adſpernere per artes,
Mirum quam celeres, et quantum nare merentur:
Tunc non eſt victi cui conceſſere labori.
Idcirco variis miſcebo gentibus vſum.
Quon-

litum, qua ille videbat Hannibali ad victoriam viam aperiri, vel *furorem*, vt viri docti malunt, impetum et inconſultum in Hannibalem tendendi conſilium. vid. Cl. Drakenb. *Burm.*

190. *Vanum*] Vt vanum et inutile. *Iohnſ.*

totas per artes] Artes venandi tres ſunt, robur, odor, volocitas. Robuſti fere omnes canes ſunt, quos hactenus nominauit, exceptis Gelonis et Vmbro. Athamanes et reliqui fraude magis, quam nuda vi hoſtes ſuos debellant. His ſubiicit nunc Aetolos, et bellicoſae venationi aut fraudulentae ineptos eſſe oſtendit, quia produnt clangore ſuo feras nondum conſpectas. *Vlit.*

191. *Celeres*] Non vt inter veloces conſtituendi ſint, ſed quod celerius et expeditius inveſtigent. Hoc eſt, cur Maro Georg. III, 405. dixerit: *Veloces Spartae catulos*, qui ſagacitate alias commendantur. *Vlit.*

merentur] Praeſtant. *Barth.* In eius editione eſt *merente.*

192. *Tum non*] Porro nullus eſt labor, cui labori ceſſerunt vnquam defatigati. *Iohnſ.* Heinſius in ora codicis, *tum nil eſt, victi cui conceſſere, laborum.* vel, *nihil e, v. c. c. laboris.* Meurſius. *tum non et victi cum conceſſere labori.* Mihi vulgata ſatisfacit. Sed videndum, an ex vſu elegantioris aeui dixerit Gratius *victos concedere labori*, cum vſitatius ſit *cedere*, vt videre licet ex illis, quae Graeuius ad Cicer. I. Catil. 9. Cort. ad Sall. Catil. Excurſu IV. et alii notarunt: victorum enim eſt *cedere*, cui pares non ſunt. ſed tam faſtidioſe ne ſimus: vt enim *fatis concedere* dicuntur, qui a fatis vincuntur (vid. ad Val. Flac. I, 454.) *dolori concedere*, qui ab eo vincuntur, *ſomno concedere* Nemeſ. II. Ecl. 43. vt paſſim *vinci ſomno.* vid. ad Ouid. XI. Met. 238. et ſimilia obuia. ſic ergo et recte victus labori concedit. *Burm.*

193. *Miſcebo gentibus vſum*] Suadeam, vt diuerſi generis canes inter ſe coitu miſceantur. *Titius.* Heinſ. Epiſtol. Syllog. t. IV. p. 285. *Miſcebo.* recte, vt puto; praeceptum enim eſſe Poëtae poteſt, vt moneat, ex diuerſis gentibus canes eſſe

Quondam inconſultis mater dabit Vmbrica Gallis
195 Senſum agilem: traxere animos de patre Gelonae
Hyrcano,

miſcendos, qui inter ſe coëuntes dotes quasdam et virtutes alienas trahant a patre vel matre diuerſae gentis, et ita emendent vitia ſuae ſtirpis. Inſolentior tamen mihi locutio videtur *miſcere vſum diuerſis gentibus*, nec video, quid inferat τὸ *idcirco*: an ſcripſerit, *variis miſceto gentibus vnum*, vel *vnam*, vt de Aetola cane pergat agere, quam multi ob malignum officium nolunt adhibere, ſed auctor non ſpernendam per totas artes, id eſt omnino, credit, quia eſt ſagaciſſima, nec labori ſuccumbit, et idcirco vel vnam ſaltem admiſce canibus aliis ex diuerſis gentibus. poſſet et ita capi totus hic locus, vt non tantum de commixtione, quae coitu fit, ſed et de ipſo venatu, vbi variis ex gentibus canes miſcentur inter ſe, agat: continuat autem de Aetola cane ad vſ. 97. et media de Gallis ex Vmbra matre, et Gelonis ex Hyrcano exempli gratia adducit. Videant eruditiores: ego timide coniecturam meam prodo. *Burm.*

194. *Quondam*] *Quondam*, hic eſt aliquando, vt plurimum. Vide Heinſ. ad Ouid. II. Triſt. 85. et infra vſ. 500. *Burm.*

inconſultis Gallis] Temere in agris errantibus, quia nulla ineſt illis naris ſolertia, qua duce dirigantur. Nam v. 156. laudantur tantum ob bellicoſam venationem. *Iohnſ.* De voce *inconſultus* vid. ad vſ. 4. huic loco accommodatus locus Senecae de Tranq. Anim. 12. *inconſultus illis variuſque curſus eſt.* *Burm.*

195. *Senſum agilem.*] *Senſum* pro ingenio aut acumine poſuit. Virgil. Culice.

Vt tibi digna tuo poliantur carmina ſenſu.

Barth.

traxere animos] Hic furtum et inſcitiam prodit nouellus interpres Gratii, qui dicit, ſic loqui aliquando poëtas, et ex Ouidii Triſtibus locum producit, non deſignato libro vel Elegia, et explicat hoc modo, *facere animos*, id eſt *ſumere animos*, quia ſcilicet in lexico Fabri repererat hoc exemplum ex Ouid. IV. Triſt. 9. vbi tamen non exſtat, ſed Eleg. VIII, 3. ſequebatur vero paulo *poſt* in Fabro, *ſumere animum* ex I. Faſt. 147. Faber vero, ſiue quicumque interpolauit, exponit,

Hyrcano, et vanae tantum Calydonia linguae
Exibit vitium patre emendata Moloſſo.

Scilicet

nit, *facere animos* per *reddere animum*, vt Terent. And. II. 1. ſed longe diuerſa eſt Ouidii ſententia;

Quae tibi res animos in me facit, improbe?

Id eſt, quae res te fecit mihi inimicum, et tam inſolentem, vt miſero audeas inſultare. Quae nihil habent commune cum hoc Gratii loco. nam *trahere* proprie verbum de nominibus, genere, ingenio, moribus, et aliis, quae ex parentibus ducimus. ſic Gelonae canes manſuetiores, ex patre Hyrcano, trahunt vehementiam illam, quam ſupra in Hyrcanis praedicauit. vid. ad Ouid. IV. Met. 415. ita VI. Faſt. 132. *ſed genus inde trahunt. ibid.* 802. *Vnde trahit Marcia caſta genus.* Manil. V, 256. *Inde trahit quicumque genus moreſque.* Suet. Tib. 3. *Genus ex ſtirpe hac traxit Tiberius.* Ita *originem trahere* Liu. lib. VIII, 22. et quae paſſim occurrunt, non his notis committenda, niſi tam rudes et ſtultos interpretes hic Poëta nactus eſſet. *ducti ab origine mores* ſupra 154. *Burm.*

196. *Et vanae tantum Calydonia linguae]* Sine dubio Poëta, vt *inconſultos* Gallos dicens, impetum gentis per canes notat, ita hic Aetolos tangit ſub canum nomine. nam in illis ſaepe vanam linguam et animum notant ſcriptores. ita *vanitate* ſua omnium aures offendiſſe dicit Liuius libr. XXXIII, 11. *vaniloquentiam* dat Alexandro Aetolorum principi lib. XXXIV, 24. et XXXVI, 17. *gentem vaniſſimam* vocat. et ita paſſim. et modo Aetolos canes *vanum genus* vocauit vſ. 190. per Calydoniam vero Aetoliam intelligi docet Varro lib. VI. de L. L. pag. 869. Pacuuius, *Calydonia altrix terra exuberantium virorum,* vbi addit Varro. *vt ager Tuſculanus, ſic Calydonius ager eſt, non terra. ſed lege Poëtica quod terra Aetolia, in qua Calydon, a parte totam accipi Aetoliam voluit.* Heinſius pro *tantum vitium* malebat *incautum.* ſed *tantum* hic eſt, vt ſupr. 162. *vehementia tanta.* vel poſſet *tantum* eſſe pro ſolum, vt Calydoniae canes, niſi a patre Moloſſo genus trahant, vanae linguae tantum ſint. *Burm.*

167. *Exibit]* extra vitium. Ita Virgil. cum accuſatiuo. *exit tela.* Iohnſ. *Exire* quidem cum accuſatiuo conſtruitur, vt viri docti docuerunt ad Virg. I. Aeneid. 357. et V, 580. et Scalig. ad Manil. V, 164. et Heinſ. ad Ouid. VII. Met. 517. et alibi. ſed in illis ſenſus quidam

 diue-

Scilicet ex omni florem virtute capeſſunt,
Et ſequitur natura fauens, at te leue ſi qua
Tangit opus, pauidoſque iuuat compellere dorcas,
Aut verſuta ſequi leporis veſtigia parui;

Petro-

diuerſus eſt, ſed hic notat exuere, euadere, deponere, vt inf. 372. et alibi, quare hoc inter ſingularia Gratii repono. *Burm.*

emendata] Elegantiſſima translatio a libris, qui *emendari* dicuntur. Ita Ouidius *mendam* pro naeuo corporis dixit Amor. I. V, 17.

Vt ſtetit ante oculos poſito velamine noſtros,
In toto nuſquam corpore menda fuit.

Barth. An non *patre emendante.* ſed eodem redit. *Burm.*

198. *Florem virtute capeſſunt*] Id quod optimum eſt ac pulcherrimum in quaque re, *flos* appellari conſueuit. neque aliter Graeci. Oppianus dixit IV. Cyn. 153. Αὐτοὶ δ' οἷος ἄωτα πρόπαν δέμας ἀμφιέσαντο *Titius.*

199. *Sequitur natura*] Tralata haec figura ſermonis a cera, quae *ſequi* dicitur manum artificis. *Barth.* Vid. ad Quinctil. II. de Inſt. Orat. 14. et I. Declam. 7. et XIII, 17.

200. *Tangit*] Capit, delectat. *Iohnſ.*

opus] Venatio. *Idem.*

dorcas] pro *Dorcades.* Titius. Inuſitatior haec vox a δὸρξ, δορκὸς, non a δορκὰς, vnde *dorcades* fecerunt Latini. Gloſſae veteres: δορκὰς, *damma, capriola.* Ita ſcribebant illo tempore pro *dama, capreola.* Vlit.

201. *Verſuta*] Nihil moueo, ſed forte ſcripſerit, *aut hirſuta ſequi*, vt reſpiciat ad nomen δασιπὲς, quo et lepus et cuniculus deſignatur, vt multis Geſnerus oſtendit: et certe licet daſypodes diuerſi eſſent a lepore, non minus lepos pilos ſub pedibus habet. Vnde Xenophon alter, ſiue Arrianus cap. 14. dicit, eum habere δασεῖς πόδας, et ideo ſine noxa per glaciem currere. et cap. 18. idem dicit, ideoque eum non laedi aſperitate locorum. *Verſuta* vero ex Xenophonte poſſunt ex poni. Τὰ ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ ἥκοντα, et eos turbare veſtigia, ſiue ἐπαλλάττοντας ἅλματα, ἐμποιοῦντες ἴχνεσιν ἴχνη ἀποχωρεῖν, ſcribit idem de Venat. p. 985. vid. et veſtigiorum

Petronios (ſcit fama) canes, volucresque Sugambros,

giorum variorum deſcriptionem p. 985. et aliae artes, quibus ſalutem tuetur et quaerit lepus, venatoribus ſunt notae, Martial. I, 56. *Leporemque forti callidum rumpes equo.* Vid. et inf. 225. *Burm.*

aut verſuta ſequi] Paruorum leporum quam adultiorum olentiora eſſe veſtigia tradit Xenophon Cynegetico, quem forte reſpexit hoc Epitheto Gratius. *Barth.*

202. *Petronios*] Qui ſint iſti canes *Petronii*, nondum comperi; cogitabam *Petrinos*, a populis Petrinis Siciliae: vel *Petragoros*, quaſi Aquitanos: vel *Petronios* a colonia eius nominis in Carnis ad Drauum, cuius meminit Tacitus: quos Petrobios vocat Ammianus. *Petronia amnis eſt in Tiberim profluens.* Feſtus. Video a *Petra*, quo nomine ſunt plures vrbes, interdum *Petreus*, interdum *Petrinus*, interdum *Petrenſis* deriuari. vid. Steph. in Πέτρα. Non habeo, vbi conſiſtam. *Titius.* *Petrunculi* et *Petronii* iidem ſunt, canes veloces ſimul et ſagaces, non a gente aliqua, ſed a qualitate nomen ſortiti. Feſtus in ſchedis: *Petrones, ruſtici a petrarum aſperitate, et duritie dicuntur.* *Petronii* hinc Romanorum familia: et *Petronii canes*, quia ita *ſolidos calces* habent, vt petras et rupes etiam illaeſim percurrant. Εὔποδες hi vocantur Xenophonti cap. 7. In Italia fama tantum cognitum fuiſſe Gratii aeuo, ipſa haec verba fidem faciunt. ex Belgio originem traxiſſe vero non abſimile eſt. *Vlit.* *Pannonios* in margine notauerat Scriuerius.

202. (*Scit fama*)] Olim *ſic* legebatur. at non putem dicere Gratium, Petronios canes iſto aeuo tantum fama cognitos. quid enim iuberet deligere ad hanc venationem, qui nulli eſſent? ſed ſcripſit, *ſcit fama.* teſtem enim eius quod dicit, facit famam publicam, prorſus idem v. 256. *Thoës commiſſos (clariſſima fama) Leones.* Gronouius. *Iohnſ.* Frequens haec fuit aberratio librariorum, pro *ſcit ſic* ſupponentium: ita apud Lucan. III, 215. legendum puto cum Heinſio. Et *felix*, *ſcit fama*, *Ninos.* Nec dubito in aliis locis vbi; *ſic fama eſt*, ſaepe ita peccatum fuiſſe, licet non ſemper *ſcit* ſupponendum putem. Vid. Sil. lib. III, 191. et quae ibi adducit Drakenborch. Apud Quinctil. Declam. XXVIII, 12. vidimus, immemorem ſui magnum Gronoñium mutaſſe veram lectionem. *i nunc et dic ſciſſe rumorem.* eſt vero vſitatiſſima

Et pictam macula Vertraham delige falſa.

Chor

tiſſima formula, et vſus verbi *ſcire*, vbi ad teſtimonium citamus res vel homines, Stat. VIII, 102. *Scit Iudicis vrna Dictaei* IV. Silu. VI, 93. *Scit adhuc florente ſub aeuo Par magnis Veſtinus auis.* Claud. I. in Eutr. 409. *Scit Tabraca.* Ouid. XII. Met. 440. *Scit tuus hoc genitor.* XIII, 202. *Scis hoc Menelae.* Stat. I. Theſ. 70. *natoſque tibi (ſcis ipſa) paraui.* *Scit fama* ſupr. vſ. 100. Turnebus volebat, ſed ibi *dat* praetulimus. eadem eſt ratio in vſ. 256. *clariſſima fama.* Burm.

203. *Vertraham delige falſa]* Meminit Martial. lib. XIV. Epig. 200. a Turnebo lib. XVIII. cap. 1. in eam rem notatus, ſed ſyllaba media correpta, quod in barbaro vocabulo mirum obuenire nemini debet. *Barth.* Mirum nemini videbitur, quod barbarae voces in Latium delatae non literas aliquot, ſed totas ſaepe ſyllabas diuerſas acceperint. Integrum fuiſſe augurer. *Veltrache.* *Velt* campum ſignificat. *Racha* Saxonibus canem ſignificauit. *Veltracha* abiit itaque in *Vertracha*, et *Vertraha*. Videri alicui poſſet, *Veltracham* hic apud Gratium quoque integre ſcriptum fuiſſe, cum in Notis Tyronis ac Senecae expreſſe *Veltragam* legamus. niſi quod *Veltagra* perperam excuſum eſt. *Veltraga* autem et *Veltracha* eodem modo pronuntiantur. Sed *Vertraha* ab illis poſitum eſt, qui *Vertragum* apud alios legerunt. *Vlit.* Incertas omnes has coniecturas puto: nam et poſſet deduci a *verre* longe, et *dragen*, quia leporem poſt longum curſum captum illaeſum ad dominum refert. Quales a noſtratibus *beſchutters* dicuntur, quia a reliquorum canum laceratione defendunt praedam, vt integra potiatur venator. Eccard. ad Leg. Salic. Tit. VI. §. 4. *vertraham* vel *vertragum* cum Skennero deducit a *vertendo*, quod cum Saxonibus et nobis etiam ſit *wenden*, inde *windhond* deriuat, quaſi *wendhond.* ſed hic a celeritate, qua ventos aequat, figurata et poëtis vſitata locutione, dictus eſt. praeterea ſi argutiis indulgere licet, poſſet dici quaſi *wilddragers*, qui praedam, *t'wildt*, portant. multa quoque congeſſit Cangius in Gloſſar. Med. Latinit. in *canis*. Pithoe. ad Leg. Salic. legit *Veltrahum*. *Burm.*

macula falſa] *pictam macula falſa*, pro diuerſicolori. ſolent enim optimae *Veltrachae* nigris flauiſque mixtim virgis luporum liciorum terga potiſſimum referre, ita tamen, vt nec virgae, nec maculae proprie dici poſſint. *Vlit.* *Falſam* illam *maculam*

Ocior adfectu mentis pinnaque cucurrit,
Sed premit inuentas non inuentura latentes,
Illa feras; quae Petroniis bene gloria conſtat.
Quod ſi maturo preſſantes gaudia luſu
Diſſi-

culam vix intelligo, niſi ſi Vlitius intellexerit colorem illum falſo apparentem, quem noſtrates *weerſchyn* vocare ſolent, qui ex fulgore aliquo repercuſſo ſolet oriri, et reuera tamen non eſt diuerſus color. *Burm.*

204. *Ocior affectu mentis*] Non potuit ſumma celeritas commodius exprimi, nam ſagittarum, ventorum ac fulminum pernicitas, quibus imaginibus nonnunquam vtuntur Poëtae, ad eam rem ſignificandam, nugae ſunt prae celeritate mentis, cuius ſumma eſt, vt quae verbis non ſatis exprimi queat, velocitas. Sed peccatum videtur a Gratio, quod procedendo oratio decreſcat, cum poſt celeritatem mentis ad pinnas tranſierit. Homerus recte Odyſſ. VII, 35. ἐπεί σφισι δῶκ' Ἐνοσίχθων τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα. Sed poëtae non ſunt eius ordinis admodum obſeruantes. *Titius.*

pinnaque] Sagitta pinna ſuffixa. *Barth.* Neſcio, an *pinna* pro ſagitta ponatur. *pennam* ita ſumi docuimus ad Valer. Flac. VI, 421. quare, ſi *pinna* retinendum, pro *volucri* vel *aue* capiendum, vt canis velocior currat aue volante. *Burm.*

207. *Preſſantes*] Non intelligo haec ſatis, quis ille *maturus luſus*, et quid *preſſare gaudia*. ſenſus tamen auctoris apparet; ſi poſſent continere latratum, quo gaudia de inuenta fera produnt, gloriam omnem auferrent. Heinſius volebat,

Quod ſi immaturo teſtantes gaudia plauſu
Diſſimulare etc.

Certe *preſſare gaudia* vix puto dici poſſe. Voce enim hac aliter vtuntur. vid. ad Ouid. VIII. Met. 538. nec *prenſare gaudia* eleganter dici credo. forte *maturo ſeruantes gaudia luſu*, vt *luſu* ſit pro *luſui*. ſi poſſent gaudia ſua differre et ſeruare, maturo luſui et alacritati, decus omne illis foret. ita in Apuleii loco, a Vlitio laudato, *tacita ſeruata muſitatione*. *luſu* autem pro *luſui* capi ſolere, non opus eſt, vt doceam. vid. et vſ. 60. et Broukh. ad Propert. I. XI, 12. pro *luſu* poſſet et *nutu* legi vel *motu*, vel etiam *niſu*. ſed facillimum ſenſum eliceremus, ſi illud *teſtantes* Heinſii amplectentes legeremus,

Quod

Diſſimulare feras, tacitique adcedere poſſent:
Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,
Conſtaret ſiluis: ſed virtus irrita damno eſt.
At

Quod ſi maturo teſtantes gaudia luſu,
Diſſimulare; feras etc.

gaudia dictum eodem ſenſu inf. vſ. 237.

Aut effecta leui teſtatur gaudia cauda.

Vbi *effecta gaudia*, quae hic *mature luſa teſtari* vult Poëta, non ante, quam deprehenderint cubile ferae. *luſus* ergo eſt adulantis caſus motus ille corporis, cauda ſimul, et roſtro et pedibus demonſtrantis feram, habitus. vnde Plinius lib. VIII, 40. *Quam ſignificans demonſtratio eſt, cauda primum, deinde roſtro.* Burm.

209. *Metagontes habetis*] vox haec pura puta Graeca eſt, vt ſupra *ancones*. μετάγοντες dicti, quia multo tempore et foetu μετάγεται καὶ συγκέκραται ἡ φύσις αὐτῶν, vt fere de canibus ex vulpe ſemiferis loquitur Xenophon cap. 2. *Vlit.* De clamore in bellicoſa venatione addendus elegans Papinii Statii locus Th. IV, 494.

Qualis Gaetulae ſtabulantem ad confraga ſiluae
Venator longo motum clamore leonem
Exſpectans etc.

Haec quidem de ipſo venatore. Sed et canibus tum idem incumbit officium, vt latratu inuadant hoſtem. Sic Apuleius in apraria venatione lib. VIII. Metam. *Iamque apud frondoſum tumulum, ramorumque denſis tegminibus vmbroſum, proſpectu venatorum obſeptis* (*obſentitis* exMS. malim) *campis canis venationis indagini generoſae mandatae, cubili reſidentes inuadere feras immittuntur: ſtatimque ſolertis diſciplinae memores partitae totos praecingunt aditus: tacitaque prius ſeruata muſſitatione ſigno ſibi repentino reddito latratibus feruidis diſſoniſque miſcent omnia.* Vlit. *in Add.* An non Metagontes poſſent dici ab inveſtigando et perſequendo feras, a μετάγω? nam Heſych. μετάγει, explicat μεταδιώκει. *Burm.*

210. *Siluis*] In ſiluis. Genera iſta canum apud neminem ſcriptorem legi, cuius nunc meminerim. *Barth.* Heinſius malebat *ſiluae*, ſed recte Barthius explicat: ita et ſupr. 162. *Suis petiere vltro fera ſemina ſiluis.* mox etiam vſ. 214. et ſaepe alibi. *Burm.*

virtus] Inconſulta illa animi vis et praeſidens, quae caret

At veſtrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta

ret effectu, impedit, quo minus ſua gloria omnibus numeris ſit abſoluta. *Iohnſ.*

211. *Ad veſtram*] *Virtutem* ex proximo repetendam. Dicit enim, Spartanos et Cretenſes canes ad Metagontium virtutem, proxime accedere. *Sparta et Creta non patria vulgo*, et vilibus canibus, *ad veſtram virtutem promittit*, iactat et comparat alumnos ſuos *non vile genus*. Vlit. *Ad veſtrum non vile genus* legit Barthius. at Heinſius ad lib. VI. Ouid. Met. v. 416. ſic ſcribit. Locus contaminatiſſimus. ſcribe.

Par veſtro, non vile genus, Nonacria, vulgo,
Sparta ſuos, et Creta ſuos promittit alumnos.

Iohnſ. Videntur intricata hic omnia, et expoſitiones violentae, ſi *ad* hic inſeruiat comparationi: quis enim vnquam dixit, *non promittit alumnos ſuos ad veſtrum genus*, id eſt, non iactat, non comparat alumnos ſuos metagonti: ſi hoc eſt elegans loquendi genus, ego omnes elegantias ignorare me libens fateor. ſine dubio autem *at* primo legendum, qualis et ſupra error commiſſus fuit vſ. 179. Opponit metagontes vertrahae, et aliis canibus: laborarunt etiam vehementer in hoc loco Heinſius et Graeuius, vt ex mutuis eorum Epiſtolis Tom. IV. Sylloge. 285. et ſqq. eſt videre: praeter vero coniecturam a Iohnſonio memoratam pag. 294. legebat Heinſius,

Ad noſtras non vile genus Nonacria, et, acres
Sparta ſuos, et Creta ſuos promittit alumnos.

vbi duriſſime certe, *et*, non ſuo loco poſitum vult, nec video ſenſum, nec quo ordine verba conſtruendum, niſi hoc. Nonacria promittit non vile genus ad noſtras acres canes, et Sparta et Creta ſuos alumnos: quae quam dura et coacta, et a veſtigiis ſcriptorum longe abeuntia ſint, manifeſtum eſt; mollior medicina foret,

At veſtro ne vile genus, ne patria, vulgo,
Sparta ſuos, et Creta ſuos committit alumnos.

hoc ſenſu, ad Metagontes ſermone conuerſo. Veſtro vulgo, (id eſt generi, genti, vt inf. 370. et alibi) ne vile genus eſſet et patria (quae duo etiam in hominibus iungere ad nobilitatem declarandam ſolent Poëtae. vid. ad Valer. Flac. IV, 204. Petron. cap. 124.) committit, id eſt commiſcet, Creta ſuos et Sparta ſuos alumnos, id eſt canes apud ſe natos. Ex Spartano enim et Cretenſi inter ſe commixtis, prodire Metagontem dicit: committere vero pro coniungere obuium

Sparta ſuos et Creta ſuos promittit alumnos.

Sed

obuium eſt, et ita *commiſſa Venus* Propert. IV, VII, 19. quae *iuncta* Ouidio et aliis. ſi quis *promittit* velit retinere, explicet, veſtro vulgo ſpondet, et quaſi deſpondet ſuos alumnos Sparta et Creta. *Veſtrom* et *vulgom* fecere ex *veſtro vulgo*, vt ſaepe aberratum alibi docuimus, et caſus illos confuſos. poſſet et *promittere* ſumi pro profiteri, et tunc legi

At veſtrum (ne vile genus, ne patria) vulgum
Sparta ſuos et Creta ſuos promittit alumnos.

Sparta et Creta profitetur veſtrum vulgum, ſiue genus, eſſe ſuos alumnos, id eſt, ex ſuis canibus inter ſe commixtis, prognatos, ſed tamen ipſae non auctores tui generis, ſed Hagnon, qui primus Cretenſem canem cum Spartana commiſit. *promittere* pro profiteri dici vidimus ad Petron. cap. X. poteſt et ineſſe ſignificatio futuri temporis, pollicetur vos fore aequales viribus et ſagacitate ſuis alumnis, vt Nemeſ. Cyn. 163.

Validas iam tum promittere vires.

et ita omina et auguria dicuntur *promittere* et *polliceri* Floro I, 6 et 7. et IV, 7. et paſſim. illi ergo, qui committunt inter ſe, et commiſcent Cretenſem canem cum Spartana, poſſunt ſibi ſpondere optimos canes, qui Metagontes vocantur. videant acutiores, an meliorem medicinam difficili huic loco adferre poſſint. *Burm.*

212. *Creta*] Robore, odore et curſu, aeque ac Laconici, excelluerunt pariter Cretenſes. *Totas* itaque *per artes* apti fuerunt canes Cretenſes. A quibus originem duxerunt Carici, eo forte tempore, cum adhuc in Creta ſub Minoi agerent ipſi Cares. Sunt enim eiusdem generis Cretici et Carici, agminatim et cum latratu venari ſoliti, ſi Xenophonti credimus τῷ δευτέρῳ. Imo et olim Varius hoc dixerat, ſi per librarios licuiſſet. Verſus eius luculenti de Cretica cane ſuperſunt apud Macrobium lib. VI. cap. 2. ita legendi:

Ceu canis vmbroſam luſtrans Gortynia vallem,
Si veteres potuit ceruae comprendere luſtra,
Saeuit in abſentem, et circum veſtigia latrans
Aëra per nitidum tenues ſectatur odores:
Non amnes illam medii, non ardua tardant.
Perdita nec ſerae meminit decedere nocti.

Inepte vulgo: *circum veſtigia luſtrans Aethera.* Vlit.

Sed primum celſa lorum ceruice ferentem,
Glympice, te ſiluis egit Boeotius Hagnon,
Hagnon Aſtylides, Hagnon, quem plurima ſemper
Gratia per noſtros vnum teſtabitur vſus.

Hic

213. *Lorum*] Dicit primum Hagnona cane inductore ad venationem vſum fuiſſe, qui loro per collare aptato ſequentem venatorem per veſtigia ad ferarum cubilia ducit. Sic intelligendus Ennii locus apud Feſtum, in quo *vinclo aptum venaticum* dixit, ſed non *aëno*, vt reſtituere eo loco voluit Scaliger. *Vlit.* Vlitius memoriae vitio ex Feſto locum Ennii citat, qui apud Varronen lib. VI. de L. L. pag. 81. *Burm.*

celſa ceruice] Imo *preſſa.* Sed nihil mutandum. *Celſam ceruicem* in ipſo cane, non in actu laudat: vt infra: *Sint celſi vultus*: Vlit. Recte *celſa ceruice*: etiam in actu: loro enim retenta canis inquieta eſt, et ſpectat in omnes partes, an fera exſiliat, iam iamque euadere vellet: ſed et ita inductorem ſiue ducem canem decet, praecedere erecto capite; vt taurus dux gregis apud Senec. Troad. 539.

Ceruice celſus, et fronte arduus. et mulus apud Phaedr. II, 7.

Ille onere diues, celſa ceruice eminens.

vid. infr. vſ. 239. *Burm.*

214. *Glympice*] Poſſit *Gymnice*, vel tale quid excogitari nominis, cuius generis extant apud Xenophontem. *Barth.* Scaliger legebat, *Lampyre te ſiluis e. B. H. Aſtylides.* Barthius edidit, *de ſiluis.*

Boeotius] Videtur hic fuiſſe pater Tiphyos, quem Hagnium vocat Apollodorus. Vnde *Hagniaden* Tiphyn indigetauit Val. Flaccus I, 482. *Vlit.* *Aſtylos* eſt augur inter Centauros Ouidio. VIII. Met. 308. de Typhyos patre Hagnio vid. in Catalogo Argonautarum, quem Valerio Flacco adieci, ſed an ab hoc Aſtylo deſcendat Hagnon et ab eo Tiphys, quis dixerit? Aſtylus alius Crotoniates Olympionices memoratur a Pauſan. lib. VI, 13. *Burm.*

216. *Gratia*] Et hic quoque latenter et ſubobſcure ad ſuum nomen alludit poëta. *Titius.* Malebat, *Graecia.* ſed *Gratia* hic eſt grata mens, vel dos, ingenium, inuentum, quibus obligauit nos venatores. vid. ſupr. vſ. 74. cum ſemper per vſus, id eſt venatuum exercitationem, vt *per artes* ſupr. 151. vt vnicum inuentorem celebrabit grata poſteritas. quod plenius exſequitur vſ. 251. *Burm.*

Hic trepidas artes et vix nouitate ſedentes
Vidit, qua propior patuit via: nec ſibi turbam
Contra-

217. *Trepidas artes*] Dubias, fluctuantes, necdum prae ſua nouitate ſtabilitas et ἱδρυμένας *Iohnſ.*

nouitate ſedentes] Confidentes, et locum tenenteis, cum errarent antea hinc inde vagae. In veteri Edit. *ſilentes*, quod nullius pretii eſt. *Barth.* Recte *ſedentes*, id eſt quae receptae fuere in vſum, quae placuere, ita *ſedere conſilia*, *ſententiae* etc. dicuntur, quae poſt dubitationem fixa manent. Plin. II. Hiſt. Nat. 7. *ſedere coepit ſententia.* et eodem modo *ſtare* vtuntur, vt explicuimus ad Petron. cap. III. *ſimulque corruptae eloquentiae regula ſtetit et obtinuit.* vid. et Brouckh. ad Tibull. I. VII, 92. *vix ſedentes* ergo eodem modo, vt *vagae nouitatis blandimenta* dixit vſ. 114. et hinc *trepidas*, id eſt, vt Iohnſ. vagas, fluctuantes opponit ſedentibus et iam vſu ſtabilitis et conſtitutis: vel quae nondum plane periculo illo, quo antea nuda virtute et Marte cum feris congredientes ſe exponebant, ſecuros praeſtabant. vt *trepidam vitam* dixit vſ. 10. vbi vide. *Burm.*

218. *Vidit, qua propior*] *Vidit artes, qua propior patuit via*, pro, vidit, qua artibus propior patuit via. Helleniſmus eſt, vt apud Anacreonta:

Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν
Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον,
Οὐκ οἶδα. id eſt κατὰ λέξιν.

Ego ſed meos capillos,
An ſint mihi, vel abſint, Ignoro.

Vlit. Vid. mox vſ. 222

via] Methodus. Manilius.

— artem Experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

Barth. Virg. XII, 388. *auxilioque viam, quae proxima, poſcit.* vid. ad vſ. 5. et 382. *Burm.*

nec ſibi turbam Contraxit comitem] Videtur notaſſe aeui ſui corruptelam, quo Romulidae *venari timentes* ipſi ſeruilem operam adhibebant. Namque antea ſolis heroibus hoc conueniebat opus. Quocirca et Polyb. in Excerptis lib. XXXI. gloriatur ſe a Scipione venante Romae adſcitum. Sic et Hagnon ſolus hic, et ſolus apud Ouidium Metam. VII. vſ. 804. Cephalus, et quidem vterque *prima luce*, venatum prodiere:

Solis fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in ſiluas iuueniliter ire ſolebam:
Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres
Ire canes, nec lina ſequi nodoſa ſolebant:
Totus eram iaculo.

Ita

Contraxit comitem, nec vaſa tenentia longe.

Vnus

Ita namque olim legebam, pro *Tutus.* Exemplo Valerii Flacci, qui ſaepe ita. Lib. III. 133.

Tollitur hinc, totuſque ruit
Tirynthius arcu.

Tutum autem ſe iaculo tantum modo dicere, frigidum prorſus, cum iaculum non ſit defenſionis, ſed petentis telum. *Vlit. in Add.* Certe Cephalus ſolo iactat iaculo ſe defendere a feris noxiis potuiſſe; quod aliis comitum numerus praeſtabat. denique quae haec locutio, *totus iaculo? totus in aliqua re eſſe*, vel *alicuius rei* recte dicitur. vid. Petron. cap. 6. *totus ruit arcu* in Val. Flacci loco eleganter dictum, vt ibi oſtendimus. quare in Ouidio nihil nouandum: dubium autem eſt, an per turbam comitem intelligat hic venatus ſocios, an multitudinem canum, quod potius videri poſſit. vid. inf. vſ. 335. ſine ergo aliis canibus, et cetero adparatu, ſed ſolo Metagonte iretus ibat venatum Hagnon. *Turba comes* dicitur, vt *volucris turba* pro *volucrum* Ouid. V. Met. 301. *turba iuuenis* Tibull. I. V, 53. pro iuuenum. *Femina turba* Propert. II. XXIII, 4. et alia paſſim. quod notandum duxi, ne quis *comitum* legat. *Burm.*

219. *Vaſa tenentia longe*] Repraeſentaui ſcripturam in Aldino codice. quiſpiam tamen exiſtimaret legi debere *geſa:* vt dicat Poëta Geſa, quae longe ſubmoueat feras: aut potius *vaſa* dicuntur a Gratio generatim arma, ſiue inſtrumenta venatoria. *Titius. Vaſa* ſunt inſtrumenta quaelibet venatoria. Quomodo et LXX. poſuerunt Geneſ. cap. XXVII. vbi Iſaac filio ſuo Eſau venatum exituro dicit: λάβε τὸ σκεῦός σου, τήν τε φαρέτραν, καὶ τὸ τόξον. Ex Hebraeo כלי quod paſſim pro inſtrumento ponitur in veteri Foedere, vt et τὸ σκεῦος in nouo. *Vlit. in Add.* Heinſ. correxerat, *nec vara.* neſcio quo ſenſu, niſi pro *vallia* ceperit. vid. ſupr. ad vſ. 87. Vlitii notas, vbi in Lucani loco, *diſpoſitis attollit retia varis.* ſed hoc a *vari*, non *vara* deduci ſolet. de voce *varus* multa habet ad Ouid. I. Amor. III, 24. vaſa *tenentia longe* ego explico moram adferentia longam ſemper, cum expeditior ſit venatus ſine comitibus et adparatu multo, quaſi longiorem viam faciant, vt diutius et longius abſis a feris captandis. de voce *longe* vid. Scriuer. ad Mart. III, 58. *Burm.*

Vnus praeſidium, atque operi ſpes magna petito,
Adſumptus Metagon luſtrat per nota ferarum
Paſcua,

220. *Petito*] Vnde periti ediderint noui auſpices, neſcio. An operae aberrarunt? *petito* omnes habent et recte. Venatus enim intelligitur, quem petit ille Hagnon. alias legendum foret *operis perito*, quod forte placere alicui poſſet: ſed *petitum opus*, vt *praeda petita* Ouid. II. Art. Am. 2. et I. Amor. VIII, 92.

Fit cito per multas praeda petita manus.

Dubia eſt ſcriptura apud Tibull. I. II, 26.

Aut rapta praemia veſte petat.

Vbi alii Codices *ferat*. Vide, quid pro vtraque lectione dicat Brouckhuſ. vide et noſtras notas ad Ouid. Ibin. 20. *Burm.*

221. *Luſtrat*] *Luſtrare* eſt luſtra inquirere. Priſcianus in Periegeſi 892.

Trans iſtum, Zephyri ſub parteis, degit Erembum
Speluncis genus infelix, et rebus egenum,
Qui Solis radiis nigreſcunt corpus aduſti,
Diſperſique dolent, luſtrantes more ferarum.

Hoc eſt hinc inde vagantes. Nam Dionyſius.

Αὔτως οἷά τε θῆρες, ἀλώμενοι, ἄλγε' ἔχουσιν.

Et hoc verbum paucis vſurpatum. *Barth.* Non tam rarum hoc verbum puto eo ſenſu, quo noſter vtitur, niſi quod abſolute ponatur, cum alii ſoleant addere accuſatiuum, vt *veſtigia luſtro* Virgil. Noſter 151. *luſtrare orbes.* apud Nonium tamen in *luſtrare* exempla occurrunt, quae huc faciunt. vt ex Lucilio XXX. *Quem ſumtum facis in luſtris circum oppida luſtrans*, vbi *luſtrans* eſt meretrices quaerens per luſtra et lupanaria, et deponentis forma ex Plauti Pſeud. IV. VII, 6. producitur *luſtrantur, luxantur, comedunt, quod habent*, vbi etiam legendum *luxuriantur:* et *luſtrari* idem eſſe, quod ſcortari, apparet, quia paullo poſt vſ. 35. dicat *edunt, bibunt, ſcortantur:* et ita hic canis *luſtrans* a *luſtrari* poteſt dici, et hoc ſenſu neſcio, an accuſatiuum poteſt adſciſcere, quod ſupr. vſ. 151. probari mihi poſcebam. *luſtrari* ergo abſolute poſitum eſt circumire, ſi de canibus, ferarum latebras, ſi de ſcortatoribus, lupanaria. et ita in Gloſſis *luſtror, aris*, διαποπταίνω vertitur, id eſt, oculis circumſpicio, quo ſenſu *luſtrans* vtitur, Val.

Paſcua, per fontes, per quas triuere latebras,
Primae lucis opus: tum ſigna vapore ferino
Inte-

Val. Flac. IV, 234. et alibi ſaepe. hac vero occaſione errorem Nonii in eodem verbo videor deprehendiſſe, qui *luſtrare* etiam patefacere explicat ex Ciceronis loco in I. Catil. 3. *ſi luſtrantur, ſi erumpunt omnia.* ſed ibi meliores Codices *illuſtrantur* habent, quod recte vindicat Muretus ex alio loco in fine Orationis, *omnia patefacta, illuſtrata* etc. et ex III. Catil. I. *quae quoniam in ſenatu illuſtrata, patefacta, comperta ſunt per me, vobis iam exponam breuiter*, confirmatur. Maiori ſpecie *luſtrare* pro illuſtrare poſſet quis poſitum contendere inf. 504. *Quis Eleas potior luſtrauit arenas.* Sed et ibi recte explicat Vlitius per περιέρχει. in ſequentibus pro *per fontes*, Heinſius malebat *per montes*, non ſine veri ſpecie. licet enim in venatu ſaepe fontes et flumina tranſnatent, et tranſiliant ferae, non tamen in fontibus luſtra et cubilia habere poſſunt aeque apte dici, atque in montibus. *fontes* vero et *montes* ſaepe confundi in ſcriptis vidimus ad Ouid. XIII. Met. 954. et alibi. poſtea in verbis *per quas triuere latebras*, intricatior eſt ſententia, et poſſet legere aliquis, et *quas triuere latebras*, ne videatur *triuere* abſolute poni. ſed praeterquam quod illa repetitio praepoſitionis ſit venuſta et frequens apud Poëtas (vide ad Ouid. I. Art. 91. et alibi ſaepe) conſtruenda verba ſunt hoc modo *per latebras, quas triuere.* ſolet enim noſter pronomen relatiuum ſaepe praeponere, vt inf. 258. *pudeat quam informe fateri vulpina ſpecie.* vide et Vlit. ad vſ. 218. Tibullum I. V, 47.

Vidi ego, qui iuuenem ſeros deſiſſet amores.

Pro *iuuenem qui deſiſſet.* et ita centies. per latebras vero non ſola cubilia, licet illa corpore ferarum trita dici poſſint, intelligo, ſed fruticeta, ſiluas, et ſimilia loca, in quibus latent. ita Tibull. IV. III, 9.

Quidue iuuat furtim latebras intrare ferarum.

et ita Ouidius I. Met. 216. 593. X, 710. et alii paſſim. *Burm.*

223. *Primae lucis opus*] Hoc inter omnes venandi peritos conuenit, ſummo mane venationem inchoandam eſſe. *Vlit.*

vapore ferino] Quem fera in locis, per quae tranſierit, relinquit, quemque naribus captant canes. *Titius.*

Intemerata legens, ſi qua eſt, qua fallitur, eius
Turba loci, maiore ſecat ſpatia extera gyro.
Atque hic egreſſu iam tum ſine fraude reperto
Incubuit ſpatiis, qualis permiſſa Lechaeis Theſſa-

224. *Intemeruta*] Nondum miſta odore aliarum ferarum, nec dum ſolis aeſtu libata, et infirmiora. *Iohnſ.*

ſi qua eſt] Quo referendum illud *qua?* nam *vapor ferinus* praeceſſit. ſed ita conſtruo: ſi qua turba eius loci eſt, id eſt, ſi multa vnius ferae vagantis, vel ferarum veſtigia ſint, quibus fallitur canis, nec ſcit, cuius veſtigia ſequatur, tunc circuit maiore gyro extremas oras, donec certum egreſſum ferae vnius reperit. *ſecare* eſt, vt *ſecare viam* apud Maronem, et *litora* Nemeſ. II, 21. *turba* ſaepe de variis rebus dicitur, quae plures numero ſunt, et inter ſe confuſae. ita *turba rerum* Ouid. IV. ex Pont. V, 27. vbi vide. *turba rotarum* VI. Met. 219. et ita paſſim. *Burm.*

eius] Hic locus addi poteſt aliis, quae produxi ad Ouid. VIII. Met. 16. vbi non refugiſſe Poëtas eius vſum oſtendi contra Celebr. Bentleium. *Burm.*

226. *Fraude*] Errore. *Iohnſ.*

227. *Incubuit ſpatiis*] Spatia vocat tramitem ſiue egreſſum veſtigiorum, qui πρὸς τὰ εὐναῖα duplex eſſe ſolet. Alter quo ad paſcuum accedit fera, alter quo e paſcuo ad cubile ſuum redit. Non aliter, quam in circo duo vtrinque ſpatia ſunt. *Vlit.* Hic vim habet Graeci aoriſti. vt v. 45. *oſtendit* et *excurrit* v. 204. *cucurrit.* i. e. currere ſolet. Gronouius. *Iohnſ.* *Incubuit ſpatiis;* recte pro in rectum currit, tramite recto. ſequens veſtigia ferae, a pabulis ad cubile reuerſae. ſic Ouid. VII. Met. 783. *nec limite callida recto, in ſpatiumque fugit.* et lib. II, 197. *porrigere in ſpatium*, vbi vide notas. vide et ſupra vſ. 31. eadem locutio repetitur mox vſ. 244. in *Lechaeis* vero repeti debet intellectum *ſpatiis*, quod in *incubuit* abſolute poſito, non procedit. *Burm.*

Lechaeis] Lechaeum, portus Corinthi verſus Occidentem ludis trietericis Iſthmicorum celebris. Eo alludit Gratius, canemque his amfractibus euolatum emicare in praedam dicit, vt Quadriga Theſſala ſe iactat in puluere Iſthmico, ſeu ſpatiis Lechaeis. Gronou. *Iohnſ.*

Theſſalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, et primae ſpes ambitioſa coronae.
Sed ne qua ex nimio redeat iactura fauore,
Lex dicta officiis: ne voce laceſſeret hoſtem,
Neue leuem praedam, aut propioris pignora lucri
Amplexus,

228. *Gloria patrum*] Notiſſimum, ſtirpes et genera equorum olim aeſtimata fuiſſe. Vide Iuuenalis Satyram octavam. *Barth.*

229. *Primae ſpes ambitioſa coronae*] Cum numquam alias in certamen deſcenderit; vel quia plura praemia proponebantur, quae primis, ſecundis tertiis, ac deinceps aliis ordine diſtribuebantur. *Titius.*

230. *Nimio fauore*] Impetu ſpe praedae excitato, et quaſi ſibi plaudente. *Iohnſ.* Iterum ſe temerarii noſtri editores produnt. quia enim *ſibi fauere* dicuntur, qui non prompti ſunt ad labores, nec fauor viuaci et acuto animali convenit, legunt *calore.* ne prius curſu et latratu excitet feras, antequam laquei recte ordinati ſint. Atqui *ſibi fauere* dicitur, qui applaudit quaſi ſibi, qui ſibi placet in opere, quod tractat, et ideo ſatis eſt promptus. ſic *faueo mihi* dixit Cicer. III. ad Fam. 6. vid. quae ad Phaedr. V, 6. notaui. ſic non ſtatim canis debet eſſe promptus, et ſibi indulgere, ſed continere vocem. Deinde quis hic locus laqueis? cum paullo ante Hagnonem dixerit ſolum, vno cane Metagonte comitatum, venari ſolitum, nec comites, nec vaſa, id eſt retia, etc. ſecum duxiſſe. vid. ſupr. ad vſ. 189. et infr. 240. certe in Hagnonis huius venatu nulla retium mentio, quae tamen adhibita paſſim non ignoro, vt clauderentur ferae, ſi euadere vellent. et Vlitius etiam hic retia agnoſcit, licet contra ſcribat ad vſ. 328. Sed ſi ſolus et vnus Hagnon, non video, qua ratione ille ſufficiat retibus ponendis, niſi comitem illi vnum et alterum adfuiſſe fingimus. Sed non opus hoc commento. inuentam et excitatam feram, ſuo nimir. tempore, non propere et feſtinanter nimis, Metagon ille curſu inſequitur et apprehendit. *Burm.*

232. *Propioris*] Propria ſignificatione, viciniorem ac primo obuium denotat, non facilio-rem, vt Barthius commentatur.

 Propio-

Amplexus, primos nequidquam effunderet actus.
Iam vero impenſum melior fortuna laborem
Quum ſequitur, iuxtaque domus quaeſita ferarum,
Vt ſciat,

Propioris lucri pignora, ſunt veſtigia propius latentis ferae. Verbotenus enim Xenophontem expreſſit cap. 4. ὑπολαμβάνουσαι ἐκ τοῦ πρόσθεν τὰ ἴχνη παραλείπουσι τὸν λαγώ. Eleganti traductione *pignora lucri* vocat, veſtigia ferae quaſi oppignoratae per veſtigia ſua, ac certo lucrandae. *Vlit.* Vid. ad verſ. 5. eleganter vero vtitur voce *amplexus*, id eſt illa veſtigia tenens, tanquam certa propius latentis ferae, quae tamen adhuc longius abeſt. Ita fere Ouid. III. ex Ponto. VII, 21. *Spem iuuat amplecti, quae non iuuat irrita ſemper.* Burm.

233. *Offenderet*] *Effunderet* fidenter ſcripſi pro, *offenderet*; neſciebam enim, quid ſibi vellet: neque placebat Gronouii *offunderet*. quia nudum *offundere* non inuenitur pro offuſcare, obnubilare Quam correctionem firmat illud Virgilii Georg. Lib. IV, 492.

— — *ibi omnis*
Effuſus labor.

Iohnſ. Vide ad Valer. Flac. VII, 34. et Oudend. noſtrum ad Luc. VII, 344. in ventos, in vanum prodigeret, et efficeret, vt careret effectu primus indagandi labor. Heinſius correxerat, *primo n. of. actu.* male. *primi actus* ſunt, labores, curſus primi, quos perdit, ſi excitauerit clangore ſuo feram longius adhuc latentem, quam ex odore veſtigiorum iam ſcrutatus erat. *Actus* in genere omne, quod agimus, idem quod *acta.* et ita labores, curſus vagi in inveſtiganda fera intelligendi, qui effunduntur et irriti ſunt nimis maturi. vid. ad Ouid. VII. Met. 58. eodem modo dixit de Gallis Liu. XXXVIII, 27. *Primum impetum feruido ingenio et caeca ira effundere.* Halieut. 72. *quantoque venit ſpectabilis actu.* vbi v. Vlit. *Burm.*

235. *Cum ſequitur*] *Conſequitur* Meurſius in margine. male. Ouid. VII. Met. 518.

Flebile principium melior
fortuna ſequetur.

I. Amor. IV, 69.

Sed quaecumque tamen noctem
fortuna ſequetur.

Burm.

domus quaeſita ferarum] Latibula, luſtra, quae *quietes* appellat Lucretius I, 405.

Namque

Vt ſciat, occultos et ſignis arguat hoſtes:
Aut effecta leui teſtatur gaudia cauta,
Aut ipſa infodiens vncis veſtigia plantis
Mandit humum, celſaſue adprendit naribus aures.

Et

Namque canes vt montiuagae perſaepe ferai
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

Horatius *ſedes* de auibus loquens. *Titius.* Vid. ad Phaedr. I, 3. et Nemeſ. Cyn. 98.

236. *Vt ſciat*] Dubito, vtrum ad canem, an ad venatorem referri debeat. Si ad canem, iubetur is diligenter indagare, vt certo ſciat, an prope feram ſit. Sin ad venatorem, iubetur canis ſignis arguere occultos hoſtes, *vt* hic *ſciat.* Vlit. Si *ſciat* ad Hagnonem debet referri, etiam *arguat* ipſi tribuendum, et interpretandum deprehendat: ſed et poſſet quis ad Canem referre, qui cum domum ferarum invenit, vt oſtendat, ſe ſcire, ſignis oſtendit, aut cauda, aut reliquis notis indicium facit. eadem ſignificatione inf. 360. *fallentes argue cauſſas.* Burm.

237. *Effecta*] vt verum fatear, quiduis malo, quam languidum iſtud Epitheton. *Effuſa. Efflicta.* Iohnſ. Sed quid ſunt *effuſa* et *efflicta* gaudia? vellem explicuiſſet. Heinſius volebat *adfecta,* vt *corpora adfecta* infr. vſ. 462. dicuntur. ſed nec hoc capio. forte transpoſitae fuere voces, et legendum, *aut leuis erecta teſtatur gaudia cauda.* Vel *effecta* gaudia ſunt vera, non vana, ſed quae maturo luſu teſtatur, vt ſupr. vſ. 207. explicuimus, et quae opponuntur actibus nequicquam effuſis. ſic *iter effectum* Ouid. VI. Met. 119. et omnia *effecta* dicuntur, quae arte quadam elaborata ſunt. Vide, quae diximus ad Ouid. VII. Met. 129. *Burm.*

239. *Naribus*] *Celſas apprenſare naribus auras* oponitur τῷ *Mandit humum* illud enim *merſa nare* fit: hoc vero (vt forte leg.) *celſis naribus:* vt in Halieutico: *elatis rimantur naribus auras,* quod ibi quoque opponitur, τῷ *demiſſo quaerunt veſtigia roſtro.* Quod vero hoc loco ſcribendum *appreſſat naribus aures* coniecerit Pithoeus, videtur ex Xenophonte petiiſſe, qui inueſtigantes canes dicit ἐπικαταβάλλειν τὰ ὦτα. *Vlit.* In Pithoei editione eſt *adprenſat,* non *appreſſat aures,* nec in notis aliquid monuit.

Et tamen, vt ne prima fauentem pignora fallant
Circa omnem, aſpretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, adceſſuſque, abituſque notaſſe ferarum
Admonet, et, ſi forte loci ſpes prima fefellit,
(Rarum

240. *Vt ne*] Τὸ *vt* eleganter παρέλκει. Phaedro hinc obiter afferam lectionem Fab. LXXXI. *vt ne irate demiſſum te ſentiam.* Vbi miror, quod particula tam innoxia offenſam dederit editoribus, qui communi conſpiratione eam expunxerunt. *Ne prima fauentem pignora fallant*, idem eſt, quod modo: *ne qua ex nimio redeat iactura fauore.* Vlit. Vid. ad Phaedr. IV. XXIV, 14.

prima fauentem] Heinſ. adſcripſerat *prima caui te pignora*, vt *cauum* ſit cubile. quod durius. *fauentem* explica vt ſupra vſ. 230. Credentem ſe iam certa veſtigia reperiſſe, et ideo gaudentem et ſibi applaudentem. *Burm.*

241. *Medius quo clauditur orbis*] *Orbes* appellat certa quaedam loca, quae a canibus circumdantur. haec ipſa loca paulo poſt vocabit *gyros.* Titius. *Orbem aſpretis clauſum*, intellige agros ſepibus circummunitos, quorum ad ſepes proxima obeunda ſunt. *Vlit.* *Aſpreti* Heinſius emendarat. non recte. *Orbem* enim vocat locum, quem circuit canis, in quo cubile ferae, et qui vndique clauditur *aſpretis.* ita dixere pro *aſperetis.* nam et *aſpros* dixit Statius I. Theb. 622. et Virg. II. Aen. 377. Conſtructionem horum verborum hanc eſſe puto: circa omnem orbem, qua medius clauditur aſpretis. poſſet tamen et circumferre pedem omnem, qua orbis medius clauditur aſpretis. *Clauditur* vero capio pro cingitur, de quo vide ad vſ. 49. et 112. vbi tamen *orbes* longe diuerſi intelligendi. Sic et *inſidiis*, id eſt, indagine, caſſibus et retibus *claudere valles* dixit Tibull. I. IV, 43. *Burm.*

242. *Abitusque*] *Abitus* ſunt noti illi exitus apud Phaedrum I. Fab. 11. vbi vide.

243. *Spes prima*] ſi forte *prima fauentem pignora* fefellerint, et cubile eo, quo putabat, loco non fuerit, ſed eum circumiens deprehenderit abitum ferae, ſiue veſtigia longius

(Rarum opus) incubuit ſpatiis ad proſpera verſis,

245 In-

longius inde praecedentia, iis porro incumbit, donec alia maiora circuitu loca, quae nondum adierat, perluſtrans, in prima veſtigia iterum redeat. Si enim ſecundo circuitu nullum ferae abitum inuenerit, certus ſit intra *intactum gyrum* contineri feram. Hic ſenſus eſt difficillimi in toto Gratio loci, quem nemo ex corruptiſſima vulgo ſcriptura hactenus expiſcari potuit. *Vlit.* Nemini non poteſt eſſe moleſta illa repetitio τȣ̃ *prima.* ter ſex verſibus occurrit. quia et menti Authoris aduerſatur, ita vt poſt Vlitii explicationem, quantum ego video, locus maneat adhuc obſcurus aeque ac antea. at ſi loco *prima* ſuffeceris *illa* (cuius Gloſſema illud erat) planam dederis ſententiam. Nempe hanc, at ſi forte ſpes illa loci, quem canis monitu venatoris luſtrauerat (quod tamen raro euenit) caruit effectu, incumbit protinus ſpatiis, etc. Eſt et altera amici coniectura, quae eumdem conficit ſenſum, et propius receptae lectionis veſtigiis inhaeret.

— *Et ſi forte loci ſpes praeda fefellit.*

Iohnſ. Certe intricatus eſt hic locus, qui incertum eſt, an ad canem Metagonta, an ad venatorem hoc verbum ſit referendum, vt viſum interpretibus: ego fateor, hic mihi aquam haerere, et admodum inconcinnum videri, ſi omnia praecedentia verba, *teſtatur*, *infodiens*, *mandit*, *adprenſat* ad canem pertineant, vt et ſequentia *incubuit*, *repetens*, medium inter illa *admonet* referri ad venatorem; et tamen cani conuenire vix videtur. Forte poſſet, ſi de venatore capiamus, ita conſtitui locus,

Admonet: et ſi forte loci ſpes prima fefellit,
(Rarum opus) incumbat ſpatiis ad proſpera, ſeſe
Intacto referens prima ad veſtigia gyro.

hoc vero velle mihi videtur Gratius, ne deprehenſis primis veſtigiis, et indiciis ferae, placens ſibi canis exultet ſtatim, ſed et ne eum fallant omnia, admonet venator, vt omnem circulum ambiat, et notet *aditus et abitus* ferae, et ſi iam aditu, vt credit ſibi fauens, ad cubile, (id enim per *locum* intelligit,) reperto tamen (quod raro fit) fallatur, quia iam fera e cubili euaſit, vel in illo non eſt, recta redeat ad proſpera: id eſt, ad ea, quae meliorem fortunam ſpondent, gyro et circuitu luſtrans aſperra illa, quae or-

Intacto repetens prima ad veſtigia gyro.

Ergo

bem cingunt, et vbi priora veſtigia deprehenderit, tamdiu circumeat, donec nouum ferae ad cubile iter inuenerit, quod vbi deprehenderit, plena tandem redibit victoria: quae licet meliorem ſenſum faciant, tamen nondum omnia, fateor, ſatis plana ſunt. morari enim poſſet aliquem varietas illa conſtructionis, *Admonet ferre pedem* et *incumbat.* Sed hoc nihil praeter morem optimorum Poëtarum: ita Valer. Flac. VI, 6.

Edocet adfari Minyas, fraudemque Tyranni
Vt moneant.

Vbi ſatisfacient, ſpero, quae adnotaui, et ad Quinctil. lib. I. de Inſt. Orat. 7. in fin. et X, 3. pag. 817. Calpurn. Ecl. III, 34.

— *Nec tam nobis ego Phyllida reddi*
Exopto, quam quod Mopſo iurgetur anhelo.

alia variatio in huius ipſius verbi *admoneo* conſtructione eſt infr. 378.

— *Trans altas ducere valles*
Admoneo, latumque fuga ſuperabitis amnem.

Vbi temerarius Criticus, *ſuperetis vt* tentaret. *monere* cum infinitiuo iungit etiam inf. 287. hoc ergo ſcrupulo ſublato, alius euaneſcet in noſtra emendatione, qui in vulgata lectione me male habebat: nam ſi *repetens prima ad veſtigia* legas, non video verbum, quod reſpondeat illis prioribus, *ſi ſpes prima feſellit.* ſub *repetens ad* enim quid ſubintelliges? *curſum, viam* inquit Iohnſ. et Barthius, ne ſuſpecta Latinitas eſſet, locum ex Culice Virgiliano profert aeque obſcurum, et vbi malim *repedabant* legere, cuius gloſſa eſt *repetebant*: Heinſius legebat, *repebant ad vada*, et qui hic etiam *erepens* malebat. ſed hoc veloci cani non conuenit. *repedare* hoc loco volebat Titius. quidquid ſit, *repetere ad locum* Latine dici cras credam: licet dici poſſet, *repetere locum ad hoc*, vel *illud* ſcilicet agendum, vt explico illa Sueton. Aug. 16. *Cum ad partem reliquarum copiarum continentem repeteret*, qui locus varie vexatur. Deinde millies *referre* et *repetere* confundi patet ex notis ad Ouid. V. Ep. 113. et alibi ſaepius. *ſeſe* vero repoſui ex veſtigiis veteris lectionis, quae a quibusdam *ſiſer* eſſe dicitur: a Scaligero vero profertur hic verſus, hoc modo,

Incubuit ſpaciis ac proſpera ſic ſe etc.

ſe referre autem vulgatiſſima phraſis. vid. Ouid. IV, Met. 477. et XIV, 52. Neſcio, an ceperim hunc locum; in quo adhuc moratur *intactus* ille

gyrus:

Ergo vbi plena ſuo rediit victoria fine,
In par-

gyrus: an intelligat reliqua circuli, ſiue orbis, quem deceptus prima ſpe aditus ad cubile ferae interrupit, et ad quem nunc ſe referre admonetur, et reliquum abſoluere, donec nouum veſtigium ferae reperiat ad cubile ducens. An pro *intacto* alia vox erit ſupponenda? *incubuit* mutaui in *incumbat*, quia illud librarium ex ſimili loco vſ. 227. repetiſſe credo. In illis ſi *forte* loci ſpes prima fefellit nihil reperio, quod offendat, licet repetitio illa vocis *prima* laeſerit delicatas aures Iohnſonii, qui *ſpes illa* malebat, ſed hoc nihil certi definit hoc loco. Amicus vero eius, *ſi loci ſpes praeda fefellit*, quae non intelligere me verba fateor, et vellem, Laconicos illos interpretes explicare talia, et an *ſpes* ſit accuſatiuo caſu, vt ſit ſi *praeda fefellit ſpes*, an vero per appoſitionem *ſpes praeda*, ſit intelligenda, quae fefellit, id eſt euanuit, irrita fuit. Sed totius loci huius complexus requirit *prima*, quia iubetur canis redire ad alia proſpera magis. et iam vidimus vſ. 2. ſaepe apud noſtrum voces easdem breui interuallo repeti, et ita mox vſ. 266. *primum* et *prima* eodem verſu occurrunt; modo vſ. 206. *gloria conſtat*, tertio deinde iterum verſu *decus conſtaret* ſequitur: vſ. 281. et 284. *verus*, vſ. 421. et 425. *aeſtus*, 478. et 482. *tutela*, et paſſim aliae voces repetuntur: et miror, tam faſtidioſos et ignaros ſimul moris Gratiani interpretes hic non etiam haeſiſſe ad verbum *fallere*, quod vſ. 240. et 243. ſeruatur intactum a manu critica. Si vero iam *Admonet* ad canem referendum, *fauentem* ad venatorem pertinebit. qui ne fallant eum prima pignora, admonetur a Cane, circumiuiſſe ſe omnem orbem, et notaſſe aditus et abitus ferarum; et hinc canis redit ad proſpera etc. ſed prior interpretatio videtur commodior. *Burm.*

244. *Spatiis ad proſpera Siſer*] Si vno aliquo in loco feram non reperit, pergit eam in alio atque alio quaerere. *Siſer* non facit ad hunc locum, itaque titubanter, et valde ſuſpenſo animo legebam *Silae:* erat autem Sila Mons, in quo Sylua. Maro XII, 715. ſed enim Gratius canem aliquem exprimere voluit eo vocabulo: puto ego, mendum aliquod ſubeſſe in his verbis, quod cuiusmodi ſit, diuinare non poſſum: nec illud quidem *repetens* ſincerum eſſe arbitror, et ſuſpicabar, vel *repens*, vel *repedans*; nam certe *repetere ad veſtigia*, latinitatem non redo-

In partem praedae veniat comes, et ſua naris
Prae-

redolet. *Titius.* *Siſer,* ita et Editio vetus. Quin vero mendum in hac voce ſit, dubitare nemo poteſt. Nobis dubium non eſt, emendaſſe nos feliciter.

— *ad proſpera ſeiri.*

τὸ *Proſpera* ἀπὸ κοινοῦ ad vocem *veſtigia* referendum arbitror. *Seiri* autem ſunt criptae ſubterraneae, in quibus condi ſolet aliquid. Speluncas et recondita ferrarum latibula hac voce inſigniuit Gratius. *Barth.* *Proſſia* forte coaluerat in *proſpa*. Virgula addita hic abiit in *proſpera*; illud fit *proſſima*, ſiue *proxima*. Siſer adiecta litera et traiectis mutuo ſyllabis, fit, *verſis*. Procul dubio itaque ſcripſit Gratius: *ad proxima verſis.* Vlit.

245. *Intacto*] Non ante calcato. *Iohnſ.*

246. *Plena*] Optabilis, perfecta. Nam plenum denotat abſolutum omnibus numeris. Claud. Bell. Gild. 4.

— *concordia fratrum*
Plena redit.

Plena ſanitas apud Vegetium lib. III. cap. 22. *Barth.* Vid. ad Ouid. X. Met. 290. ſed hic conſtruendum videtur, *victoria plena fine ſuo*, non *rediit fine ſuo*, vt *annus plenus ſucceſſibus* Ouidio VIII. Met. 273. *Burm.*

247. *Norit praemia*] Olim *naris.* nullo ſenſu. ſentiat, hanc pro nauata opera ſibi mercedem dari, vt hac memoria et ſpe excitetur in futurum. Gronou. *Iohnſ.* Heinſ. in Syllog. Epiſt. Tom. IV. pag. 284. legebat, *et ſua par eſt praemia*, vt ſit conſtructio, par eſt, vt comes veniat in partem praedae, et ſua praemia. Nec hoc diſplicebat Graeuio, licet ille nec improbaret Gronouii coniecturam, *ſua norit praemia;* quam probabilem facit non multum diuerſus ductus literarum in vocibus *naris* at *norit*, et non diſſimilis confuſio in ſimilibus vocibus, quae non plane litteris et ſyllabis diſcrepant, vt *narres* et *noris*, apud Martial. IX. Ep. 39. vbi vulgo, *nam vt tua ſecula narrant*, in membranis vero Scriverius reperit, *narres*, vnde ille fecit *noris.* Deinde ſaepe hoc verbo vtitur noſter, vt inf. 255. *ſeu norit voces*, vbi Iohnſ. *ſiue voces naris.* vſ. 309. *noſcere luxus.* Calpur. VI. Ecl. 42. *noſcere mapalia*, et quae id genus plura. Nihilominus vix poſſum in his omnibus ſententiae virorum doctorum accedere, et vulgata lectio mihi elegantia et ſimplicitate ſua ita placet, vt nequeam illa *praemia naris*, id eſt ſagacitatem, qua inuenit feram, eiicere ex hoc loco. Antea enim vſ. 191. *quantum nare meren-*

Praemia: ſic operi iuuet iuſeruiſſe benigno.
Hoc ingens meritum eſt, haec vltima palma tropaei,
Hagnon magne, tibi Diuom conceſſa fauore.
Ergo ſemper eris, dum carmina, dumque manebunt
Siluarum dotes, atque arma Diania terris.

Hic

merentur dixit, et mox *ingens meritum.* locutionem vero, *veniat in partem et praemia*, fere ex Virgilio cum Titio credo ſumſiſſe, qui III. Aeneid. 222.

— *Diuos ipſumque vocamus*
In partem praedamque Iouem.

Quod per ἐν διὰ δυοῖν eſt in *partem praedae*, et imitatus eſt Auſonius Epiſt. IV, 21.

— *qui te poſtrema timentes*
In partem praedamque vocent.

eleganter vero *venire in rem aliquam*, in *bona*, in *praemia*, et ſimilia dici, infinita exempla apud Ciceronem et alios probant, quae Lexica ſuppeditant. Vid. et Ouid. II. Amor. V, 32. Tacit. Germ. XLVI. *paſſim enim comitantur, partemque praedae petunt.* Burm.

249. *Vltima palma trophaei*] Quid, Grati, an haec adeo ampla ſpolia, et egregia trophaea ſunt, feram cepiſſe? Sed ſecutus noſter Xenophontem fuit cap. 26. qui miſeram lepuſculi capturam venationis ſummam aeſtimans, ita concludit: ἔςι γὰρ θηρατικὸν μὲν, φιλόπονον δὲ, τὸ ἐκ παντὸς τρόπȣ ἑλεῖν ταχύ. Quod in primaeuis venatoribus ferri poterat, quos ipſa natura hunc primum acquirendi modum docuit, et *ſpoliis corpus veſtire ferarum*, et *diteſcere praeda*, vt diuine canit Lucretius lib. V. *Vlit.* Neſcio, an illa Propertii de grauiore materia ſua fecerit Gratius. Ita Paulla lib. IV. XI, 96.

Haec eſt feminei merces extrema triumphi.

Burm.

251. *Ergo ſemper eris*] Memoraberis, atque adeo meis in carminibus perpetuo viues. Maro Ecl. V, 78. *ſemper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.* Titius. Ouid. I. Amor. XV, 16.

Cum ſole et luna ſemper Aratus erit.

Burm.

252. *Dotes*] Voluptas et commoda. *Iohnſ.*

arma Dianea] Inſtrumenta venatoria: particulatim de canibus intellexit Ouidius, cum cecinit Faſtor. lib. V, 151.

Exagitant et lar, et turba Diania fures.

Titius. Olim *Dianea.* male. Iohnſ.

Hic et ſemiferam Thoum de ſanguine prolem
Finxit. Non alio maior ſub pectore virtus,
Seu norit voces, ſeu nudi ad pignora Martis.

Thoes

Iohnſ. et ita Scaliger emendauerat.

253. *Hic eſt ſemiferam*] appellat *thoëm ſemiferam*, quoniam ex cane, et Leone, ſiue lupo et pardalo gignatur: dixit autem *finxit*, vt oſtenderet, ſobolem eſſe factitiam, non proprio genere ortam. *Titius.*

Thoum] Θῶες, *genus luporum, procerius longitudine, breuitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu viuens.* Plin. lib. VIII, cap. 34. *Iohnſ.*

254. *Sua*] Non adſcititia per artem, ſed domeſtica atque natiua. Sic ſupra v. 170.

Quaecunque domi ſibi crimina fecit.

id eſt, ſibi propria. *Barth.* Mihi omnino videtur legendum *Sub.* Iohnſ. Et ita Heinſius correxerat. vid. ad Valer. Flacc. VI, 603. Niſi ita legas, non puto conſtare Latinitatis rationem. *Burm.*

255. *Seu norit voces*] Ald. *morit.* hinc Barthius *morit fauces.* at Vlitius alteram Lectionem retinet, quia praecipua virtus in cane obedientia eſt. Neutrum mihi placet. Quae enim haec Latinitas eſt? Seu norit voces, ſiue ad pignora. mihi verbum deeſſe videtur, quod vtrique membro cohaereat; at, ni fallor, adeſt. Sic itaque refingerem hunc locum.

Siue voces naris, ſeu nudi ad pignora Martis.

iure credi poſſunt hoc immutaſſe, qui neſciebant τὸ *ad pignora*, bis quaſi poſitum eſſet, bis conſtrui debere. v. 247. *naris* occupauerat locum τȣ̃ *norit.* non itaque inſolens haec inter ſe mutatio. Hic igitur ſenſus eſt, ſiue canem hunc euoces ad pignora naris, i. e. ad perſequendas ſagacitate feras, ſiue ad hoſtes nudo Marte domandos vſ. 152.

— *ſiue indomitos vehementior hoſtes*
Nudo Marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.

Iohnſ. Heinſius, *ſeu morint vocem, aut nudi dent pignora Martis:* in illa corrupta lectione Barthianae editionis *fauces*, latet forte *fraudes.* et ita legi poſſet, *ſeu mouet ad fraudes, ſeu nudi ad pignora Martis*, ſeu virtus mouet ad *fraudes*, et hoc ſequentia poſcunt, vbi et aſtu *ſubeunt* et *domant* leones, et vſ. 153. a Iohnſ. adductus

artes

Thoes commiſſos (clariſſima fama) leones
Et ſubiere aſtu, et paruis tomuere lacertis.
Nam genus exiguum, et, pudeat quam infirme fateri,
Vulpina ſpecie: tamen huic exacta voluntas.
At

artes et *nudum Martem* coniungit, ibi et vſ. 182.

Conferat his verſuta ſuas Athamania fraudes.

Vbi vide Vlit. poſſet et legi,

Seu morit fraudes, ſeu nudi pignora Martis.

Malim tamen pro *pignora Martis*, quod durius, cum Titio *praelia Martis*: eodem modo vt Ouid. II. Triſt. 71. *gigantei praelia belli. mouere* vero convenit vtrique: Nam et *fraudes* et *praelia* mouere recte dicitur. *mouere* vero et *noſcere* ſaepe confunduntur, ita apud Manil. I, 51. hi *tantum nouere decus*, vbi Scal. et Iunius ex MS. *mouere*. Vid. et ad Ouid. Epiſt. VI, 83. et Sil. Ital. XIV, 144. *voces* vero et *fauces* commutari a librariis videbimus ad Calpurn. VI. Ecl. 23. *Burm.*

256. *Commiſſos*] In circo, vbi plura animalium genera producebantur, quae inuicem pugnarent. *Titius.*

257. *Subiere aſtu*] Hoc vſ. 184. dixit *ſubiere praelia furto.* vbi ipſum verbum *ſubire* fraudem et ſtrategema notare vidimus. hoc forte Romae aliquando in venationibus conſpectum fuit, vnde clariſſimam famam eſſe dicit, et hoc videtur verbum *commiſſos* indicare, quo Suetonius et alii paſſim de ſpectaculis vti ſolent, quod probare nihil attinet: et ita recte Titius cepiſſe videtur. *Burm.*

lacertis] Sic manus adſcribit vrſis Oppianus Cynegetico IV, 413.

— μάλα γὰρ τότε θυμαίνουσιν
Ἄρκτοι, καὶ γενέεσσι, καὶ ἀργαλέοις παλάμῃσι.

Idem iterum 417.

— τις ἀνὴρ παλάμην ἐπέδησεν
Ἄρκτου δεξιτέρην.

Barth. Ita et *lacertos* inf. vſ. 177. dixit.

259. *Exacta voluntas*] Quamvis referat vulpis ſpeciem, praeditus tamen ſimplici, ſincero, ac minime verſuto animo, non duplici, ac ſicuti vulpes, hoſtem enim aperto marte aggreditur, atque hoc eſt, quod ait *exacta voluntas*, cogitandum tamen, an ſit legendum *huic* pro *huc*. Titius. Diſpeſcendus diſtinctione hic verſiculus, *Vulpina ſpecies: tamen his exacta voluntas. Exacta*, verbum eſt, vt loquuntur Grammatici, non

nomen

At non eſt alius, quem tanta ad munia, foetus
Exercere velis: haut te tua culpa refellat
Inter

nomen. Et ſubintelligendum, *eſt*: *huic* etiam pro *huc* reſcribendum. *voluntatem* pro *conata* agnouit et ſupra v. 173. *Barth.* Diſtingui etiam poſſet,

Nam genus exiguum, et pudeat quam informe fateri:
Vulpina ſpeci:

pudeat fateri, quam ſit informe. eſt etiam vulpina ſpecie. *pudet fateri* vero ſolemnis formula. vid. ad Propert. I. IX, 33. Broukhuſ. *Burm.*

exacta] Aptiſſima, quaſi ad normam exacta. *Iohnſ.* Barthium hic ſequor cum Heinſio, qui ita in ora codicis ſui emendarat: non dubitare, aut timere ait hoc genus canum, ſed prompte hoſtem inuadere. Ouid. Ep. XVII, 177.

Et libet, et timeo, nec adhuc exacta voluntas.

vbi vide, quae notauimus. male Meurſius in ora libri ſcripſerat, *huc eſt acta voluntas.* quod quid velit, non capio, ſed ex Scaligeri codice eſt, qui *ſpeciem, tamen huc eſt acta. voluntas.* quae aeque non intelligo. *Burm.*

260. *At non*] Aceruus vitiorum. Scribe.

At non eſt alius, quem tanti ad munia foetûs
Exercere velis: haud te tua culpa refellet
Inter opus, quum ſera redit prudentia damno.

Exercere ad munia tanti foetus, eſt iungere cum cane in Venerem ad nobilem Metagonta generandum: quam curam ſi praeſtiteris, non te poenitebit poſtea hoc foetu in venando vti, vt ſolet fieri ſero et damno ſuo ſapientibus. *redit*, vt infra,

— *haec magno redit indulgentia damno.*

Grononouius: quia in C. Ald. *refellat* reperitur, textui inſerendam duxi. *Iohnſ.* Ego ita conſtruerem. at non eſt alius foetus, quem velis exercere ad tanta munia, ſcilicet vt leones et feras inuadat vel fraude vel nudo Marte. *munia belli* paſſim occurrunt. vid. ad Ouid. I. Art. 691. et ad Nemeſ. Cyneg. 194. mox *certamina* vocat vſ. 278. deinde cum Heinſio legerem,

Haut te tua culpa refellat
Inter opus

Inter opus hic eſt, vt alibi, inter venandum: Exercendos eſſe catulos a prima aetate docet, ne, ſi inexercitati adhibeantur operi, culpam in ſe transferat negligentiae dominus, qui ſero iam vult docere canes confirmata aetate. Scaliger legebat, *aut de tua culpa reuellat*, eo ſenſu, quo Virgil. Ecl. VI, 3. *Cynthius aurem vellit*, durum hoc. *Burm.*

Inter opus. quo ſera cadit prudentia damno.
Iunge pares ergo, et maiorum pignore ſigna
Foeturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuere ſua pecus hoc immane iuuenta.

Et pri-

262. *Cadit*] Vaneſcit, incaſſum recidit. Ita *cadere ſtudia* dixit Priſcianus praef. *Cadere ſapientiam* Lactantius libro IV. cap. I. *Barth.* Et Ouid. V. Triſt. XII, 13. ſed conſtruerem hic,

Prudentia ſera cadit domino.

Id eſt damnoſa eſt: non tantum nihil efficit, ſed etiam damno eſt. *Cadere* hic euentum irritum et damnoſum notat. Ita infra 309. *magno redit indulgentia damno.* ſimile fere, ſed in alia re, eſt illud Manil. II, 782.

Ne medios rumpat curſus praepoſtera cura.

Vbi etiam docet non inter opus, ſed antequam incipias, omnia eſſe praeparanda ad vrbis exſtructionem. *Burm.*

263. *Pignore*] Aliqua nota, indicio aliquo. *Titius.*

264. *Foeturam*] Nemeſianus 119.

Sed diuerſa magis foeturae conuenit aetas.

Barth. Ita et Calp. II, 47.

Ne depulſa vagos quaerat foetura parentes.

et paſſim alii. *Burm.*

265. *Qui genuere*] Verſum hunc non leuibus coniecturis σκότιον eſſe autumo. Quid enim *pecoris immanis* ſibi vult appellatio? Vetus liber, *pecus hoc manete iuuenta.* A qua lectione haud dubio illa vulgaris genita eſt. *Barth.* Quia *pudeat quam informe fateri Vulpina ſpecie.* Non eſt igitur, cur σκότιον hunc verſum eſſe declaret aliquis. *Vlit.* Recte Vlitius tuetur: *immane pecus* vocat bellicoſum et forte: et *immane* idem eſt, quod θαυμαστὸν et in bonam partem ſumi ex ipſo Barthio et aliis docuimus ad Ouid. Triſt. I. II, 335. vid. et inf. vſ. 281. *Pecus* vero dici de canibus, ne mirum ſit, cum et de Leonibus Ouid. Ibid. 457. vid. Voſſ. ad Catull. p. 165. et de equis dicat Curtius VI. V, 18. et ſaepe Statius. vid. Barth. ad IV. Theb. 733. et alii. Immo de Elephantis Martial. V. Ep. 38. ita *pecuaria* inf. 362. vbi vide. in Barthii vero notis operas peccaſſe puto, edentes *pecus hoc mutante infra*, cum legendum ſit, *pecus hoc mutante iuuenta.* ſed quid ſignificet haec lectio, non intelligo, ſi *ſlo-*

Et primum expertos animi, quae gratia prima eſt,
In Venerem iungunt: tum ſortis cura ſecunda,
Ne renuat ſpecies, aut quae detractet honorem.

Sint

ſi *florente*, vel *vernante* conieciſſet, ſenſus ſubeſſet. nos *immane* retinemus. *Burm.*

266. *Animi*] Heinſ. malebat *animis*, de quo dicemus ad Suet. Veſp. cap. 4. *gratia* vero hic eſt dos, ornamentum. vide ſupr. 74. cur et hic non nomen ſuum reſpicere credunt Poëtam? *Burm.*

268. *Ne renuat ſpecies*] Lege.

Ne renuat ſpecies, aut ne detrectet honorem.

Curandum eſt, vt ſint puri ſpecie, et ne illa ſit talis, quae omnem detrectet honorem et venuſtatem. Malo tamen, fateor, *praedetrectet*, quod propius veteri lectioni, et ſenſu elegantius. *Prae* ſolenne eſt in decompoſitis, *praedelaſſo*, *praeconſumo*. Iohnſ. An non merebatur Heinſius hic memorari, qui in notis ad Ouid. IX. Met. 505. correxerat iam,

Ne renuat ſpecies, aut ne detrectet honorem.

Quomodo et Scaliger emendauerat. malim etiam cum eodem Heinſio *ſortis cura ſecunda*. et ſortem explico, natales, et quam ſorte quadam formam conſecuti ſunt, praeter reliquos. vt infr. 292. *aequa ſors*. et de hominibus dici patet ex notis ad Ouid. X. Met. 244. et XIII, 651. prima cura eſt, generoſos et expertos animi eligere; deinde feliciter natos formoſos, vnde genus facere velis, canes. Idem fere, quod ſupra vſ. 211. *non vile genus, non patria*. poſſet et quis legere, *tum formae cura ſecunda*. ſed non opus: *ſorti* enim et felicitati naſcendi debetur forma. *renuit* vero hic abſolute poſitum, vt apud Stat. I. Silu. II, 159.

Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges.

Id eſt non repugnarunt, vt ita *negare* ſimpliciter ſaepe ponitur. vid. ad Ouid. XIII. Met. 741. et Heinſ. ad Claud. II. Rapt. 180. vid. et inf. 285. *Detrectat honorem*, eſt, minuat reliqua, quae praecipua habet, animum, et ſortem. vel quae venatui poſtea non erit inepta; vt mox 291. *tuos non defecturus honores*. Burm.

Sint celſi vultus, ſint hirtae frontibus aures,
Os magnum, et patulis agitatos morſibus ignes
Spirent, adſtricti ſuccingant ilia ventres,
Cauda breuis, longumque latus, diſcretaque collo
Caeſaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impa-

270. *Magnum*] Vt ex diducto et patulo rictu poſſis aeſtimare, quanto animo et morſu feras inuaſuri ſint. *Vlit.*

morſibus ignes] Morſus appellat rictum, ipſaque ora diducta velut ad morſum inferendum. *Titius.* Ita Poëtae fere ſemper, cum animal depingerent animoſum. Virgil. G. 3, 85. de equo.

Collectumque fremens voluit ſub naribus ignem.

Vlitius.

271. *Spirent*] Corrigebat Heinſius, *ſpiret*, *et adſ.* ſcil. *os.* non male. et ita *ſpirare* cum accuſatiuo illuſtrauit ad Claud. IV. Conſ. Honor. 492. *Burm.*

ilia ventres] Diuine prorſus, tribus verbis extulit, quae copioſe παραφράζει Aurelius, 109.

— *multumque gerat ſub pectore lato*
Coſtarum ſub fine decenter prona carinam,
Quae ſenſim rurſus ſicca ſe colligit aluo.

Vlit.

272. *Diſcretaque collo*] Quae ab reliquis corporis pilis diſcerni poſſit. Vel quae a collo videatur remota. *Barth.* Traducta haec lectio a comae comptu, quam in fronte olim, plurimum diſcernere, moris erat. Ita canem ſuum pilos in collo diſcretos, et hinc illinc quaſi demiſſos, habere vult Gratius. *Vlit.* Ita *diſcrimina* in coma muliebri apud Ouid. II. Art. 302. vbi vide. *Burm.*

273. *Caeſaries, non pexa nimis,*] Non quae a reliquis corporis pilis diſcreta, vt ſomniat Barthius, ſed de vniverſo pilo canino intelligenda haec ſunt. *Pexum* enim in veſtibus villoſum, ſiue multis floccis pectine aequatis obductum proprie ſignificat, vt docuit ad Solinum Salmaſius. Non villoſos nimium, nec raros adeo pilos, vt frigoris iniuriae pateant, ſed medium quid requirit Gratius. Si enim *pexam* pro laeui et molli interpretere, pugnaret hoc cum aliis omnibus, qui tenues, ac molles pilos poſcunt. Et Columella

I 2 mella

Impatiens: validis tum ſurgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.

Effuge,

mella *quadratum* ſuum ruſticum canem *cruribus hirtis villoſoque pectore* conſtituit, caetera, vt colligere eſt, minus villoſum. Idem de oue l. VII. cap. 3. *Id pecus, quamuis ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen impatientiſſimum.* Vnde facile intelligere eſt, quae *caeſaries frigoris impatiens* hic dicatur. *Vlit.* ſi notas Vlitii diligenter legiſſet, et non Barthii interpretatione deceptus fuiſſet, nouae editionis curator, non tam ſtulte corrigeret hunc locum, *Non pexa nimis, nam frigoris illa Impatiens.* quis vmquam fando audiuit, villoſum animal eſſe impatiens frigoris? nam *pexa caeſaries* eſt ita denſa et longa, vt pecti debeat. vid. Heinſ. ad Ouid. III. Amor. I, 7. ita et *pexae veſtes.* de quibus Ferrar. I. de Re Veſt. 17. quae *tritis* opponuntur, et quae craſſae et piloſae ſunt. Horat. I. Ep. I, 95. ita *pexus et pinguis doctor* Quinct. I. Inſt. 5. non ergo nimis villoſam, nec nimis caluam vult eſſe canem. *Burm.*

278. *Pectus quod magnos capiat motus,*] Non potuit maiore ſpiritu pectoris amplitudinem commendare ſummus Vates. *Vlit.* Quod, quantumuis magnos pulmonum anhelitus capiat, ſatis ſuperque tamen amplum ſit, nec laborantem deficiat. *Iohnſ.* Ego interpretor, quod ſtatim et in ipſo initio operis vehementiam et celeres motus capiat, et etiam diu eos ſeruet: nam aliter ſaepe in initio curſus lentius irruunt, deinde augent celeritatem, quod noſtrates dicunt, *op den adem komen.* Sed hic canis debet ſtatim eadem celeritate et vehementia conſpici, qua alii poſt moram. et hoc *capere* notat. vt *capere impetum, conatus* et ſimilia, de quibus vid. Gron. ad Liu. XXII, 5. Ouid. III. Triſt. V, 31. *Et faciles motus mens generoſa capit.* *Supereſſe* eſt vltra fere debitum ſufficere laboribus, et motibus illis magnis. eodem ſenſu notarunt viri docti, dixiſſe Columell. VI, 27. de equo, *appropinquante vere, ordeo eruoque ſaginandus, vt Veneri ſuperſit*, quod ex Virgilio III. Georg. 127. qui *blando labori ſupereſſe* dixit. vid. ibi Taubmannum; quem exſcribit

Effuge, qui lata pandit veſtigia planta;
Mollis in officio. ſiccis ego dura lacertis
Crura velim, et ſolidos haec in certamina calces.
Sed fruſtra longus properat labor, abdita ſi non
Altas in latebras, vnique incluſa marito
Femina, nec patitur Veneris ſub tempore magnos

Illa,

bit Iohnſon ad vſ. 287. Supereſſe enim debet ita explicari, vt poſt magnos illos motus, non defatigatus iaceat, ſed omnes labores vincat et ſuperet, ita vt vires ſuperſint. Virg. XI. Aen. 420.

Auxilioque vrbes Italae populique ſuperſunt.

vbi Seruius, adſunt vltra quam bella depoſcunt. vid. ad Ouid. II. Triſt. 69. *Burm.*

278. *Solidos haec in certamina calces*] *Solidum* ponitur nunc ad differentiam τȣ̃ *molle.* Titius. Πόδας περιφερεῖς καὶ στεῤῥοὺς vterque Xenophon et Pollux. *Veſtigia* autem, et *ſola* Varroni, modo *plantas*, et nunc *calces* eleganter vocat Gratius. *Vlit.*

279. *Longus labor*] Educationis et Inſtitutionis. *Barth.* Recte. nec opus cum Heinſio reſcribere *ingratus* vel, *hic omnis.* vid. ad vſ. 27. *Burm.*

281. *Magnos*] Multos. Vel *magnos* pro vulgaribus et ineptis dixit. *Barth.* donec meliora ex libris vetuſtis afferantur, ne temere quid mutemus, ego vulgatam ſimpliciſſimo ſenſu pati potero. Fruſtra laborari dicit Poëta, niſi canis foemina vni incluſa marito fuerit, eumque quantumuis magnum patiatur, ac admittat. *Vlit.* At haec locum nullatenus dilucidiorem reddunt, cur enim magnos, ſi vnum Gratius tantum voluit? nos leui mutatione defungemur hac difficultate. lege modo

— *Nec patitur Veneris ſub tempore moechos*
Illa.

magis placeret, ſi *faſtidia* legeretur, et confirmant hanc coniecturam ſequentia. *ſi renuit cunctos, et mater adultera non eſt.* Iohnſ. Laudo priorem correctionem *moechos*, id eſt canes vulgiuagos admittat. *pati* proprie. Ouid. V. Faſt. 156. *nullum corpore paſſa virum.* vid. ad Nemeſ. Cyneg. 31. ſed *faſtidia* ſi recipiantur, contrarius

Illa, neque emeritae ſeruat faſtigia laudis.
Primi complexus, dulciſſima prima voluptas.
Hunc Veneris dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos, et mater adultera non eſt,
Da re-

rius ſenſus emergeret, et pro *neque* ſcribendum *atque* foret, vel *ſed* potius: *illa* quoque hic languere puto: et quia paſſim ab infinitis canibus feminas ſub veneris tempore appeti videmus, mallem,

Nec patitur Veneris ſub tempore moechos
Mille, ſed emeritae ſeruat faſtigia laudis.

Faſtigia laudis, id eſt caſtitas, quam emeruit vni marito incluſa, quae eſt ſumma laus in cane, impudentiſſimo animali, et libidinis proiectae. *emeritae* pro meritae, vno coitu ſcilicet, ſi poſtea demiſſa ex cuſtodia renuit cunctos, et ita ſeruat pudicitiam emeritam, ſiue meritam, vno coitu contenta. ſic Plinius Paneg. 52. *ſic fit, vt Dei ſummum inter homines faſtigium ſerues.* Si *neque* ſeruandum eſt, mallem, *neque emeritae perdat faſtigia laudis.* Burm.

284. *Veneri*] *Veneris* recte corrigebat Heinſius. et ita etiam noui editores, ſemel ſaltem ſcopum in tenebris ferientes. vbi autem didicerunt conſtructionem Iohnſono viſam coactam et barbaram? certe in notis nihil tale reperio, ſed ex illis videntur correctionem hauſiſſe, quibus *libidinis impatiens* natura explicatur. vſitatiſſima vero conſtructio cum genitiuo. de qua vid. ad Sil. Ital. VI, 252. et X, 244. et noſter mox 292. et modo vſ. 274. et millies alii ſcriptores. *Burm.*

impatiens] Indomita, effera in libidinem. *Barth.* Suae libidinis impatiens Natura hunc Veneri caninae dedit furorem. Impatientia, libido immoderata. *Iohnſ.*

285. *Si tenuit cunctos*] *Tenere* verbum in obſcaenis erat, ſed ſenſus expoſcere videtur *renuit.* atque ita emendo. *Titius.*

cunctos] *Iunctos*, Heinſius, male. *Iohnſ.* Ad Ouid. IX. Met. 506. idem in ora coniecerat, *ſi renuat coitus:* ego mallem, *ſi renuit cunctis.* vt ita *negare* viro mulier dicitur. ſcil. venerem, noctem. vid. ſupr. ad vſ. 268. Tibull. II. IV, 48.

Non ego me vinclis verberibusque nego.

Burm.

Da requiem grauidae, ſolitoſque remitte labores.
Vix oneri ſuper illa ſuo. tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percenſere notis, iamque inde excernere paruos.
Signa dabunt ipſi. teneris vix artubus haeret
Ille

287. *Super*] Heinſius, *Par.* at Virgil. G. III. vſ. 127.
— *ne blando nequeant ſupereſſe labori.*
Ita Colum. *Roborandus largo cibo*, etc. *vt Veneri ſuperſit.* ſic itaque Gratius. Vix ſuperſtes erit oneri ſuo. *Iohnſ.* Heinſ. ita ad Ouid. II. Triſt. 69. ſed in Syll. Epiſt. t. IV. p. 289. *vix ſuppar oneri illa ſuo*, de qua voce vid. eum ad Vell. Paterc. I, 17. ſed hic nihil mouero. eſt enim hic ellipſis *eſt*, pro *ſupereſt* de quo verſ. 275. *Burm.*

tum deinde monebo] Videtur vna ſuperflua vox. ſed et ita *dehinc poſt*, et ſimilia fuiſſe in veterum deliciis monuit Broukh. ad Propert. II. II, 14. *Burm.*

289. *Percenſere notis*] Vide de verbo *percenſere* Heinſ. ad Claud. III. Rapt. 362. de conſtructione verbi *monere* vid. ſupr. ad vſ. 243. *Burm.*

excernere] Hic de electione optimi agiur. *Paruos*, pro catulis poſuit, quos mox *minores* quoque vocat. *Vlit.* Si ſimpliciter dixiſſet *excernere paruos*, nihil tenere mouerem. ſed quia addit *inde*, id eſt, *ex turba natorum*, qui omnes ſunt *parui*, dubito, an non praeſtet legere, *iamque inde excernere prauos.* ita apud Caeſar. IV. Bell. Gall 2. de equis, *quae ſunt apud eos nata praua et deformia*, vbi alii codices habent *parua*. *Excernere* vero eſt excipere, excerpere quosdam. ita *excreti hoedi* apud Virgil. III. Georg. 398. quos depulſos a lacte interpretatur Vauaſſ. de vſu quorund. verb. pag. 94. vid. et Gronou. ad Liu. XXVIII, 39. hoc confirmant illa Nemeſ. 150. *mater ſegregat egregiam ſobolem.* Burm.

290. *Ipſae*] Ipſae matres. Videtur tamen ſcribendum: *ſigna dabunt ipſi*: nimirum, quos proxime vocauit, *parui*, ſiue catuli. Quod et ſequentia probant, in quibus ſigna, quae ipſi dant, exequitur. *Vlit.*

Ille tuos olim non defecturus honores:
Iamque illum impatiens aequae vehementia ſortis
Extulit: adfectat materna regna ſub aluo;
Vbera tota tenet, a tergo liber aperto.

Dum

291. *Tuos*] In veteri libro, *ſuos.* quod ego praeferendum puto. *Barth.* Heinſius legebat, *mille ſuos.* ſed *ille* hic, vt centies, praeſtantem et excellentem notat. *tui honores* vero ſunt, quos ex venatu captas, et praeſtantia canum, prae aliis venatoribus. vid. ſupr. 268. alia res eſt inf. vſ. 376. et 458. vbi *ſuos honores* retinendum. *Burm.*

defecturus] i. e. deſerturus. *Iohnſ.*

292. *Aequae ſortis*] Quia vt heredes aequam partem habent, ita hic catulus cum aliis communem habet ſortem. *aequa* hic eſt aequalis, vt millies: Terent. Eun. I, 2. *aequa pars amoris ſors* vero de hereditate, aut conditione, in qua naſcimur, vnde et *conſortes* coheredes, quibus aequalis ſors obtigit. Ita *Remus conſors* Romuli dicitur Tibull. II. V, 24. et Suet. Tib. I. *Tit. Tatius conſors Romuli.* et ſaepe alii. catulus ergo ille optimus erit, qui iam ab ipſis natalibus pares et ſuperiores ferre non poteſt, ſed adfectat regnum ſub vberibus matris. vid. et ſupr. 221. et 267. *Burm.*

294. *A tergo liber aperto*] Logi editio, *Libera tota tenet ea.* Pithoeana, *Vbera tota tenet ea tergo*, vnde Pithoeus, *eat ergo.* Gronouius coniecit, *ſtat tergo liber aperto.* quid ſi,

Vbera tota tenet ſua, tergo liber aperto.

Iohnſ. Heinſius varie tentauit locum, *tenens*, *eat agro liber aperto.* vel *eat aëre*, vel *tenet*, vel *meat aëre liber aperto*, ſed nondum de valido catulo agit, qui relicto nido egreditur foras. quid vero eſt *tergum apertum?* an cui non incumbunt ceteri catuli? vt mox 297. forte, *dat tergum liber apertum*, *dum* etc. vt *dare latus apertum* dicitur paſſim. ſenſus vero eſt, hunc generoſum catulum, dum ſugit vbera matris, nullum pati ex conſortibus tergum eius conſcendere ea parte diei, quae calida eſt, ſed velle tergum ſuum natum eſſe. Veſpertino vero frigore pati ſe opperiri ab inerti turba fratrum. *ſtare* non poteſt in nido vbera tenens; poſſet et, *tenens*, *ac tergo liber aperto*, vt excutiat fratres inſcendentes, et ab vberibus matris arceat. et tunc

affectat

Dum tepida indulget terris clementia mundi.
Verum, vbi Caurino perſtrinxit frigore veſper,
Ira iacet, turbaque potens operitur inerti.
Illius

affectat regna, opponeretur ſeq. *ira iacet*. Burm.

295. *Tepida*] Non dubito ver circumloqui. *Barth.* Ego poſt ſolis ortum, et medium fere diem credo indicari, cui veſper opponitur, quare nec Heinſii coniecturam *verni* pro *terris* reſcribentis probo. eodem fere ſenſu, *primi clementia ſolis* apud Nemeſ. Ecl. I, 8. *indulgere* vero abſolute poſitum, pro dum clementia ſolis eſt benigna, larga et ſatis caloris praebet. ita *Inachus vrnae indulget* dixit Stat. VI. Theb. 275. Virg. II. Georg. 277. *Indulge ordinibus*, vbi vid. Taubm. et Calp. III. Ecl. 37. et ad Nemeſ. Cyn. 192. *Burm.*

mundi] Solis. Nam et Manilius *Mundum* pro ſole vſurpauit, cum Heſiodum interpretaretur. *Barth.*

297. *Ira iacet*] Inepte vulgo legitur: *Ire placet*. Ego non dubito, bonae frugis eſſe lectionem, quam dedi. *Ira iacet*, cum *impatiens aequae vehementia ſortis* frigeſcit. *Vlit.* Heinſius, qui progredientem iam catulum finxerat, legit, *ſepta placent*: vel *crate latet*: et *ſepta* a Columella VI, 23. VII, 3. et alibi memorari notauerat. vt et a Capella lib. IX. p. 315. vel *cratem* munimentum pecoris explicat, vt Barth. IV. Adu. 24. docet. quae omnia huc minus pertinent. ita *ira* erga conſortes, quos ab vberibus, et a ſe quoque antea longe arcuit, et remouit. ita *ira cadit* dixit Ouid. II. Am. XIII, 14. et Lucan. IV, 284. *Burm.*

turbaque potens operitur] In vet. libro, *aperitur*. Sed eruditior interpretatio in altera ſcriptura, *operitur*, hoc eſt, ab omni latere cingentibus minoris ſpiritus catulus ille, qui indole potentior eſt, medius vadit, caeteris latera eius tegentibus. *Caurinum* porro *frigus* a veſpere dixit, quia id ſpirantis inde venti nomen. *Vlit.* Langerm. corrigebat *patens*. ſed tunc malim *turbaeque patens inerti operitur*. *potens* vero retinerem, qui in nido matris dominatur, et pro tempore, vel liberum et apertum tergum, reiectis conſortibus habere vult, vel illis patitur ſe tegi, frigoris arcendi cauſſa. *Burm.*

Illius et manibus vires ſit cura futuras
Perpenſare: leues deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.

Proti-

298. *Illius e manibus*] Nec *manus* hic catulis attribuuntur, quum ſint hominis pondus catulorum exigentis: nec *deducet*, eſt ipſe leuior fratres deſcendere coget, quum grauiores magis probentur; nec *deducere* eſt vincere citra reſpectum librae: nam de *manibus* loquitur, vt de lancibus librae. nimirum *deducere* Gratio vt *deprimere* Ciceroni, id dicitur in libra, quod grauitate vincit, L. 5. de finibus. *Terram, mihi crede*, ea lanx et *maria deprimet.* Gronouius. *Iohnſ.* Praeſtat, *illius et manibus*, cum Heinſio, qui et *praepenſare* corrigebat. Ego, ſi liceret, malim, *Illius et vires manibus. manibus* autem non cum *illius*, ſed conſtruerem cum *vires.* vt ſit, *vires illius perpenſare manibus.* ſic Nemeſ. 145. *pondere nam Catuli poteris perpendere vires.* Burm.

299. *Leues deducet pondere fratres*] Grauiores itaque praeſtant, qui fratres ſuos *pondere deducunt*, id eſt, vincunt. Non quia in libra quaſi appendantur, ſed *e manibus.* Vlit. Senſus ſatis ex Nemeſiani vſ. 145.

Pondere nam Catuli poteris perpendere vires etc.

apparet. Sed an *pondere deducit*, poſſit notare vincit, vehementer dubito, cum videatur *deducit* ſignificare ad terram deorſum, ad inferiorem locum ducit. Cum contra accidere ſoleat, grauiora enim pondere deducunt libram, vel vt hic manum, quae inſtar ſtaterae ſit, et inclinare et vergere faciunt. Scaliger legebat, *leuis deducit pondera frater.* Meurſius *leuis deducet pondere frater.* ſed nec haec recte explico. Vtinam *leues ſubducet pondere fratres* liceret legere, id eſt, ipſe deorſum ducens libram, ſurſum ducit fratres. ita Lucret. II, 203.

Sic igitur debent flammae quoque poſſe per auras
Aëris expreſſae ſurſum ſuccedere, quamquam
Pondera, quantum in ſe eſt, deorſum deducere pugnent.

et hoc *pondere ſubſidere* Ouidius IV. Faſt. 13. *ferri in inferius* XV. Met. 241. dixit. *Burm.*

300. *Pignoribus*] Notis illis et documentis, quae *pignora* vocat futurae vtilitatis. *Barth.* Non intelligo hunc verſum, et Barthii explicatio nullis fidiculis ex his verbis, vt vulgo

Protinus et cultus alios et debita foetae
Blandimenta feres, curaque ſequere merentem:
Illa perinde ſuos, vt erit delata, minores;
Ac lon-

vulgo leguntur, extorqueri poteſt. forte,

Haec de pignoribus: nec te mea carmina fallent.

pignora pro catulis ſumo, vt millies liberi vocantur. haec certa eſſe inquit de catulis, quibus fidem habere poteſt lector: nunc ad foetam ſiue matrem regreditur. Qui MSS. codices viderunt, ſciunt, primam literam H. et N. fere eodem modo fingi a librariis. vid. inf. 461. vbi *Haec* pro *Nec* editum, et in Nemeſ. Ecl. I, 48. itidem pro *Nec*, *Haec* in ſcriptis apud Calp. I. Ecl. 3. et apud Corn.Seuer. in Aetn. 349. pro *nec leuitas* Scalig. repoſuit *Haec.* itidem apud Tibull. II. V, 49. viri docti ex MS. reſtituerunt, *Nec fore credebat Romam*, cum antea legeretur *Haec.* et iterum eadem eſt variatio lib. III. II, 7.

Nec mihi vera loqui pudor eſt.

vbi codices multi *haec.* Propert. IV. II, 5.

Haec me turba iuuat.

Ita ediderunt docti viri, cum olim eſſet *nec*: vid. Broukhuſii notas, infr. 328. *Hebroden*, pro *Nebroden.* et ita millies. Eodem vero modo tranſit ad aliam partem operis, inf. 344. *haec tua militia eſt.* et ita Graeci. Oppian. I. Cyneg. 387. Τόσσα μὲν ἀμφ' ἵπποισιν. *Burm.*

301. *Foetae*] Latini *foetam* dicunt, et grauidam et partu liberatam. vt recte Seruius ad primam Aeneida 51. Hinc *foetus* et conceptus et partus. *Iohnſ.* Vid. Barth. ad Stat. IX. Theb. 116. et I. Achil. 168.

303. *Vt erit delata*] Ita vulgatam, quae ſenſu prorſus carebat, leui diſtinctione ad aliquem ſaltem ſenſum accommodaui. *Illa*, nimirum mater, *perinde* ac tu illam cura ſequere, minores ſuos quoque proſequetur. *Vt erit delata*, id eſt, cum ad catulos ſuos deferetur. Vel, *vt erunt delata*, blandimenta illa. Primae editiones ex Romano illo antiquiſſ. cod. conſtanter repraeſentant: *ſuos vt erit delacta minores.* Vnde Pithoeus fecit, *ſuos, vt erit delata, minores, Ac longam* etc. Sed ego veram lectionem dudum elicui.

Illa perinde ſuos, vteri de lacte, minores,
Ac longam praeſtabit opem.

Vt ſit σύγχυσις. *Illa perinde minores ſuos cura proſequetur, ac vteri de lacte longam praeſtabit*

Ac longam praeſtabit opem. tum denique, foetae
305 Cum

ſtabit opem. ita quoque refingerem.

Illa petendo ſuos, vt erit dilata, minores
Ad longam perſtabit opem.

Vlit. forte legendum.

Illa perinde ſuo nutrit de lacte minores.

Vel,

Illa perinde ſuo ſaturat de lacte.

Iohnſ. Haec intricata et obſcura, quae etiam poſt tot coniecturas vix intelligo. credo, Poëtam velle, matrem, poſtquam catulos aliquamdiu a partu aluerit, paullatim minus curare, et ad opus ſuum, id eſt, venatum, redire velle; quod vbi plane apparet, tum monet, a matre eſſe abducendos catulos, et lacte et maza eſſe alendos. Heinſius in ora Codicis.

Illa perinde ſuos, vt erit delecta, minores
Ad longam praeſtabit opem.

vel, *vt erit praelata*, Graeuius, *vt erit curata:* ſed nec ita loci ſententiam capio. cogitabam aliquando, poſſe refingi,

Illa ſubinde (vel *deinde*) *ſuis, vt erit deiecta minorem,*
Nec longam praeſtabit opem.

Poſtea, vbi a catulis ſuis erit deiecta (nam paullatim a lactatione abſtinendam matrem noſter, vt et alii faciunt, monet) minorem curam, nec longam, id eſt non diu in nido morans, *praeſtabit*, quare cum vides, foetas deeſſe operi, id eſt, lactationi, et induſtriam, ſiue venandi ſtudium, ſuperare maternum affectum, tum lacte et maza alendi catuli: *delectus* vero *deiectus* et *delactus* confunduntur etiam aliis locis in MSS. vid. ad Tacit. II. Ann. 60. Comm. Poſſet et ex veſtigiis antiquae editionis legi,

Illa deinde ſuis, vt fit, de lacte minorem
Nec longam praeſtabit opem.

Vt fit, id eſt, vt fieri ſolet, (vid. ad Petron. cap. 49.) et eſt conſuetudo canum, quae initio diligenter curant et lactant catulos, ſed deinde minorem indies opem et curam illis praeſtant, nec multum ac diu in nido apud catulos morantur, ſed incipiunt excurrere, quod vbi videas, a matre ſunt ſeparandi quare addit, *tum denique foetae cum deſunt operi*, id eſt negligenter catulos lactare incipiunt, tunc a cura matris tranſeat tutela ad relictos catulos. *relicti* enim proprie dicuntur, quos negligit mater, et hoc ex Virgilii lib. II. Aeneid. 357.

— — *catulique relicti*
Faucibus exſpectant ſiccis.

et Flor.

Cum deſunt operi, fregitque induſtria matres,
Tranſeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte nouam pubem, facilique tuebere maza:
Nec luxus alios, auidaeque impendia vitae
Noſcant.

et Flor. I, 1. de lupa, *relictis catulis vagitum ſecuta, vbera admouit. Delacta* pro *delactata* barbarum cenſeo. *Burm.*

delacta minores] *Delactata*, hoc eſt ipſi catuli ablactati fuerint: ſuſpicor tamen aliquid de mendo in ea voce: *minores* appellantur filii ἀκύρως, quomodo etiam a Virgilio VIII, 269. *Laetique minores ſeruauere diem.* vbi notat Servius: ſic etiam Nemeſianus 135. *Mox non omnes nutrire minores.* Titius.

304. *Tum denique, foetae*] Ita (*Foetu*) Logi Ed. pro *Foetui.* quam lectionem alteri nempe *foetae* (quia modo praeceſſerat) anteponere non dubitaui. haec verba ſic Vlitius exponit. Cum foetae deſunt operi, *i. e.* nutritioni, et induſtria vicit naturalem matrum affectum. *Mater* enim pro amore materno. Mihi tamen eiuſmodi videtur eſſe ſententia. Cum matres ſuo deſunt foetui, nec vltra lac praebere valent, et operis illius, nimirum nutriendi, labor debilitauit omnino vires. *operis* malo cum Vlitio. *Iohnſ.*

305. *Fregitque induſtria*] *Frangere matrem* hic eſt, naturalem affectum, quem in prolem habent matres, vincere, ac tandem abolere. *Induſtria* haec venatoris eſt, vt nec repente, ſed paulatim hanc obliuionem catulis ſimul et matri inducat. *Vlit.* Ego *induſtriam* de foetis canibus capio, pro ardore venandi, qui efficit, vt obliuiſcantur catulorum. vid. notam ſuperiorem. *Burm.*

307. *Facilique*] Parabili, auidae enim impendia vitae omnino vitanda. *Iohnſ.* Recte. vid. ad Petron. cap. 93.

maza:] Pane ſubacto. Haec maza eſt, ſiue lacte, ſiue aqua ſubacta. Hanc Nemeſianus 161. *Cererem cum lacte* vocat. *Vlit.*

308. *Vitae*] *Vitae* vocabulum heic luxum et delicias viuendi denotat. Nam *viuere* eſt genio indulgere: vetus inſcriptio AMICI. DVM. VIVIMVS. VIVAMVS. Petronius cap. 34.

Viuamus, dum licet eſſe bene.

Barth. Barth. ad Claud. III. de Laud. Stilic. 160. legit *auidaeue*, ſi ex MSS. recte: nec tamen ſemper

Noſcant. haec magno redit indulgentia damno.
Nec mirum: humanos non eſt magis altera ſenſus.
Tollit ſe ratio, et vitiis adeuntibus obſtat.
Haec

ſemper poſt *nec* opus eſt *vel* vel *ve* ponere, vt docuimus ad Ouid. III. Met. 492. et ad Rutil. I. Itin. 253. vbi itidem Barthius *que* eiicit. *impendia* vero ſupra illuſtrauit Barth. ad verſ. 33. vtitur et Sueton. Caeſar. 53. *rapinis et ſacrilegiis onera bellorum ciuilium et triumphorum ac munerum ſuſtinuit impendia.* Burm.

310. *Humanos* etc.] Ita omnes codices ante Vlitium hos verſus exhibent, niſi quod *obſtant* in fine, pro *abſtant*, vt opinor. Hic eſt verborum ſenſus. Non altera *indulgentia* magis *eſt*, i. e. Edit, corrumpit, praedatur humanos ſenſus. Ratio enim ſubducit ſe, et vitiis adeuntibus intereſſe non ſuſtinet. *Iohnſ.* Heinſius corrigebat *cenſus*, quod defendi poteſt multis Manilii locis, quibus *cenſus* de omni hominum opera, ſtudiis, opibus et diuitiis, et quocumque homo cenſeri poteſt, occurrit. vid. lib. I, 12. et ibi Scaligerum, et III, 72. et alibi: praeterea paſſim occurrit apud varios *edere*, *comedere*, *vorare bona*, *patrimonium* et *cenſum*. de quibus ad Petron. cap. 42. et ita variat ſaepe ſcriptura Codicum et apud Manilium, et Petron. cap. 119. *quae turbant cenſum*, vt legendum puto, licet *ſenſum* tueantur alii, et Barth. XXI. Ad. 3. De veſtium luxuria Ouid. III. Art. 172.

Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuo.

vbi vide adnotata. de Eriſichthone idem lib. VIII. Met. 846.

— *demiſſo in viſcera cenſu.*

Quia omnia deuorauerat. ſi quis tamen *humanos ſenſus* probabilius dici credat, non pugnabo. *Burm.*

311. *Vitiis adeuntibus*] Manifeſto haec contraria ſunt menti Gratii noſtri. Nam ſternacem quaſi et efferatam Rationem dicere vult viam omnibus vitiis aperire planam atque facilem. Haec vero lectio viam obſtruere vitiis canit. Prorſus ſcribendum. *vitiis abeuntibus*, Nam Ratio efferata et luxuria intumeſcens non patitur, vitiorum amorem ſemel hauſtum abire. Si omnino lectio vulgata placebit, ſubintelligendum erit *cum.* et *obſtat cum vitiis adeuntibus.* Senſibus videlicet humanis. *Barth.* Idem Bar-

Haec illa eſt, Pharios quae fregit noxia reges,

Dum

Barthius ad Claudian. III. de Laud. Stilic. 160. legebat,

Tollat ſe ratio, et vitiis adeuntibus obſtet.

et ita fere Heinſius, qui et pro *obſtet*, *abſtet* adſcripſerat, et pro *adeuntibus*, *adedentibus*, vt modo *eſt ſenſus* dixerat pro edit. Graeuius in Syllog. Epiſt. Tom. IV. pag. 244.

Tollit ni ratio, et vitiis adeuntibus obſtat.

vbi vero legerit Iohnſ. *obſtant*, pro quo ille *abſtant*, neſcio. forte operae aberrarunt: nam in contextu edidit *abſtat*, quod verbum iterum verſ. 353. occurrit, licet ibi ab *abſiſto* etiam poſſit deduci. mihi ſatisfacit Barthii correctio, niſi quod pro *adeuntibus curis*, malim *ſubeuntibus*, hoc modo,

Tollat ſe ratio, et vitiis ſubeuntibus obſtet.

Vt in initio operis *Rationem* rebus gerendis ſociam homines ſumſiſſe dicit, ita hic eamdem commendat, vt contra vitia ſe tollat, nec premi luxus conſuetudine mala patiatur. Manil. I, 97. *coelum adſcendit ratio.* forte idem dicit, quod Perſius Sat. V, 96. *Stat ratio contra* etc. *Tollere ſe* paſſim occurrit apud Virgilium, cum corpus et caput alte efferimus. vt V. Aen. 369. ſic *mare ſe tollit* VII, 359. et Metaphorice III. Georg. 8.

— qua me quoque poſſim.
Tollere humo, ita *ſe dare*, de quo ſupr. ad vſ. 143. parare ergo ratio ſe debet ad pugnam contra vitia ſubeuntia dolo et aſtu. aliter *ſe tollere* etiam arrogantiam notat, et nimiam animi elationem, vt apud Petron. LXXXIII.

Qui pelago credit, magno ſe foenore tollit.

ſubeuntibus vero vt corrigam, inducor, quia litera *s* vltima in *vitiis* abſorpſit ſequentem, vt reſtaret *ubeuntibus*, vnde *adeuntibus* fecerunt, *a* et *u* enim facile permutuntur: vſus eius verbi vero in ſimilibus obuius. ita *ſubeunt morbi* Nemeſ. Cyn. 117. Ouid. III. Art. 373. *Ita ſubit, deforme malum.* inf. 386. *ſubit mala peſtis*, et millies alii. *Burm.*

312. *Fregit*] Exprimere voluit Graecum ἔθρυψε. *Iohnſ.*

noxia] pernicioſa indulgentia. ſumitur et ſubſtantiue pro damno, vitio, labe. *Idem.* Ita hic capiendum: aliter τὸ *quae* deberet referri ad *indulgentiam*, cum tamen ratio proxime praecedat. ſed *noxia* eſt culpa, damnum. vid. vſ. 439. et 461. *Burm.*

Dum ſeruata cauis potant Mareotica gemmis,
Nardiferumque metunt Gangem, vitiisque miniſtrant.

315 Sic

313. *Potant Mareotica gemmis*] Errorem hic Gratio vix defendam. *Mareotis* Nili palus in Aegypto quidem eſt. At, *Mareotica vina* non ab Aegypti parte illa, ſed ab alia Graeciae, aut Epiri potius acceperunt. Nam Columella *Mareoticas* vites inter Graeculas recenſet lib. III. c. 2. *Barth.* Nemo Geographorum eſt, qui huius ſimiliſue appellationis locum vllum in Graecia, aut alibi, quam in Aegypto, poſuit. Sed omne illi fudamentum eſſe videtur Columellae locus lib. III. c. 2. *Nam quae Graeculae vites ſunt, vt Mareoticae, Thaſiae, Pſythiae* etc. Heic cardo totius ineptiae Barthianae vertitur, quem ſi emouerimus, tota concidet ſomniorum machina. *Graeculas* eas vites videtur vocare Columella, quia Maro lib. II. Georg. iuxta Graecas vites etiam *Mareoticas* poſuerit. Quod an bene colligerit, aut, ſi fortaſſe, Mareoticas vites in Graeciam propagatas eſſe, vt Thaſias quoque, quae ad Thraciam magis pertinent, an adeo compertum habuerit, non temere aſſeruerim. Videant alii, vtrum hoc ſibi perſuadere poſſint, an potius ſcripſiſſe Columellam: *Nam quae trunculae vites ſunt.* Qua voce alibi quoque vtitur. *Trunculae vites* ſunt, quae minus alte coluntur. *Vlit.* Palinodiam videtur ceciniſſe Barth. ad Stat. III. Silu. II, 24. quod monere lectores oportet, non vt Lagus fecit, oblatrare Vlitio. *Burm.*

gemmis] Poculis ex gemma cauatis. *Barth.*

314. *Nardiferumque metunt Gangem*] Καταχρηστικῶς, pro metunt loca Indiae vicina Gangi. *Iohnſ.* *Metere Gangem* inſolentior videtur locutio, nec placuiſſe Heinſio videtur, qui in ora codicis correxerat, *nardiferumque metunt vnguen*, pro vnguento, vt infr. 416. *vnguen amurcae* et ita alibi. Sed an *vnguentum* poſſit dici *nardiferum*, merito dubito: nec etiam metere *vnguentum* eleganter dici arbitror. Certe aliter de vnguentis agens ſiue Sulpicia, ſiue Tibullus IV. II, 17. haec expreſſit.

Poſſideatque, metit quidquid bene olentibus aruis
Cultor odoratae diues Arabs ſegetis.

Quare ego hic *Gangem* Poëtarum more, potuiſſe pro India, cuius maximus et celeberrimus eſt fluuius, credo. Ita Servius ad illa Virgil. Georg. 137.

Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus.

Ganges

Sic et Achaemenio cecidiſti, Lydia, Cyro.

Atqui

Ganges Indiae fluuius, per quem prouincia ſignificatur. et ita alia flumina ſaepe indicant regiones. Virgil. III. Georg. 30.

Addam vrbes Aſiae domitas, pulſumque Niphatem.

Vbi iterum Seruius. *Niphates et fluuius eſt et mons. per Niphatem autem populos iuxta habitantes accipimus: nam nec fluuius, nec mons vmquam poteſt pelli.* vere. nec fluuius arari aut meti poteſt, ſed regio. iterum Maro IV. Georg. 211.

Nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes.

Vbi pro ipſis Medis ponitur. *Tigris* et *Euphrates* per Parthia et Armenia apud Propert. III. III, 4. recte exponitur a Paſſeratio. et ita apud Claudian. Epiſtola ad Gennadium poſſet capi *Rubiconis amoeni incola.* nec opus opponere *accola.* ita Nilus centies pro Aegypto, vt apud Martial. X, 26.

Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

quem et *ſpiciferum* vocat eod. lib. 74. quia Aegyptus feraciſſima. ſic Rhenus pro Germanis et alia flumina; ſed modus ſit exemplis. noſter ipſe Hebrum pro Thracia vſ. 128. dixit. vt vero metere fluuium noſter, ita, licet diuerſo ſenſu dixit Silius VIII, 565.

Qui Batulum Nucraſque metunt.

pro incolunt. quo ſenſu Poëtae frequentius *arare*, aut ſi fluuium adducunt, *bibere* et *potare* vtuntur, de quo ad Nemeſ. Cyneg. 67. ſed et *natare* vtuntur, vt Claudian. II. Rapt. 177.

Et qui te, Latiis nondum praecincte tropaeis, Thybri natant.

Stat. X, 492.

Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator Oebalus Eurotae.

Idem IV, 239.

Qui te flaue natant terris Alphaee Sicanis Aduena.

Vt recte Barthius monuit legendum. et iam impetus me ceperat hic *natant Gangem* reſcribendi; ſed *metunt* magis feracitatem, et copiam nardi exprimere puto. et hinc *meſſes Indicae* a Poëtis, de odoribus et foliis. vid. Stat. IV. Silu. V, 30. Architecti vero nuperae editionis et indicis, in hunc retulerunt, *metire Gangem:* eho quam belle et diligenter! *Burm.*

314. *Vitiiſque miniſtrant*] Δȣλεύȣσι. Miniſtros ſe praebent. *Miniſter* enim proprium in conuiuiis et comeſſationibus verbum, vt et *miniſtro.* αὐτοὶ τῇ ἑαυτῶν τρυφείᾳ οἰνοχοȣ͂σι. *Iohnſ.* De illa conſtructione verbi *miniſtrare* vid. ad Val. Flacc. III, 38. et Broukh.

Atqui diues eras, fluuialibus aurea venis.
Scilicet, ad ſummam ne quid reſtaret habendum,
Tu quoque luxuriae fictas dum colligis artes,
Et ſe-

ad Propert. III. XIV, 15. et ſupra vſ. 153. *Burm.*

315. *Cecidiſti*] Et haec rarior locutio: vulgatior eſt, *cadere ab aliquo*, de quo ad Ouid. V. Met. 192. Sed et *cadere alicui* illuſtrauit Doctiſſimus Cortius de vſu Orthog. Latin. diſ. cap. III. §. 1. p. 22. immo et ablatiuus poteſt eſſe, vt Claud. IV. Conſ. Hon. 89.

Non hoſtes victore cadunt, ſed iudice ſontes.

Dubium, an datiuo, an ablatiuo idem III. Stil. 163.

Atque idem Thebis cecidit.

Ita et *perire* idem II. de Laud. Stil. 250.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilicho.

et ita *perire ab aliquo*, dici ad Ouidium vidimus, apud quem VI. Faſt. 490. *tuque cadis patria, parue Learche, manu.* vbi alii codices, *tu cadis a patria.* Burm.

317. *Summam*] Perfectionem, et ſumum decus. Propert. II. VII, 11.

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles.

Barth. Vid. ad Ouid. Ep. II, 56. et 66. et VI, 12. vbi et *ad ſummam* aliter poſſe capi docuimus. *Burm.*

habendam] Inuidiam quandam auaritiae hoc verbum adfert. Vt apud Ouid. I. Met. 131.

— *amor ſceleratus habendi.*

Barth. Vid. ad Phaedr. praefat. lib. III. et V. fab. 4.

318. *Fictas*] *Artes fictae* ſunt verarum aemulatriceis. Non diſplicet tamen, quod in v. c. reperio, *victas;* vt victarum gentium intelligat. *Barth.*

luxuriae artes] Ita *ingenioſam gulam* appellarunt Petronius et Martialis. Sic arteis et libidines ſynonyma habet Salluſtius. *animus imbutus malis artibus, haud facile libidinibus carebat. Graias arteis* pro deliciis poſuit Iuuenalis Sat. XV.

Tunc rudis, et Graias mirari neſcius arteis,
Magnorum artificum frangebat pocula miles.

Barth.

fictas artes] Studio elaboratas. *Iohnſ.* Poſſet Barthii lectio, *victas*, illuſtrari illis, quae ad Petronium cap. LV. notauimus: ſed *victae artes* pro victarum gentium, durius puto dictum. quare *fictas artes* explicare poſſemus, quas ab aliis ſumunt, diſcunt, vt ita apud Horat. III. od. 6. *fingitur artibus* propugnat Cl. Bentleius. Heinſius malebat *dictas*; ſic inf. 379.

Et ſequeris demens alienam, Graecia, culpam.
O quantum, et quoties decoris fruſtrata paterni!
At qualis noſtris, quam ſimplex menſa Camillis!
Qui tibi cultus erat poſt tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutiſque indole priſcae,
Impo-

inf. 379. haerent viri docti inter *ficta*, *victa* et *dicta auxilia*, ego *fictas artes* excogitatas a variis luxuriae magiſtris interpretor, vt ita *fingere fallaciam* Terent. Andr. I. III, 15. et Heaut. III. II, 22. et Andr. II. I, 34. *facite*, *fingite*, *inuenite*, et ita *fictae* illae *artes luxuriae* opponuntur facili et naturali victui et ſimplici, vt mox vocat, menſae. *colligis* explicari poſſet ex illo Ouidii I. Triſt. V, 31. *Atque haec exemplis quondam collecta priorum.* notat enim copiam verbum, vt apud Prop. II. XI, 9.

Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte?

Burm.

319. *Alienam culpam*] Peregrinam, non naturalem, nec tuam. *Iohnſ.*

320. *O quantum et quoties*] Ita apud Ouid. II. Art. 447.

O quantum et quoties non eſt numerare, beatum!

plurimi habent codices. vid. ad Rutil. I. Itin. 5. *Burm.*

decoris fruſtrata] Subaud. *es.* quod paſſim Gratius omittit. Exprimere voluit Graecum ἀπέτυχες, ſeu τυγχάνεις ἀποτυχοῦσα. ideoque cum genitivo iungitur. *Iohnſ.*

322. *Cultus*] Totam vitae culturam hoc verbo denotat. Tibull. III. Eleg. III, 31.

Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge poſſe frui.

Barth. *Victus* malebat Heinſius, ſed nihil opus: nam et in cultu maxima luxuria, et *habitus* ſequitur, quae duo ſemper fere iungunt ſcriptores. vid. ad Ouid. IV. Met. 405. et *cultus* millies reſpondet triumphis, in quibus in tunica Iouis etc. conſpicui erant. Sed Serranum ad priſtinum cultum deinde rediiſſe dicit. *Burm.*

323. *Ex habitu*] Τὸ *ex* ſuperfluum,

Impoſuere orbi Romam caput: actaque ab illis
Ad coelum virtus, ſummoſque tetendit honores.

Scili-

fluum, vt plurimis locis apud ſcriptorum omne genus. *Barth.* *Ex* hic notat propter, et cauſam, vnde hoc euenit. ſic Terent. Andr. I. V, 33. *ex hoc ſollicita eſt.* et Adel. II. I, 43. *inſanire ex iniuria.* et ita paſſim veteres. ſuperfluum vidimus τὸ *ex* ſupr. 153. *Burm.*

324. *Impoſuere orbi Romam caput*] Effecerunt, vt Roma caput orbis eſſet, ac diceretur. *Titius.*

actaque] V. ed. *ortaque*, quod non receperim. Alludit Maronianum illud VI, 782.

Imperium terris, animos aequabit Olympo.

Barth. Nec *acta* placebat Heinſio, qui vel *altaque* vel *auctaque* corrigebat. ſic apud Claudian. praef. conſ. Mallii, pro *fama celſius vero acta*, malebat *aucta*. vide ibi notas. ſed nihil mutare tutius: nam *agere* eſt extollere, propellere, ſiue in altitudinem, ſiue aliquando in profundum, vt *altius acta* apud Rutil. I, 130. eſt proiecta, immerſa in profundum. ita poſſumus capere illa Horatii II. Od. 2.

Illum aget penna, metuente ſolui,
Fama ſuperſtes.

vbi vetus commentator exponit, *extollet.* ſic *actum ferrum* Claud. Bell. Get. 122. vid. ad Vellei. II, 180. et Val. Flac. II, 179. ſic *agere radicem* dicitur arbor et planta, quando immittit in terram. de quo vide Heinſ. ad Ouid. II. Met. 583. et contra *agere flores* dixit Columel. II, 16. et noſter vſ. 96. *agere aciem in tenebras*, et quae infinita talia ſunt. *Virtus* ergo *ad coelum acta*, eſt elata, quae creuit immenſum. In quo multi ſunt Poëtae. Horatius ſufficiat lib. IV. Od. 15.

Per quas Latinum nomen, et Italae
Creuere vires, famaque, et imperi
Porrecta maieſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.

Burm.

325. *Tetendit*] Τὸ *ad* ἀπὸ κοινοῦ repetendum: *et ad ſummos tetendit honores.* Vlit. Scaliger in ora Codicis ſcripſerat, *ſummo ſe extendit honore*, perperam. recte Vlitius geminandam eſſe praepoſitionem intellectu docet, de quo nos pluribus ad Claudian. IV. Conſ. Honor. 207. *Burm.*

Scilicet exiguis magna ſub imagine rebus
Proſpicies, quae ſit ratio, et quo fine regenda.
Idcirco imperium catulis, vnuſque magiſter
Additur: ille dapes, poenamque operamque miniſtrans
Temperet: hunc ſpectet ſiluas domitura iuuentus.

Nec

326. *Imagine*] Idem eſt, quod dicit Ouid. III. Art. 525.

Quid vetat a magnis ad res exempla minores
Sumere.

Vid. et I. Triſt. III, 25. *Burm.*

327. *Regenda*] Ipſa nimirum ratio, ſiue modus agendi: ne quis *regendae* legat, et ad *res exiguas* referat. dicimus vero *ratione regere*, vt *conſilio* Terent. Eun. I, 1. et ipſam etiam *rationem*, vt Suet. *diſciplinam* Caeſ. 48. et Aug. 24. vbi nihil mutandum. *regere iura* Sidon. Apol. Carm. VII, 296. et 312. vid. ad Rutil. I. Itin. 157. *regere frena*, pro frenis equum, Claud. III. Stilic. 9. et Stat. IX. Theb. 818. ita *imperium regere*, et *imperio*, de quo vid. ad Ouid. III. ex Pont. III, 61. *quo fine* vero eſt, quo modo, vt Flor. II, 15. *Quum bellum ſederet, de belli fine tractatum.* Id eſt modo gerendi propoſito, quem in bello deberent Romani tenere. Val. Max. VI. VI, 2. *cum de belli fine ageret.* et ita Horat. I. Sat. I, 106.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

et II. III, 126. *ratione modoque tractari.* Burm.

328. *Imperium*] Imperator. *Iohnſ.*

vnuſque magiſter] Magiſter catulorum, vt magiſter Equitum. alibi enim catulorum agmen *exercitum* vocat, et vbique fere ad Romanam militiam alludit Gratius. paulo poſt, *Socios.* Iohnſ.

329. *Poenamque*] Notauerat hanc vocem Heinſius nota, qua ſuſpectas ſibi voces indicabat, quia forte rectius *miniſtrare operam*, quam *poenam* duceret. Sed ſaepe vno verbo contenti, licet duo videantur requiri. Nihil ergo mouendum: ſi enim delinquunt catuli, dum ad artem venatoriam formantur, poenis debent affici, quae vna efficaciſſima eſt erudiendi canes ratio. ſed temperare debet poenam magiſter, nec ſaeuire. *Burm.*

330. *Hunc ſpectet*] Ad huius nutum pendeat. *Siluas* hoc verſu

Nec vile arbitrium eſt: cuicumque haec regna dicantur,
Ille tibi egregia iuuenis de pube legendus,
Vtrumque, et prudens, et ſumptis impiger armis.

Quod

verſu pro feris dixit, *Iuuentutem canum:* vt *apum* Virgil. Georg. IV.

Vt cum prima noui ducunt examina Reges,
Vere ſuo, luditque fauis emiſſa iuuentus.

Barth. Ita Ouid. I. Amor. IV, 17.

Me ſpecta, nutuſque meos, vultumque loquacem.

Spectare enim *aliquem* eſt oculos non ab alterius oculis demouere, vt Terent. Adel. II. I, 16. ait. et ita Parmeno ad Lachetem in Eunuch. V. VI, 18. *Here ne me ſpectes.* de admiratione et veneratione hoc verbum etiam poni docuit Torrent. ad Horat. I. Ep. XVI, 57. qui et II. Ep. I, 60. *hoc ſpectat Roma potens.* Burm.

331. *Arbitrium*] I. e. imperium. *Iohnſ.* Vide, quae ad Claudian. lib. I. Rapt. 55. notamus. *Burm.*

dicantur] Deſtinantur, vel conferuntur. *Iohnſ.* Ita *ſortem dicatam* dixit Manil. I, 60. qui ſaepe hoc verbo vtitur eodem ſenſu: ita apud Seren. Samon. cap. XXII.

At nos pauperibus praecepta dicamus amica.

Ita Puteaneus codex. *regna* hic cape, vt *imperium*, *arbitrium*, ἐπίσκεψιν in canes: vt ita paſſim Poëtae omnes adminiſtrationes, et etiam miniſteria, *regna* vocare ſolent. ſic *regna ratis tradere* Valer. Flacc. I. Arg. 418. de gubernatione, vbi vide, quae adnotauimus. *Burm.*

332. *Ille tibi egregia*] Xenophon cap. 2. ea ad retium curam, quaſi ea praecipua venatoris ſit, commendauit, quae proprie, vt melius ea applicuit Gratius, ad κυνηγεσίαν requiruntur. *Vlit.* Viliorem tamen hanc curam fuiſſe docet Virg. Ecl. III, 75.

Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſeruo.

Burm.

333. *Vtrumque*] Non damno hanc lectionem; ſuſpicatur tamen non immerito Heinſius, ſcripſiſſe Gratium *Rerumque et prudens.* vid. ad Ouid. II. Art. Am. 675. ſic infr. vſ. 427. *rerum prudens experientia* dicitur. Perſ. Sat. IV, 4.

Scilicet ingenium, et rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Burm.

integer

Quod niſi et adceſſus, et agendi tempora belli
Nouerit, et ſocios tutabitur hoſte minores:
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno eſt.
Ergo in opus vigila, factuſque ades omnibus armis:

Arma

integer] In veteri ed. *impiger*. Barth. Eadem varietas in ſcriptis et editis apud Stat. VIII. Theb. 302. *quidquid nouat integer annus.* Burm.

334. *Agendi belli*] Inſolentior phraſis, *agere bellum* pro gerere. Claud. II. in Eutrop. 325.

Tandem conſilium belli confeſſus agendi.

Et in Epigrammatis.

— *bello quibus ille peracto*
Conſpicuus, reges inter fulgeret Achiuos.

Barth. Minime inſolens phraſis, ſed optimis vſitatiſſima. vid. ad Ouid. II. Triſt. 230. et Boſ. ad Nepot. Hannib. 8. et quae nos ad Quinctil. X, 1. p. 908. ſic *agere victoriam* dixit Claud. III. de Laud. Stilich. 216. *agere principatum* Suet. Tiber. 24. tales locutiones qui inſolentes vocant, parum verſati in priſcorum auctorum lectione mihi videntur, et inſolentes eſſe ipſi: idem Cellarius adnotat ad Eutrop. II, 3. *Burm.*

335. *Socios*] Id eſt, canes. Ouid. l. Remed. 182.

— *et comites, ſedula turba, canes.*

Vlit. *in Add.*

hoſte minores] Minus validos hoſte ſtabulis excito. *Barth.* Vide, quae de hac voce notauimus ad Val. Flacc. VII, 349. *Burm.*

336. *Illa tamen*] Eſt hic defectus Orationis, quae ſuppleri hoc modo debet, quamuis non cedent, quamuis vincent, tamen victoria damno eſt, propter vulnera et interitum etiam canum. Vide, quae de exquiſita hac Latinitate notat Gronou. ad Senec. IV. de Benef. 6. et ad Liu. XXIII, 19. et plura congeſſit Kortius ad Sall. Iug. LV. vid. et Calpurn. Ecl. V, 110. *Burm.*

337. *Ergo*] Hic, vt ſaepe, tranſitioni ad nouam operis partem inſeruit, poſt tradita de retibus, haſtilibus, venabulis etc. et canibus, nunc ad ipſum venatum educit Poëta ſuum, quem inſtruit, diſcipulum, quem paratum et inſtructum nunc in ipſum opus, venatum, vult vigilare. An reſpicit ad illa, *Mars vigila.* Burm.

factuſque] Pleraque, quae huc adduxere exempla Vlitius et Iohnſon, parum ad rem faciunt, niſi ſi *factus omnibus*

Arma acuere viam. tegat imas faſcia ſuras.
Sit

armis, capias pro apto, accommodato armis, vt dicitur, *factus* et *natus* rei alicui vel ad rem, qui ſingulari quodam modo eſt idoneus illi rei. de quo verbi *facere* vſu videndus Heinſ. ad Ouid. II. Epiſt. 39. et ita ſaepe Ciceronem et alios loqui conſtat. ſic Ouidius XV. Epiſt. 94.

Quid numeras factos ad noua membra pedes?

ſed tamen hoc durius, nec ſententiae Poëtae ſatis conueniens mihi videtur. poſſet et quis *factus* pro perfecto, cui iam nihil deeſt ad venatum recte et ex arte inſtituendum, capi. vt ita Cicero II. Academ. I. de Lucullo, *qui in Aſiam factus imperator venit.* ſimiliter poſſent illa Tibull. II. VI, 10.

Et mihi facta via eſt.

exponi. iam mihi ratio apparet efficiendi id, quod inſtitui. tunc vero debet conſtrui factus iam et inſtructus ades omnibus armis, et ita *ades* recte ſubiungitur τοῖς *vigila in opus*, vt *adeſſe* ſit vrguere, inſtare. ſic Florus III, 5. de Mithridate, *aderat, inſtabat, ſaeuitia quaſi virtute vtebatur.* Caeſar. VII. de Bell. Gall. *ipſe dux illis aderat.* nondum tamen in hoc loco mihi ſatisfacio, et forte melius legeretur, *tectuſque ades omnibus armis*, vt impune et tuto feras laceſſas, et coeli iniurias feras. ſic ſequetur mox, *tegat imas faſcia ſuras.* Burm.

338. *Arma acuere viam*] Quid ſit *acuere viam*, prorſus neſcio. Videtur legendum *Virum*, et verba parentheſi includenda. *Iohnſ.* Hic deberent inſolentiae arceſſere interpretes Gratium, ſi ita ſcripſerit: nam arma qui *acuere* vel *viam* vel *virum* poſſint, vix intelligo. viam tamen explicaret forte quis modum, methodum, vt ſaepe noſter *propiorem viam* et ſimilia dixit: ita vt ſenſus eſſet, quum olim nudis viribus et nudo Marte aggrederentur feras, nunc ſollertia humana inuentis armis, ſubtilior et doctior ratio venandi inſtituta eſt. Sed forte ſcripſerit, *arma acuent vires. vires* enim venatui propriae, quas egregie illuſtrauit Gudius ad Phaedr. I, 9. vt ita nuda illa virtus, de qua initio Poëmatis et alibi egit, inſtruatur et ornetur armis venatoriis, et naturae addatur *ratio*, quam toties laudat. ita fere Tibull. II. VI, 6.

Praeda feras acies acuit crudelibus armis.

Vbi videnda, quae Broukhuſius olim meus adduxit. Manil. I, 79.

Longa dies acuit mortalia corda.

poſſet,

Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fuluo *Man-*

poſſet, et forte melius, legi, *Arma acuere iram*, vel *iras*, vt *ira* pro virtute et fortitudine ponatur. vide ſupr. ad vſ. 189. audaces ergo et fortes venatores, armis inſtructi, et tecti multo animoſius aggrediuntur feras, et venatum exercent. *Burm.*

tegat imas faſcia ſuras] Calceos venatorios intelligit, de quibus et Vlitius plenius agit ad Nemeſ. Cyneg. 90. et egregie Spanh. ad Callim. Hymn. in Dianam vſ. 16. cothurnos intelligi docet vox *ſuras*, vt Virgil. Ecl. VII. *ſuras euincta cothurno.* Burm.

339. *Is inulina ſuis*] Locus peſſime interpolatus, quem non niſi ex peruetuſto codice reſtituere queas: plura diuinabam; ſed quaerimus, quid Poëta ſcripſerit, non quid commode ſubſtitui poſſit. *pellis hinnulina*, eſt quae hinnulo detracta in aliquod integumenti genus conformatur. *Titius.* Tinearum haſce iniurias, ſi quidem abſque veterum librorum ope vindicare non eſt, id quid poſſumus, celabimus aliquatenus, ſi ita ſarciatur haec lacuna:

Sit ſociis *vitulina tuis*, *aut tergore fuluo.*
Mantica, cincta chlamys, *canaque e maele galeri.*

Vitulina mantica eſt *μόσχειος κυνοῦχος*, quem requirit Xenophon cap. 11. Pollux V. §. 31. *κυνοῦχος δὲ, δέρμα μόσχειον, εἰς ὃ ἐντίθεται τὸ δίκτυον. Vlit.* Deſperatae haec ſunt ſanitatis. ſed illuſtrari poſſe puto, ex Petron. cap. 40. vbi ad ſcindendum aprum accedit, *barbatus ingens, faſciis cruralibus alligatus et alicula ſubornatus polymita, ſtrictoque venatorio cultro latus apri vehementer percuſſit.* vbi vides, faſcias, quae imas ſuras tegunt. *aliculam* vero in lacuna latere hic credo, ſine *chlamydem.* Vide, quae ibi notauimus, et figuram, quam ex Rhodio adiecimus, vbi et culter apparet. lacunas vero ſupplere, eſt in tenebris micare. Heinſius in primo verſu, vbi *is* reſtabat, ſupplebat, exuviis. Scaliger *cum villis maelina ſuis.* poſſet et legi, *in laeuis ſint lina*, *ſuis de tergore fuluo*, vel *fuluae*, *Pendeat apta Chlamys. apta* eſt *εὐσταλὴς* Polluci. Quae vero ratio Vlitium mouerit, vt in notis *cincta Chlamys*, in contextu ederet *curta*, neſcio. de *vitulina mantica* ingenioſa eſt coniectura. nam et panarium geſtaſſe venatores docet Plin. I. Ep. 6. et ſimul lagunculam. ſi *mantica* placeat, vellem, Mantica *ſit vitulina*, ſuis de *tergore fuluae*, *Pendeat apta chlamys.* nec *famuli* illi placent admodum.

Mantica, *curta chlamys*, canaque e Mele galeri:
Ima Toletano praecingant ilia cultro:
Terribilemque manu vibrata ſalarica dextra

Det

admodum. Vide, vt hunc locum etiam tractauerit Vlitius in notis ad Nemeſ. Cyneg. 91. *famulos* vero ex Nemeſ. 297. videtur ſumſiſſe. *Burm.*

340. *E macie galeri*] Vides, hic deſignari illud capitis integumentum, quod et *galea venatoria*, vt puto, nuncupatur; id conficiebatur ex pelle alicuius animantis. *Titius.* Poteſt et vulgata haec ſeruari. Eſt enim *maclis* ſiue *machlis* fera, vt teſtatur Plinius lib. VIII. cap. 15. *Item notam in Scandinauia inſula, nec vnquam viſam in hoc orbe, multis tamen narratam machlin.* Dubitari tamen merito poteſt, an Gratii aeuo innotuerit iam hoc cum patria ſua animal. Itaque melius eſt, vt τῷ πάνυ Salmaſ. Exerc. Plin. p. 710.) aſſentiamur, ſcribenti *maele.* Omnino itaque vera hic lectio eſt: *canaque e maele galeri.* Vlit. vid. inf. 402.

341. *Ima Toletano*] Gladium Hiſpanienſem ſignificari ſuſpicor. Sed *culter venatorius* diverſum vſum habet. Martialis Apophor. XXIX. *culter venatorius.*

Si deiecta gemes longo venabula roſtro,
Hic breuis in grandem cominus Ibit aprum.

Vlit. Cultrum hunc Toletanum diuerſum eſſe puto a cultro altero venatorio, quo ſolebant euiſcerare feras, certe diuerſum in ipſo venatu vſum praebebat, ſi iam idem eſſet: nam genus gladii Hiſpanici fuit, quo vtebantur, ſi inutile eſſet venabulum, vt irruentem feram conficerent. vide, quae ſupra ad vſ. 209. ex Polluce notauimus de ſtatu excipientis aprum. et ita intelligendum epigramma Martialis, ſi deficiat venabulum, id eſt inutile erit, inſiliente fera, vteris gladio, vel cultro, quo ſuccinctum hic eſſe venatorem docet Gratius. *Breuis* vero culter ille minime mutari debuerat a Scriuerio in *leuis.* Opponitur enim venabulis longo roſtro, id eſt cuſpide. vid. ſupr. 108. et ſqq. *Burm.*

342. *Vibrata falarica dextra*] Grandiorem ſolito haſtam deſignat. venabulum praegrande. alius enim erat falaricarum vſus in obſidionibus. *Iohnſ.*

Det ſonitum, et curua rumpant non peruia falce.
Haec tua militia eſt: quin et Mauortia bello
Vulnera, et errantes per tot diuortia morbos,
Cauſ-

343. *Curua falce*] Xenophon, cap. 2. requirit et δρέπανα, ἵνα ἡ τῆς ὕλης τέμνοντα φράττειν τὰ δεόμενα. Noſter autem longe alio vſu falcem habet, vt *rumpant non peruia*. Ita quippe legendum coniecit Vir doctiſſimus. Vulgo: *rumpant noua peruia*. Quod eundem ſenſum admittit. Similis enim locutio apud Val. Flaccum initio l. I. *medioſque inter iuga concita curſus Rumpere*. Id eſt, rumpendo patefacere, vt et hic in Gratio. *Rumpant*, nimirum *ſocii* vel *famuli*. Vlit.

noua peruia] ſic dictum veluti ſi vox *peruia* ſubiiciatur, non addatur, et tamen legi poſſet *non peruia funda*. Titius. Vet. Edit. *noua*. quod quid ſit, neſcio. amplector itaque emedationem, neſcio cuius legentis *non*. Iohnſ. *Non* ſine dubio rectum, et Scaligero et Heinſio approbatum. de vi vocis *rumpere* ad Val. Flac. locum a Vlitio laudatum ex initio Poëmatis, ſed de hoc nemo dubitat. Nec, licet operoſe firmet Vlitius, video eum *noua peruia* recte dici probare. nam et ſi ponatur *noua*, ſubſtantiui loco erit *peruia*. et ita *auia*, *inuia*, *obuia* paſſim occurrunt. vt Val. Fl. III, 583. *obuia quaeque ruens*. Claud. IV. Conſ. Honor. 484. *obuia quid mirum vinci*. et ita paſſim. vt vero rectius prioribus haec reſpondeant, et quia de famulis coniectura eſt dubia, malim, *et curuae rumpant non peruia falces*. Burm.

344. *Militia*] Hoc opus tuum eſt, hae partes, quas cures. Ouid. II. Faſt. 9.

Haec mea militia eſt, ferimus, quae poſſumus, arma.

Et Epiſt. XVII, 256.

Militia haec operis altera digna tui.

Ita *militiam ſoli* dixit agriculturam Manil. lib. II, 20. et omne ἐπιτήδευμα et ſtudium cuiuſcumque priuati aut publici muneris *militiam* dici egregie docet Caſaub. ad Perſii Prolog. vſ. 6. *Burm.*

345. *Per tot diuortia morbos*] Tot flexibus huc illuc per corpus ſerpentes, et inexpectatis vicibus adorientes; *Iohnſ.*

Cauſſaſque, adfectuſque canum tua cura tueri eſt.
Stat fatum ſupra, totumque auidiſſimus Orcus
Paſcitur, et nigris orbem circumſonat alis.
Scili-

346. *Affectuſque*] Ita Manil. I, 873. *ſigna per affectus coelique incendia mittit.* Burm.

tueri] Ita infra vſ. 478. *tutela podagrae* eſt ratio ſanandi et curandi: quae praeterea de verbo *tueri*, et inde *tutela* diſputat Vlitius, nimis ſubtilia videntur: reliqua ſatis obvia et vulgata. *Burm.*

347. *Stat fatum ſupra*] Hoc eſt, imminet. Virg. III. Georg. 194.

Olli caeruleus ſupra caput
aſtitit imber.

Barth.

totumque] Noui quidem, *totum* poſſe coniungi cum *orbem*, videtur tamen expreſſum voluiſſe Graecum τὸ Πᾶν. *Iohnſ.*

auidiſſimus orcus] Mors ipſa, ſiue Pluto. *Barth.* vid. ad Petron. XXXV. et XLV.

348. *Paſcitur*] Deglutit, devorat atque inſtar pecudis ſummos eius flores depaſcitur. Hinc interpretandum epigramma Martialis lib. IX, 82.

Duxerat eſuriens locupletem
pauper anumque
Vxorem, Paſcit, Gellius, et
futuit.

Hoc eſt, nihil aliud egit in coniugio tam abſono Gellius, quam laute viuere, aut famem priſtinam magnis bolis explere, et illud nequam in gratiam anus patrare. *Barth.* Epigramma Martialis non quidem male explicat Barthius, ſed plus velle puto Poëtam, nec ſe ſolum explere dapibus eſurientem olim vult indicare, ſed et alios ventres paſcere, et quotidie fere conuiuari. vid. ad Petron. LVII. vel poſſet capi pro *ſe paſcit*, vt apud eumdem cap. 39. et ita contra de paupere et pathico dixit idem Martial. IX, 64. *mentula quem paſcit*, quia ab omnibus Cinaedis vocabatur ad coenam: poſſet tamen et obſcaenior ſenſus ſubeſſe, ſi mutetur diſtinctio apud Martialem, *vxorem paſcit Gellius, et futuit*, vt nimirum vxori fellatrici indulgeat, dum ille alias ſubigit. *Burm.*

nigris orbem circumſonat alis] Elegantiſſima pictura Mortis omnibus imminentis, et cuius ſtridorem omnium corda exaudiant; nigras illi alas tribuit, quod omnia funeſta *nigra* vocare antiqui conſueuerint. *Barth.*

Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura, nec expertos fallet Deus. hinc quoque noſſe

Eſt

350. *Deus*] Euentus, Fortuna. τὸ θεῖον. *Barth.* *Deum* ſaepe ſingulari numero a Deorum falſorum et plurimorum cultoribus, poni vidimus ad Ouid. III. Art. 103. vbi perperam Heinſius aliquid mutare voluit, vt et III. Triſt. III, 18. ſed Deum ſaepe Fortunam notare verum eſt, et ad Ouidium quoque oſtendimus, ſaepe tamen de quocumque Deo, qui rei vel operi illi, de quo agitur, praeeſt, debet ſumi, vt ſupr. vſ. 30. Iohnſon. Dianam intelligi vult. infr. vſ. 513. *Sed iuxta vitium poſuit Deus.* nonnumquam a Fortuna diuerſus *Deus* dicitur, vt Stat. II. Theb. 540. *Audenti Deus et Fortuna receſſit.* et III, 60. *ſiue haec ſententia Diuum, ſeu Fortuna fuit.* Ouid. II. Faſt. 783. *Audentes Forſne deuſne iuuat.* et ita *diuinitus an caſu* ſaepe dubitantes dicebant, de quo ad Sueton. Claud. cap. 8. agemus. *Burm.*

hinc] Ab experientia nempe licet noſſe aliud opus, quod praeſtat numen placabile. Heinſius (ad Ouid. X. Met. 399.) hunc locum ita emendandum cenſet,

— *Hinc quoque noſſe*
Eſt illud, quod praeſtat opis placabile numen.

numen opis, *i. e.* opiferum. poſtea, *animae numen.* at quo ſaepius repeto hunc locum, eo magis diſplicet, ita merum frigus eſt, ita tarde incedit, vtcunque omnis ponderis expers. Audacius itaque agamus, et ſanitatem, amputando licet, reſtituere conemur. Sic ergo locum lege,

Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura; nec expertos fallet placabile numen.

Idem poſtea vocat, *facilis Paean.* Iohnſ. Temeraria coniectura: facilius erat, *hinc quoque noſſe Eſt aliud, quo praeſtat opem* p. n. melius vero *numen praeſtare opem* dicitur, quam, vt, in Barthii lectione, *opus praeſtet numen placabile.* in Vlitii diſtinctione aeque ambigua eſt ſententia, atque in oraculo Delphico,

Aio te, Aeacida, Romanos, vincere poſſe.

Aliud vero refer ad ſequens *remedium.* ſed eſt aliud, quo numen placabile praeſtet opem, nec longe illud remedium ſiue auxilium petendum. ita *poſcere opem* inf. 494. *Burm.*

Eſt aliud, quod praeſtat opus placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris orae
Abſtiterint, atroque cadant cum ſanguine fibrae:
Inde rape ex ipſo, qui vulnus fecerit, hoſte
Viroſam eluuiem, lacerique per vlceris ora
Sparge

351. *Eſt aliud quod praeſtet opem*] Scribendum olim putaui: *hinc quoque noſſe Eſt aliud*, vel potius, *illud, quod praeſtet opem, pl. n.* Nunc vero nihil mutari volo, poſtquam σύγχυσιν hanc verborum Gratio familiarem adeo eſſe obſeruaui. Quae vt promptius agnoſcatur, diſtinguendum erat:

Eſt aliud, quod praeſtet, opus, placabile numen.

Vlit.

352. *Vulneris ora*] V. ed. *orae.* Quod hoc loco recipiendum. nam *ora* poſt paucos verſus repetitur. *Barth.* Recte Barth. *orae* enim, quae abſtant, id eſt hiatu quodam inter ſe diſtant, proprie dicuntur in hac re. Celſ. lib. VII, 3. *aut, ſi antequam ſinus carne impleantur, orae carnoſae fiunt.* cap. 4. *fibula oris cutis iniicienda.* et mox *oras vulneris ſuturae* comprehendunt. et ita ille et alii medici ſaepe. *os* vero vlceris vel vulneris, eſt ipſe hiatus inter duas oras, quem et *ſinum* vocat Celſus. ora hiant, non abſiſtunt. tale os deſcribit ſub metaphorae figura Stat. II. Silu. I, 3.

— *Abruptis etiam nunc flebile venis,*
Vulnus hiat, magnaeque patet via lubrica plagae.

Abruptas illas venas *comprimi* noſter mox dicit, id eſt oras illas coire. *emarginare vlcera* dixit Plin. XXVIII, 9. vt *labra* mox vocat *pura* noſter. *Burm.*

353. *Atroque*] Sic Vlitius. olim *vtroque*, vnde Pithoeus *vteroque.* non male. *Iohnſ.*

355. *Viroſam eluuiem*] Non pus aut ſaniem, ſed lotium intellige. *Viroſam* vocat propter ſalſedinem. Vt *ſalſedinis virus* Plinio alicubi: et lib. XXI. cap. 6. aquam marinam *vetuſtate virus deponentem* dixit. De lotio autem loqui Gratium, ſequens illud arguit: *venas dum ſuccus comprimat acer*: id eſt, lotii virus. Et Dioſcorides quoque aduerſus vulnera a cane non rabido facta probat vrinam eius. *Vlit.* Recte Vlitius. non enim neceſſe eſt, vt fera etiam vulnerata fingatur, ex cuius ſanie vel pure remedium quaeratur. Ita et *virus* videtur de lotio ſumi

Sparge manu, venas dum ſucus comprimat acer.
Mortis enim patuere viae. tum pura monebo
Circum labra ſequi, tenuique includere filo.
At ſi pernicies anguſto paſcitur ore,
Contra pande viam, fallenteſque argue cauſſas:
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Sed tactu impoſitis mulcent pecuaria palmis,

(Id ſa-ſumi apud Plin. XVII, 9. *Quippe plus iam ſibi mali domandum eſt, cum ad virus illud vini homo acceſſerit.* de ſemine obuium eſt. de aliis rebus infr. vſ. 415. *Burm.*

357. *Mortis enim patuere viae*] Elegantiſſime. Nam de magnis et latis vulneribus loquitur, vbi ex ventre fibrae cum ſanguine, vt loquitur, cadant. Ibi patet mortem minari canibus. *Barth.* Ideo elegantius Poëta vtitur, quia varii mortis modi et pericula *viae* dicuntur. hic vero quaſi proprie per latum et patens vulnus. vid. ad Valer. Flacc. I, 502. ſic apud Martial. I, 79.

Dimiſitque animam nobiliore via.

vt Scriuerius ex MS. legit, quem vide. vid. et ad Tibull. I. III, 50. et inf. 465. poteſt autem hic *ſi* intelligi; ſi *enim mortis* patuere viae, tum etc. *at ſi pernicies.* etc. vid. ſupr. vſ. 60. *Burm.*

pura] Sic mundata, ſordibus purgata. *Iohnſ.* Heinſius corrigebat.

— *tum ſuta monebo*
Circum labra ſequi, tenuique inducere filo.

Sed ego nihil mutem. *Burm.*

358. *Sequi*] Manu ſequi, et reuocare diſcedentia vulneris ora. *Iohnſ.*

360. *Contra*] os vlceris amplius redde, et latentes detege cauſſas. *Iohnſ.*

argue] Vid. ſupr. 236. Heinſius diſtinguebat, *fallenteſque argue cauſſas Morborum: vitio* etc. non male, nec me inuito. *fallentes* ſunt latentes, obſcurae. *Burm.*

362. *Sed*] *Seu* Heinſ. Iohnſ. edidit *aut tactu*, nec, vnde petierit, monet. *Burm.*

tactu] Coelius Aurelius L. I. Acut. *Manibus leuiter defricandum, ſed non impreſſis.* quo nihil ad hunc locum accommodatius. idem enim Gratius dicit, *mulcent pecuaria manibus, ſed tactu impoſitis.* quae manus mollis partibus affectis calefaciendis

(Id ſatis) aut nigrae circum picis vnguine ſignant.

Quod

ciendis et leniendis inſeruit. Vid. Gronou. lib. II. Obſeru. c. 1. *Iohnſ.* Quae hic ex Gronouio nobis admetitur Iohnſon, alio ſpectant; ad medicinam nempe miraculoſam et fere magicam, quam tactu et cantu adhibebant Marſi, et ſagae. talia damnat infr. 400. ſed hic agit de modo quotidiano inter veterinarios, qui pecudum morbos et vulnera curabant: praeterea locus Aureliani docere potuiſſet, *tactu* non eſſe conſtruendum cum *impoſitis palmis*, quis enim imponit manus ſine tactu? ſed *tactu mulcent pecuaria impoſitis palmis*, et licet ita ſenſus ſatis conſtet, vehementer tamen tentor, vt *tractu* legam; nam et hae voces ſaepe commutantur, vt in quibusdam a Gronouio adductis apparet, vbi *tactu*, *tractu*, *tractim tangere*, *mulcere*, et *radere* occurrit, quod lente et σύρδην fit. vnde et obuium *tractare vulnera*, de quo ad Samonic. vſ. 24. vnde *tractus* de multis aliis dicitur, vbi longa quaedam et continua eſt ſeries, vt Apuleio de mundo, *tractus cauſſarum* de fato, *tractus literarum*, *ſerpentum* et ſimilia, de quo ad Nemeſ. Ecl. IV, 40. *tractu* vero idem eſt, quod alibi *tractim* dicitur, vt *furto* pro furtim vidimus ſupr. vſ. 184. vid. Indic. Erythr. in Virgil. in voce *tractim.* et in ipſo Virgilii loco IV. Georg. 260. pro *tractimque ſuſurrant*, in Mentelii codice Heinſius inuenit *tractu*, vt ex excerptis eius didici. ita *tractim tangere*, quod apud Plautum recte *demulcere* explicat Gronouius, Gebhardus quoque II. Crep. 10. licet aliunde ducta metaphora, non diuerſo multum modo exponit. Τῷ *mulcere* vero cum inſit *tactus*, vt et *manibus impoſitis*, melius hic *tractu*, vel *tractim* (abſorpta vltima ſyllaba a prima in *impoſitis*,) praeferrem. ſic apud Virgil. II. Aeneid. 683. vbi vulgo legitur,

Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma caput.

In Codice Sprotiano reperit Heinſius *tractu*, quod verum puto. *tactu* enim *lambere* nihili eſt, ſed tractu molli eſt leuiter et ſpatio quodam ſenſim circumire et adflare. vt paullo poſt de ſtella, quae *ſignabat vias* et *longo limite ſulcum* referebat, quod idem Maro I. Georg. 367. vocat *flammarum longos tractus.* qui locus mire hanc locutionem et ſuſpicionem noſtram confirmat. apud eumdem lib. III. Georg. 502.

Quod ſi deſtricto leuis eſt in vulnere noxa,
Ipſe habet auxilium validae natale ſaliuae.
Illa grauis labes, et cura eſt altior illis,
Cum

Georg. 502. *Et ad tactum tractanti dura reſiſtit*, in duobus codicibus vidi, quod et in Pieriano libro legitur, *tractum*, vbi etiam *tractare* eſt demulcere, fouere. Apud Germanic. quoque in Arat. vſ. 402.

Praecipiti tractu vaſtis dimittitur vndis.

Vbi in aliis codicibus eſt *tactu.* vid. alia in notis ad Quinctil. de Inſt. Orat. VI, 3. et ad lib. V, 8. *impoſitae* vero *manus* ſunt corpori adplicitae, vt in alia re dicitur, quando rem aliquam adgredimur. vid. ad Ouid. IV. Triſt. I, 28. *Burm.*

pecuaria] *Pecuaria* de canibus dici, mirum videri non debet. Infra: *defecta mala pecuaria tabe.* Ita et Xenophon lib. VIII. de inſtit. Cyri equos et canes βοσκήματα vocauit. Et in Geoponicis lib. XIX. cap. 3. de canibus adiicitur: καὶ τὰς ἄλλας νόσους τῶν κτηνῶν. *Vlit.* Vid. ſupr. vſ. 265.

364. *Deſtricto*] Libri, *diſtricto.* male. *deſtringi* et *abradi* ſimul leguntur, vt συνώνυμα. *Iohnſ.* *Deſtricto* Heinſius, recte, id eſt leuiter vulnerato. Ouid. Ep. XVI, 275.

Non mea ſunt ſumma leuiter deſtricta ſagitta
Corpora, deſcendit vulnus ad oſſa meum.

Vbi vide notas. et centies alibi etiam in his libris. *Burm.*

365. *Validae*] Logi Edit. *Validum.* Iohnſ. Parum referret, niſi duplici epitheto ornaretur vox *auxilium*, et *ſaliua* nuda relinqueretur. proprie vero *valida* ſunt omnia medicamenta iuuantia, quae et *potentia* et *pollentia* Poëtis paſſim vocantur. vid. ad Valer. Flacc. VII, 385. et Ouid. VII. Met. 123. et ad Ser. Sam. vſ. 18. et 109. *Burm.*

natale] *Genitale* malebat Heinſ. ſed nihil opus. ita ſupra 135. *natalia arbitria.* Val. Flacc. VI, 62. *Crinis ineſt, natale decus.* Burm.

366. *Cura*] Medicinale verbum, quod ea ſcientia ſibi vindicauit quaſi proprium. Et *cura* pro applicatione medicinae. *Barth.* Ita ab ingenio primus edidit Pithoeus. Vett. Lib. *curas altior illis.* Heinſius alicubi ad Ouidium plurimos congeſſit locos, vbi ſimile occurrit mendum, ex breui ſcribendi modo ortum. *Cura eſt.* Vlitius coniecit, *curis altior illis.* Pithoeana magis placet. Nam *illis* refertur ad *cauſſae* proximo verſu, non ad *labes*, quod praeceſſit. falſus eſt hic Vlitius, qui putauit *illis* non poſſe ſtare, et repoſuit *illi.*

Cum vitium cauſſae totis egere latentes
Corporibus, ſeraque aperitur noxia ſumma.
Inde

Iohnſ. Heinſ. etiam in vno codice *illi*, in altero *altior omni* ſcripſerat. quod vltimum planiſſimum facit verſum: ſic apud Ouid. IV. Epiſt. 189. pro *vndaque ferocior illa*, in optimo codice legitur *vndaque ferocior omni.* in aliis: *vndaque ferocior vlla:* quod et hic poſſet ſupponi. de voce *cura* vid. ad Seren. Samon. vſ. 33. *Burm.*

368. *Agi corporibus*] Eadem conſtructione dixit Val. Flacc. VI, 609. *vimque recentem ſentit agi membris.* vbi non opus eſt *ali.* Burm.

ſera ſumma] Sero enim ſumma mali aperitur, cum tota corpora intus ſcabie infecta et poſſeſſa ſunt. *Summa* eſt, ipſa mali perfectio, atque ſummitas. *Barth.* Sed quid, quaeſo, eſt *ſera ſumma?* Heinſius corrigebat, *feroque aperitur noxia damno*, non male, ſi codices addicerent. dicam, quid mihi in mentem venerit: *ſumma* ſaepe pro palma, principatu ponitur, et ideo ſaepe hae voces ex Gloſſis interpretum commutatae. ita apud Lucan. IX, 787.

Cyniphias inter peſtes tibi
ſumma nocendi eſt.

In vno codice Heinſius inuenit *palma*, quae vox ſi hic reſtituatur, aliam quidem ſignificationem habebit, et pro manu ſumenda erit: vt ſupra vſ. 362. quod fortaſſe ignorabat ſcriba. qui caſu etiam de *ſumma manu* cogitabat. de manu autem hic agi, docere poteſt Virgilii locus a Vlitio adductus; *medicas adhibere manus ad vulnera* etc. huic coniecturae ipſe non multum tribuo. ſed quia vulgatae nullum puto ineſſe ſenſum, aliquid hic innouandum videtur; licet enim *ſumma* dicatur, pro fine et perfectione, non ideo licet *ſeram* ſummam dicere, niſi ita veteribus in vſu fuiſſe oſtendatur: poſſet et legi *ſeraque a. n. cura.* Nam et hae voces commutatae. ita apud Ouid. XIII. Met. 191. *ſumma mouet ſeptri.* vbi magno numero codices, *cura.* vide adnotata. ſeruata tamen vulgata lectione ſenſus conſtabat, ſi legatur *feroque a. n. ſumma*, vt ſit ſumma noxia, pro maxima, vel alta et profunde latens, et tunc *noxia ſumma* eſt morbus; vel vitium iam letale et immedicabile, quod ſero intelligitur et cognoſcitur, eſt exponendum; quod morbo incipienti, cui facile occurri poteſt, opponitur. ſic mox 383. *inuictaque tardis praecipitat letale malum*, id eſt noxia ſumma. et vſ. 364. contra, *leuis noxa.* Burm.

Inde emiſſa lues, et per contagia morbus
Venere in vulgum, iuxtaque exercitus ingens
Aequali ſub labe ruit: nec viribus vllis,
Aut merito venia eſt, aut ſpes, exire precanti.

Quod

369. *Et per contagia morbus*] Lege, *morbi*. Paſſim enim noſter hic Maronis illa ſequitur, vbi *morborum cauſſas et ſigna docet*. Georg. III, 468.

Continuo ferro culpam compeſce, priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Quam multae pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota aeſtiua repente
Spemque gregemque ſimul, cunctamque ab origine gentem.

Verſu 357. *Mortis enim patuere viae.* Hoc Maroni eſt: vſ. 482. *Nec via mortis erat ſimplex.* Tum quod ſequitur hic: *nec viribus vllis, Aut merito venia eſt.* expreſſum eſt ex alio eiusdem libri loco, vbi ſupra boum ſtragem ita ingemit Maro vſ. 325. *Quid labor aut benefacta iuuant?* Quodque addit noſter: *aut ſpes exire precanti.* Reſpexit iſta longe antecedentia vſ. 453.

— *alitur viuitque tegendo,*
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, et meliora deos ſedet omnia poſcens.

Vlit. Heinſ. *morbus ſaeuire in vulgus*, vel *ſe ſerere*: in Epiſt. ad Graeu. t. IV. Syll. p. 289. deinde p. 292. *lues et morbus venere* tuetur, approbante Graeuio p. 294. quod mille exemplis firmari poſſet. Sed vulgata nunc aggerere non placet. Lucret. VI, 1129. *venire* vtitur de morbis.

Conſimili ratione venit bubus quoque ſaepe
Peſtilitas.

et 1096. *vis morborum peſtilitaſque veniunt.* Nemeſ. 202.

Nam triſtes morbi, ſcabies, et ſordida venis
Saepe venit.

Ita in loco Perſii vulgato, III. Sat. 64. *venienti occurrite morbo.* et paſſim. *Vulgum* vero mutari non meretur. vid. ſupra vſ. 211. et inf. 412. vt ad Phaedr. IV, 14. vulgata talia et obuia mutare in aliam loquendi formam, ſemper temerarium, niſi codices praeeunt, et a gloſſatoribus quotidiana verba explicationis loco ſuppoſita fuiſſe clamant. *Burm.*

371. *Aequali*] Ὁμοίιος. communis, nulli parcens. *Iohnſ.*

372. *Exire*] Labem. vt et

antea

Quod ſiue a Stygia letum Proſerpina nocte
Extulit, et Furiis commiſſam vlciſcitur iram;
Seu

antea 197. *exibit vitium.* Iohnſ. Et inf. 495.

Seu tibi fatorum labes exire minaſque
Cura prior.

et alibi ſaepe: vid. ſupr. 197. *Burm.*

373. *Quod ſiue a Stygia*] Videtur reſpexiſſe Actaeonis fabulam, cuius temeritatem non in ipſo tantum, ſed etiam in canibus vlta eſt Diana, quae eadem Proſerpina eſſe ab antiquis traditur. *Commiſſa ira* eſt, quam vocat alicubi Maro, *ira irritata Deorum.* Gratius autem Proſerpinam, ſiue Dianam autorem mali huius nominat, quia ſummam illi in canes vitae neciſque arbitrium attribuerunt veteres. *Vlit.*

nocte] *Nox* Orcum notat. *Barth.*

374. *Et furtis commiſſam vlciſcitur iram*] *Furtim*, cauſſis latentibus. Omne enim, quod clam fit, *furtum* dicitur. *Furtis* Logi Edit. quod miror nullius oculos aduertiſſe, cum ad ſenſum Authoris et ſtylum poëticum tam prope accedit. leuiſſima enim mutatione *Furiis* legendum videtur, poenarum illis adminiſtris, et quibus omnia mala adſcribunt Poëtae: ſi cui tamen *furtis* magis placuerit, et Hiſtoriam putet Gratio deſignatam, quae apud Liuium perſcripta eſt de Pleminii in compilandis Proſerpinae Theſauris audacia et poena, per me licet. *Iohnſ.* Longius petitae de Actaeone aut Pleminio mihi videntur cauſſae: non enim furtim Dianae ſuperuenit Actaeon, ſed incautus et caſu ad eam delatus fuit, miſer. nec ideo canibus iraſci potuit Diana, quia illae poenas pro Dea exegerunt a Domino. De Pleminio nihil legitur, quod ad venatum aut canes ſpectet, quare hic Proſerpinam illam intelligimus, quae a Plutone rapta, et ad inferos delata, vlciſcitur iram ſuam, emittendo in terras ex orco letum, quare legerem,

Et furtum commiſſum vlciſcitur ira.

vel *furtim commiſſa*, vt *commiſſa* ſit accuſatiui caſus: Plutonis enim furtum fuit, qui oppreſſit ex inſidiis Dianam. et terra, quae dedit viam hiatu Plutoni rapienti, meruit iram Deae, vt ipſi noxios ſpiritus ex orco emitteret. *furiis* non diſpliceret, ſi *commiſſam iram* referre vellent ad iram ob raptum: et tunc mallem interpretari, *iram commiſſam Furiis*, quae illis data eſt vindicanda, vt Iohnſon. Nam nondum

Seu vitium ex alto, ſpiratque vaporibus aether
Peſtiferis, ſeu terra ſuos populatur honores:
Fontem auerte mali. trans altas ducere valles
Admo-

dum poſſum probare Vlitii explicationem, ſic apud Virgil. IV. Georg. 454. *magna lues commiſſa*, Seruius et alii explicant, magnum *ſcelus*. ſed recte alii legunt *luis commiſſa*. Burm.

375. *Spirat vaporibus*] Ita conſtrui hoc verbum docuimus ad Val. Flacc. VI, 157. et ad Claud. IV. Conſ. Honor. 592. *Burm.*

376. *Terra*] Exhalationibus nimirum peſtiferis. Scite vero animalia *terrae honores* nominat. *Barth.* Hinc Nemeſianus 216.

Exhalat ſeu terra ſinus, ſeu noxius aër
Cauſa mali.

Sed ille rabiei has cauſas aſſignat, nec videtur percepiſſe, de peſtilentia hic agere Gratium. Easdem quippe et peſtilentiae cauſas recenſet Maro III. Georg. 478.

Hic quondam morbo coeli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit aeſtu,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Vlit. Vid. Lucret. VI, 1097.

honores] Ita fruges vocat, non animalia, vt perperam Barthius. Horat. I. Od. 17.

— *hinc tibi copia*
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Vbi Schol. *fruges terrae* interpretatur. et II. Sat. V, 13.

— — *dulcia poma,*
Et quoſcumque feret cultus tibi fundus honores.

Vide ibi interpretes. et ita Poëtae millies. ſic frondes *ſilvarum honores* vocat Virg. II. Georg. 404. *frondis honores* Martial. IX, 62. et Sympoſ. Aenig. XLVIII. flores *pratorum honorem* Claud. II. Rapt. 128. *Burm.*

377. *Fontem auerte*] *Auertere* dicitur de fontibus aut fluminibus. Claud. IV. Conſ. Honor. 482.

Iuſſerat auerſo fluuium migrare meatu.

Barth.

trans altas ducere valles] Maronis eſt in alia re: eodem tamen lib. 212.

— — *in ſola relegant*
Paſcua, poſt montem oppoſitum, et trans flumina lata.

Hinc eſt, quod ſubditur: *latumque fuga ſuperabitis amnem.* Sed Gratius *vallem* pro *monte* poſuit, quam per hypallagen *altam* videtur vocaſſe. Si enim

 pro

Admoneo: latumque fuga ſuperabitis amnem.
Hoc primum effugium leti. tunc dicta valebunt
Auxi-

pro profunda interpretare, vt alibi quidem, intellectu tamen duriuſculum erit. Nec legi velim *latas*, quod olim mihi in mentem venit. *Vlit.* Pronum eſſet mutato genere legere, *altos colles* vel *calles*, quae voces paſſim permixtae. vid. ad Ouid. VI. Faſt. 327. ſed quia nulli montes ſine vallibus, hinc Poëtae tractum montanum, ſaepe *montes*, ſaepe *valles* vocant. ita Ouid. *altae Idae valles* dixit Ep. XVII, 115. vbi etiam duo codices, *in altis vallibus Idae.* Ep. XVI, 53.

Eſt locus in mediis nemoroſae vallibus Idae.

Et ita ille paſſim. nam cliuoſi ſunt montes, vt Ida dicitur eidem I. Am. XIV, 11. et nunc valles, nunc vertices oſtendunt; ſic *Aetnaeae valles* Lucan. VI, 293. vbi MSS. *colles* et *montes* eadem de cauſſa praeferunt. *Burm.*

478. *Latumque fuga ſuperabitis amnem*] Id eſt, curſu. Virg. I, 317.

— *Volucremque fuga praevertitur Ebrum.*

Nemeſianus 289.

— *Latumque fuga conſumere campum.*

Vel ſimpliciter diſceſſu. *Titius.* Heinſius legebat,

Latumque fuga ſuperantibus amnem
Hoc primum eff. l.

Rectius, quam quod itidem adſcripſerat, *ſuperarier.* tunc enim *duci* etiam debuiſſet ſcribere; ſed maneat vulgata, et tranſitus ille a ſingulari ad pluralem numerum obuius et frequens. vid. ad Val. Flacc. VIII, 187. et Ouid. I. Met. 93. Et alibi ſaepius contrariam variationem videbimus; vt inf. 509. Si quid mutandum, melius videri poſſet,

Latumque fuga ſuperetis vt amnem.

Nam ſupr. ad vſ. 243. vidimus in modis temporum ſaepe variari. ſed in Poëta hoc non facile talia tentanda, quia ſibi proprios loquendi modos habet plurimos. *Burm.*

379. *Victa*] *Dicta* edidi ex coniectura. Iubet enim illa quoque remedia adhiberi, quae modo vlceribus curandis praeſcripſit; non quidem promiſcue, ſed cum delectu et examine, quid optimum, ac praeſentiſſimum ſit. Hoc eſt, quod addit: *et quae tutela eſt proxima, tenta.* Fruſtra enim

Auxilia, et noſtra quidam redit vſus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus vna poteſtas.

Diſce

enim hoc ſit tentare, niſi remedia aliqua ſciamus, quae experiamur. *Vlit.* Sic Ouidius Met. IX, 744. de Iphide: *num me puerum de virgine dictis Artibus efficiet?* Nimirum quibus et Daedalus, et reliquae, quas dixerat, in amoribus ſuis adiutae fuerant. Quare pace amiciſſimi et accuratiſſimi Editoris, dixerim hoc mihi praeplacere, quam *doctis* Artibus, quod languidum videtur. *Vlit. in Add. Dicta* etiam Heinſius. Vlitii vindicias loci Ouidiani refutavit in notis Heinſius. *Burm.*

380. *Quondam*] Ita reſcripſi amici monitu. Libri omnes *quidam.* quod poſitum pro *aliquis* iure diſplicebat. *Iohnſ.* Neſcio, cur mutari mereatur, cum Cicero centies vtatur hac voce, licet ſaepe adiungat aliud adiectiuum. Sed et *quidam afflatus* occurrit II. de Orat. 46. *quaedam forma* Ouid. I. Met. 404. et ita ſaepe. vis autem eſt huius vocis, vt ex vltimo Ouidii loco apparet, non perfectum vſum indicari, ſed quemdam paruum et tenuem, quem ars et experientia auctori ſuppeditauit. Saepe *aliquid* notare id, quod certis verbis exprimere non poſſumus, excellens, eximium, et tunc fere adiectiuum adiici docet Manut. ad Cicer. I. ad Fam. 9. et IV, 8. ita Cicer. I. de Nat. Deor. 5. *quae quamquam non perciperentur, tamen quia vſum haberent quemdam inſignem.* vt olim lectum. nunc *viſum*, ſed Ampl. Bouhierius, *vſum* legendum oſtendit. *aliquis* idem fere notat, vt Ouid. I. Met. 352. *aliquiſque malo fuit vſus in illo.* et noſter ſupr. 89. *aliquis laqueis curracibus vſus.* Cicer. III. Verr. 85. *eius facti, ſi non bonam, at aliquam rationem adferre.* Diſcrimen quod quidam grammatici ſtatuunt, vt *quidam* certum, *aliquis* incertum notet, perpetuum non eſſe credo. nec credit Bangius Obſeru. t. I. p. 441. pro eodem vſus Cicer. II. de Orat. 10. *heſterno ſermone remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem deſcripſeras, inopem quemdam humanitatis atque inurbanum.* Terent. Andr. I. III, 16. et III. VI, 1. dixit *aliquam fallaciam*; et Heaut. III. III, 6. *quamdam.* ſed non libet in Grammaticorum ſpinas me vlterius inſerere. *Burm.*

381. *Motus,*] Quibus ſanitas concutitur. *Barth. Motus* poſſunt capi pro morbis, vt ita de febre dici docuit Heinſ. ad Vell. Paterc. II, 123. ſed dubito,

Diſce vices, et quae tutela eſt proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, inuictaque tardis,
Praecipitat letale malum: ſic tutius ergo
Anteire auxiliis, et primas vincere cauſſas.
Namque

bito, an *monitus* ſcripſerat, vt *dicta auxilia.* Intelligit vero varia remedia, quae praeſcribuntur a peritis, et in quibus omnibus non eſt vna poteſtas. *Burm.*

382. *Quae*] Heinſ. legebat *et qua.* vel *et quae tutelae proxima.* ita infr. 468. *qua ſpes eſt proxima.* vid. ad vſ. 5. et 218. *Burm.*

384. *Praecipitat*] Logi Edit. ita hunc verſum exhibet.

Praecipiat letale malum. ac tutius ergo.

Nemini non diſplicere languidum illud *ſic tutius* puto. nonne itaque tibi videtur poſſe legi, praeſertim cum mora tanto redit damno.

Praecipita letale malum maturius ergo
Anteire auxiliis, et primas vincere cauſas.

ac tutius mutandum eſt, in *Maturius.* Sed et *praecipiat,* quod Logi Editio exhibet, forte bene ſe habeat, hoc nimirum ſenſu. *Praecipiat* itaque cuſtos canum anteire, *i. e.* occupet *anteire lethale malum maturius*, et *primas vincere cauſas.* Iohnſ. Sed an *praecipitare malum* notare poteſt occupare, anteire? Immo potius eſt promouere, vt maius fiat. At ipſum malum *praecipitat*, quod velox eſt, nec moram pati poteſt, ſed poſcit praeſens remedium. ſaltem poſt *ergo* non diſtinxiſſet, et *praecipita anteire* conſtruxiſſet; et tunc ferri poſſet haec lectio: ſed et indicis auctor *praecipitare malum letale prodidit.* inf. 469. *praecipitem labem* dixit ſimili in loco. *tutius* vero non mouendum. quid enim magis obuium, quam tuto debere medicum curare morbos, ita vt inter praecepta ſit, tuto, celeriter, et iucunde curare. pro *ergo* Heinſ. *aegros* malebat, vt mox 418. *inde lauant aegros:* ſed nihil opus. ſi quid mutandum, malim *ſit tutius ergo Anteire auxiliis. auxilia* vero ſunt *medicamina.* vſ. 352. et paſſim apud medicos. vt *auxiliari* mederi. vid. Doct. Markl. ad Stat. V. Silu. I, 158. et hoc centum aliis locis poſſet firmari: et ita manet in metaphora a bello ſumpta, in quo auxiliis inſtructi vincunt. Ita *euincere morbos* Tibull. IV. XI, 3. *Burm.*

Namque ſubit, nodis qua lingua tenacibus haeret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita peſtis.
Ille, vbi ſalſa ſiti percepit viſcera longa,
Aeſtiuos fibrans adcenſis febribus ignes,
Moliturque fugas, et ſedem ſpernit amatam.

Scili-

386. *Namque*] Heinſ. malebat, *Iamque. nodi* vero proprie ligamenta illa linguae, quae ſaepe impediunt promptum linguae vſum. *obligationem linguae* dixit Iuſtin. VIII, 7. et mox, *Linguae nodis ſolutis loqui primum coepit.* Gell. V, 9. *vitium nodumque linguae rupit.* Iuuenc. lib. I, 113.

Implicitam ſoluit per verba ſonantia linguam.

Burm.

387. *Incondita*] Barbara, et horrenda. *Barth.*

388. *Ille*] Vbi Vermiculus ille penetrauit, occupauit viſcera longa ſiti. ea enim eſt vis verbi, *percepit*, quam emendationem Gronouio debes. Libri omnes *praecepit.* Vid. Gronou. ad Liu. lib. VII. Sect. 26. *Iohnſ.* Adde Lambin. ad Lucret. III, 80.

389. *Vibrans*] Ita ex coniectura Gronouius. olim *vibrant.* nullo ſenſu. *Iohnſ.* Et ita iam olim Scaliger, ſed *vibrant aeſtiuis accenſi*, malebat Heinſius. incommoda vero eſt illa numeri enallage, ſi *vibrant* ad canes referas, et mox *molitur* et *ſpernit* ſubſequatur. vt Vlitius explicat: quare ego locum ita conſtituerem,

Inde, vbi ſalſa ſiti percepit (vermiculus) *viſcera longa,*
Aeſtiuos vibrans, accenſis febribus, ignes,
Moliturque.

Ille et *inde* ſaepe in ſcriptis permutata. vid. Ouid. III. Met. 99. XV, 586. ita mox vſ. 447. pro *ipſe* legendum *inde* coniecimus. poſſet etiam legi.

Aeſtiuis vibrans accenſis febribus ignes.

ſed vulgata lectio eodem redit. *Burm.*

390. *Et ſedem ſpernit amaram*] Legebam *amatam.* Titius. *Amatam* Vlitius pro *amaram.* recte. Nec Heinſiana diſplicet lectio, *Auitam.* Iohnſ. Non ſuccurrit locus, vbi Heinſius ita reſtituit. certe in ora Codicis nihil notauit. ſed firmari poſſet ex illis, quae ad Claud. bell. Getic. 410. notauit. vbi ex Stat. IV. Theb. 323. producit *amata vallis*, ille vero *auita* corrigit. eſt vero *amata ſedes* eadem,

Scilicet hoc motu, ſtimulisque potentibus acti
In Furias vertere canes. ergo inſita ferro
Iam teneris elementa mali cauſſaſque recidunt.
Nec longa in facto medicina eſt vlcere. purum
Sparge ſalem, et tenui permulce vulnus oliuo.

Ante

eadem, quae *nota*, vt Horat. I. Od. 2. *nota quae ſedes fuerat columbis.* et ita in Claudiani loco olim legebatur, *notae paſcua vallis.* vid. ad Phaedr. I, 11. et ita paſſim *amare* rura, ſiluas, etc. dicuntur, qui in illis ſolent verſari. Ouid. XIV. Met. 626.

— *Non ſiluas illa, nec amnes,*
Rus amat, et ramos.

VII, 819. *Tu facis, vt ſiluas, vt amem loca ſola.* Sil. III, 345. de Pane, *amata reuiſit Menala.* ſic *tellus amata* Stat. VII, 56. et *flumina ſemper amica* Valerius in Diris 65. Martial. X, 20. *Et poteram Scythicas hoſpes amare caſas. piſces amatos* Var. III. de Ruſt. cap. vlt. et ita millies. deinde verbum *ſpernit* optime conuenit τῷ *amatam:* faſtidium enim, quod creat morbus, indicat, vt in amoribus eius vim oſtendit Broukh. ad Tibull. I. IV, 77. vbi exempla videbis egregia. Horat. I. Od. IX, 15. *nec dulces amores ſperne puer.* et ad ſenſum vocis *amatae* I. Od. 30. Veneri dicit, *ſperne dilectam Cypron.* id eſt amatam. vt Delos amata Phoebo Ouidio II. Art. 80. haec ſatis efficient nihil hic mutandum eſſe. *Amaram* etiam Barth. ad Claud. Epithal. Honor. 70. et ad Rutil. I, 492. explicare conatur. *Burm.*

392. *In Furias vertere canes*] Verſi fuere. frequens eſt illa Ellipſis pronominis poſt verba actiua. *Iohnſ.*

393. *Elementa mali*] Prima cuiuſque rei principia *Elementa* vocantur. *Barth.*

395. *Purum ſparge ſalem*] Ab omni corruptione tutum, quique putredini valde adverſatur: vel *purum*, quia expiationibus adhibetur. *Titius.* Nihil ergo muta apud Ouid. I. Faſt. 338. *puri lucida concha ſalis.* vbi *liquidi* malebat Heinſius. *Burm.*

tenui] Non qualitatis, vt quis putet, ſed quantitatis hoc eſt. *Vlit.* Vid. inf. 475. et 522.

Ante relata ſuas quam nox bene compleat
vmbras,
Ecce aderit, factique oblitus vulneris, vltro
Blanditur menſis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priſcas artes inuentaque ſimplicis anni
Si referam! non illa metus ſolatia falſi
Tam longam traxere fidem. collaribus ergo
Sunt

396. *Relata*] Cogitabam olim *renata.* ſed ſequamur Codices. *Burm.*

397. *Aderit*] Hoc opponitur τῷ *ſpernit ſedem amatam;* deinde variatio hic temporum notanda, *aderit*, et tunc *blanditur*, *efflagitat.* aliam vidimus vſ. 45. et alibi ſaepius. *Burm.*

399. *Priſcas artes*] Magicas nimirum, quarum inuentor Zoroaſtres fuiſſe perhibetur. *Tit.*

anni] Mirum, ſimplicem *annum* pro aeuo rudi vſurpatum. *Annus* quidem ponitur pro omni tempore. Sed ego hunc locum ſuſpicor corruptum. et quam facile *anni* ex *aeui* factum. *Barth.* *Annus* per ſynecdochen partis pro toto, vt *Longa dies* apud Poëtam pro aeuo ponitur. *Vlit.* Sed, quidquid dicat Vlitius, vix perſuadebit, *ſimplicem annum* hoc ſenſu Latine dici. *aeui* Scaliger et Heinſius probant. et ſolent haec verba commutare librarii. Ouid. III. Art. 657.

Sed ſemel eſt cuſtos longum redimendus in annum.

vbi fere omnes editi et ſcripti *aeuum.* Lucan. X, 201. *ſol tempora diuidit anni*, et ibi MSS. multi *aeui.* denique *aeui* legendum docet Ouid. I. Art. 241. *aeuo rariſſima noſtro ſimplicitas:* nam ſed olim illa fuit frequens apud prius aeuum. et III, 113. *Simplicitas rudis ante fuit. Simplices anni* de infantibus et pueris poſſunt dici, vt Mart. X, 20. et *ſimplex aetas* Stat. IX, 878. *annum* pro aeuo dixiſſe Propert. IV. V, 51.

Dum vernat ſanguis, dum rugis integer annus.

notabat Heinſius. ſed ibi pro vere aetatis, ſiue iuuenta capitur. vt ſaepe *annus* pro vere. vid. ſupr. vſ. 58. *Burm.*

400. *Non illa metus*] *Non falſi metus ſolatia tam antiquam fidem habuere. Non falſi metus ſolatia* vocat curam canum et inſtrumenta eius ab vſu probata. Quae non tam diuturno tempore fidem habuiſſent, ſi falſo metu aut religione fuiſſent inuenta atque vſui mandata. Hic ſenſus eſt Gratii. *Barth.* Immo videtur Gratius contra dixiſſe, ſuperſtitioſa et magica remedia,
quibus

Sunt qui lucifugae criſtas inducere Melis
Iuſſere,

quibus priſca et ſimplex aetas vſa fuerit, non diu fidem et auctoritatem ſeruaſſe. *trahere* enim eſt producere, vt ita *fata*, *vitam trahere*. vid. Val. Flac. I, 764. Superſtitioſa et magica illa medicina non durauit in noſtram aetatem, niſi apud ſuperſtitioſos et imperitos. *Burm.*

402. *Lucifugae*] Lucifuga, quia cauernas incolit, et ſaepe haud aliter ac vrſi totam hyemem in iis ſe tenet. *Lucifugae* dicuntur *maeles*, quia foveas ſub arboribus plerunque, quas nunquam ſua luce perfundit Titan, inhabitant. *Vlit.*

criſtas inducere] hoc ſpectaſſe hic Gratium, verba ipſa fidem faciunt, vt morbos, et maxime ſcabiem, praeueniat, melinam pellem collari intrinſecus induci velle. quandoquidem ita molliter veſtitum collare collum non exaſperet, neque terat. Maxime ſi ferreis clauis confixum fuerit. Varro: *quae intra capita* clauorum *inſuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.* Nec veriſimile eſt aduerſus veneficia hanc tantum adhibere velle, vt quidem illa, quae ſequuntur. Quare illa omnia hoc fere modo interpungi ac ſcribi malim:

— — *Collaribus ergo*
Sunt, qui lucifugae criſtas includere maelis
Iuſſere: aut ſacris conſerta monilia conchis,
Et viuum lapidem, et circum Meliteſia nectunt
Coralia, et ſacris adiutas cantibus herbas.

Vlit. *Inducere* etiam corrigebat ſupra 358. vbi *includere*, et contra hic Vlitius; ſed perpetua harum vocum confuſio. vid. ad Ouid. XV. Met. 813. ego hic *inducere* praefero. nam, ne laedatur collum canis, collaria inducebantur pelle animalis mollis, vt Varronis locus a viris doctis citatus probat; vel propter magicam vim potuit ex mele aliquid induci collaribus communibus, ita vt non opus ſit capere Poëtam, quaſi collaria fiant ex melis ſiue criſtis ſiue cruſtis, ſed aliquid ex hoc animali inducebatur coreaceis collaribus. *Burm.*

Maelis] Hanc eandem eſſe cum *Taxo* cenſet Vlitius. contra Salmaſius, qui pro *Cato putoſo* habet, vel viuerra; quae Graece dicitur κτίς. *Iohnſ.* Vide de Mele Scriuer. ad Martial. X, 37. et quae nuper Vir Doctiſſimus Morgagne in Epiſtola ad Vulpium in Seren. Samon. pag. 63. ſcripſit. Apud Seren. Samon. cap. XXII. Keuchenius legit, *Ouorum cinis aut cochlearum aut denique maelis.* forte recte. ſed quod ibi duo

Iuſſere, aut ſacris conſerta monilia conchis,
Et viuum lapidem, et circa Melitenſia nectunt

Cu-

duo loca Gratii confundat, et vſ. 340. et hoc Hemiſtichium, citans hoc modo,

Lucifugaeque ex maele galeros. condonari vix poteſt. ſed exemplo viri magni peccat. vid. ſupra ad d. vſ. neque tamen recte deſcripſit Salmaſium: ille enim *Lucifugaque e maele galeros*, non *Lucifugaeque*: quia vero illae criſtae vix explicari poſſint, vide, num legi poſſet *coſtas*: nam et ita *coſtas Leonis* pro exuuiis dixit Ouid. Ep. IX, 111. et ita *vacuas coſtas* ouium Calp. Ecl. V, 72. Scaliger malebat *cruſtas*. ſcribendum autem *melis*, non *maelis*, a melle enim ductum, Graece μέλι, quia illud vehementer appetit, vt Geſnerus docet de animalibus quadrupedibus pag. 688. *Burm.*

403. *Sacris conſerta monilia conchis*] Deabus marinis dicatis, ſiue Veneri. vnde *Conchae Venereae*. Titius. Propter Venerem hoc dicit, cui concha ſacra. *Barth. Venereas conchas*, ſed minuſculas, innui ex Plinii illis perſuadeor lib. XXXII. cap. 1. *Nec dubitamus idem* (quod remorae) *valere omnia genera, cum celebri et conſecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem conchas quoque eiusdem potentiae credi neceſſe eſt.* Noſter expreſſius *ſacras* vocauit, quia Veneri dictas et dicatas. ſed minuſculas, quae commode in monilia conſerantur. *Vlit.*

404. *Et viuum lapidem*] Latini lapidem Graecis πυρίτην dictum, vocant lapidem viuum. ſic ad haec verba Turnebus, quae a Plinio ſumpta ſunt. lib. XXXVI. cap. 19. et Iſidor. lib. XVI. cap. 4. dubitat Vlitius, an eundem Gratius voluit, cum tamen nihil ſit apud Plinium, Iſidorum, locis citatis planius expreſſiuſue. *Iohnſ.*

circa] Malim *circum* ex more auctoris noſtri, vid. vſ. 10. *nectere* vero eſt in hac re proprium alligare ad membra. vid. ad Seren. Sam. cap. I. vſ. 20. et ſaepius. *Burm.*

Melitenſia nectunt curalia] Melite inſula inter Africam et Siciliam. Hodie Malta. πρόκειται δὲ τȢ Παχύνȣ. Strabo. Vid. Bochartum lib. I. partis poſterioris Geograph. S. lege potius cum Vlitio *Melitenſia*, nam ſic Lucretius. *Iohnſ.* Vide ex Menag. ad Diog. Laert. VI. §. 55. qui aeque aeſtuat, cui Melitae adſcribat canes, neque expedit. vid. et Periz. ad Aelian. XIII, 42. vbi tamen interpres Μελιταῖον vertit *Melitenſem*.

Curalia, et magicis adiutas cantibus herbas.

Ac ſic

tenſem. Neſcio vero, quare *Melitaeſia* ediderit Barthius. *Burm.*

405. *Curalia*] Ita apud omnes Autores hoc verbum, quoties prima producta eſt legendum monent Vett. Libri. Vid. Ouid. Metam. lib. IV, 749. Graeci κουράλιον. *Iohnſ.* Vid. ad d. Ouidii locum. et ita apud Ser. Sam. cap. 53. *Curalium* in Codice veteri reperit Keuchenius. *Burm.*

magicis cantibus] *Magicum carmen* eſt incantatio. Vnde *Dii magici* appellati ſacris cantibus praeſides, quibus ſacra fiebant impiatis illis cantibus, quorum ſcilicet ea in tutela eſſent. Virgilius in Ceiri.

Hinc Magico venerata Ioui Stygialia ſacra.

Lucanus libro ſexto Pharſaliae vſ. 577.

Illa Magis, Magiciſque Diis, incognita verba
Tentabat, carmenque nouos fingebat in vſus.

Tibull. I. II, 61.

Et me luſtrauit taedis, et nocte ſerena
Concidit ad magicos hoſtia pulla Deos.

Quem Virgil. eo Ceiris verſu *Magicum Iouem* appellat, eum *Terrificum* Claud. VI. Conſ. Honor. 328. *Tartareum* Val. Flacc. I, 370. Ea iuuat prolixius notaſſe, vt ludibrium omnibus debere ſciatur, qui immaneis in Senecae Tragoedias Commentarios edidit. Is, vt veritati et Scaligero oppederet, primum, Valerium Catonem Ceiris nobis, genuinum, ſcilicet, auctorem laudat; deinde verſum ipſum modo productum, diuina plane correctione, ingenioque feliciſſime acuto ita proponit.

Hinc magno venerata Ioui frigidula ſacra.

Barth. Haec ſpectant Delrium, quem auctorem *Amphitheatri Honoris* facit, cum alii Carolum Scribanium inſcribant, quo Scaliger, et alii traducti fuere. vid. ad Syllog. Epiſt. tom I. p. 249. 384. et 553. et aliis in locis. tragoedias etiam ante triginta fere annos haec *frigidula ſacra* excitauerunt inter Athletas literarios, quorum aeſtus componebat lepide Rutgerus ille Hermannides omnium leporum et venuſtatum pater, qui vtinam *Phoenicem* ventum vidiſſet! *Burm.*

adiurant] *Adiutas cantibus herbas*, ita reſtitui ex principe Editione. Perperam Pithoeus, *adiutant*, et Barthius *adiurant* edidere. Quibus et vetuſtiſſimi cod. autoritas, et ipſe ſenſus aperte refragatur. Quid enim proſit, ſi magicis cantibus herbas adiutent, niſi ita adiutas herbas circumnectant cani cum reliquis amuletis? *Vlit.* De cantibus illis magicis, ſono, et mur-

Ac ſic offectus, oculique venena maligni
Vicit

et murmure vide ad Val. Flac. VII, 390. VI, 448. *adiutae* vero ſunt validiores et potentiores, quam ipſa natura ſua eſſe ſolent ita *validae ariſtae* Val. Fl. VII, 365. vbi vide. Varium vero vſum verbi *adiuuare* videre poteris in notis doctorum ad Sil. Ital VII, 354. et noſtris ad Val. Flac. II, 528. non male vero Barthius, qui *adiurare* eſſe putat teſtimonium alicuius iureiurando ciere: nam idem notat fere, quod ſimplex *iurare*; niſi quod intendat ſignificationem, et ſit ſancte, religioſe iurare. ſic Terent. Hecyr. I. I, 4. dicit *ſancte iurare* et II. II, 26. ſancte *adiurare*. et V. II, 5. *deierat ſancte*. et Andr. IV. II, 1. *per omnes tibi adiuro deos*. vid. Heinſ. ad Ouid. Epiſt. XX, 159. vbi vero eſt, *adiuro coelum, te, caput tuum* etc. idem eſt, quod *iuro per coelum*: nam ſaepe omittere ſolent praepoſitionem, ſaepe addere in his loquendi modis. vid. Broukh. ad Tibul. IV. XIII, 16. ex Francicae linguae vſu, *je te conjure, adiurare aliquem* male accepere multi. *Burm.*

406. *Ac ſic offectus*] Admodum belle hoc reſtitutum hoc loci vocabulum. Nam *offendere* vox incantationibus propria. Vt apud Petronium. *Numquid te oſculum meum offendit*. Barth. Neſcio, quae malae hic Barthium ceperint praeſtigiae, dum *offectus* ab *offendo* deducit, et verbum hoc incantationibus proprium eſſe probaturus Petronii locum adducit. *Vlit.* Credo, librarios erraſſe in Barthii notis, et illum *offenſus* pro *offectus* reſcripſiſſe. Non enim tam plumbeus erat Barthius, vt *offectus* ab *offendo* deriuaret. *offenſus* vero pro *offenſionibus* legitur apud Stat. XII. Theb. 283. vbi ex Lucretio et aliis exempla profert Barth. Turneb. IX. Adu. 28. citat *affectus*. Burm.

Oculique] Mira ſuperſtitio in faſcinis oculorum priſcis fuit. Nam credebant homines inuidos et maliuolos ſolo obtutu oculorum nocere poſſe felicitati eorum, quibus male cuperent. Virg. III. Ecl. 103.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Hinc *noxios inuidiae oculos* dixit Appul. IV. Metam. *Barth.* Vid. Markl. ad Stat. IV. Silu. VIII, 16.

venena] Par enim effectus oculorum malignorum et veneni creditus. Horat. I. Epiſt. XIV, 37.

Non iſthic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro, morſuue venenat.

Comment. *Venenat, faſcinat. Noue dictum.* Barth.

maligni] Mali, inuidi, qui faſci-

Vicit tutela pax impetrata deorum.
At ſi deformis lacerum dulcedine corpus
Perſe-

ſaſcinare credebantur. *Mali* et *maleuoli* pro ſaſcinatoribus Latinis vſurpantur Catull. Carm. 5.

Ne quis malus inuidere poſſit.

Tibullus *malam mentem* pro faſcino impedita dixit lib. II. V, 104.

Et ſe iurabit mente fuiſſe mala.

Deos malignos pro ſcaeuis atque inuidis Val. Flacc. lib. VII, 229.

— Diis nata malignis
Meſſis.

Deos illos, qui ad faſcinum faciendum inuocabantur, *malignos* licet cum Valerio appellare. Eosdem eleganter *Male-Deos* quaſi *κακοδαίμονας* dicas, indigetauit Seneca Thyeſte 3.

Quis male-Deorum Tantalo
viuas domos
Oſtendit iterum?

Barth. Multa hic conſtipat Barthius, quae parum faciunt ad Poëtam. in Senecae etiam loco *Male-Deos* perperam exponit. rectiora videbis apud Gronou. I. Obſeru. 21. *Burm.*

407. *Pax*] Fauor. Lucret. V, 1223.

— — prece quaeſit
Ventorum pauidus paces, animaſque ſerenas.

Barth. V. 482. ad illa verba,

Supplicibuſque vocanda ſacris
tutela Deorum

ſic Vlitius. Geminum germanum eſt, quod praeceſſit, *tutela pax impetrata Deorum. tutela* enim *Deorum*, non *pax Deorum* interpretandum. Nam *pax* ibi pro integritate ſumenda eſt. Nihil peius. Pax enim Deorum, eſt fauor, beneuolentia, gratia Deorum redux. *Iohnſ.* Ita *pax* dicitur fluuiis redire, poſt exundationes: *ventorum pax* poſt procellas, et ſimilia. vid. Barth. ad Stat. VII, 87. poſt pugnam requies *pax* dicitur. vid. Gronou. Diatr. Stat. cap. 46. Lucan. IV, 473. et in genere, *pax* melior ſtatus priore dicitur. recte ergo Vlitius pacem, a malis illis reſtitutam dicit tutela Deorum, id eſt, diis auſpicibus et tutoribus, quos veteres illi magicis ſacris praeficiebant. *Burm.*

408. *Dulcedine*] Quid ſibi vult haec *dulcedo?* num morbidus humor eſt dulcis? at nihil minus. num voluptatem natam ſcabendo intelligit? non credo. Scribe itaque *ſalſedine.* Salſus enim ille humor, eaque acrimonia impellit canes ad corpus ſuum lacerandum. *Iohnſ.* Graeuius in Epiſt. ad Heinſ. Syll. t. IV. p. 295. *porrigine* legebat. Heinſius vero *dulcedinem* pro *porrigine* poſſe ſumi credebat. Waſſ. ad Sall. Catil. cap. IV. Iohnſonium refutans, *dulcedinem* pro ſcabendi

Perſequitur ſcabies, longi via peſſima leti:
In primo adceſſu triſtis medicina; ſed vna
Pernicies redimenda anima, quae prima ſequaci

Sparſa

ſcabendi libidine, et prurigine, quae in ſcabie oboriri ſolet, exponit. legit vero *deformis ſcabies*, vt apud Ouidium. apud quem tamen exſtare neſcio. vellem, locum indicaſſet. ſed non opus hoc exemplis confirmare. eſt enim *deformis* hic *turpis*, vt Virgilio dicitur. confirmat haec Ciceronis locutio metaphorica lib. I. de Legib. 17. *voluptatis blanditiis corrupti, quae natura bona ſunt, quia dulcedine hac et ſcabie carent, non cernimus ſatis.* Martialis pruriginem aurium vocat libidines XIV. Ep. 23. vide Ioh. Rhod. Lexic. Scribon. in *libido.* et notas ad Seren. Samon. cap. VI. vſ. 89. Itaque Viri docti correctionem vtroque pollice probo. *dulcedine* vero *lacerum* debet coniungi, illa enim cauſſa ſcabendi et laedendi corpus. *Burm.*

409. *Longi*] *Lenti.* Quod non cito conficiat. *Longi* enim *morbi* dicuntur diu inhaerere. *Barth.*

via leti] Virgil. Georg. III, 482. *Nec via mortis erat ſimplex.* Vlit. Vid. ad vſ. 357. et 369.

411. *Redimenda*] Scite ita hoc verbo vtitur Latinitas. Iuuen. IV. Sat. 2.

— *nulla virtute redemtus*
A vitiis.

Animam canis pro vita dixit. *Barth.* Credo et hic Virgilium ſuum habuiſſe ante oculos, qui de Sinone ita oraculo editum canit II. Aen. 118. *animaque litandum Argolica.* quae poſtea explicat. *et quae ſibi quiſque timebat, vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.* haec noſter venuſte ad canem ſcabioſam transtulit. Iuuenal. II, 78.

— *dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, et porrigine porci.

Vbi Schol. ineditus. *porrigo eſt vitium porcorum, quod cum in vno viſum erit, niſi ſtatim occidatur, totum gregem commaculat, dicta porrigo, quod ab vno in plures porrigatur.* Burm.

ſequaci] Quod perſequitur alios. et ita *capras ſequaces* Virg. II. Georg. 374. et *fumos ſequaces* IV, 230. dixit. vbi v. Seru. et alios commentatores. vid. ad Calp. I. Ecl. 31. *Burm.*

Sparſa malo eſt, ne dira trahant contagia vulgum.
Quod ſi dat ſpatium clemens, et promouet ortu
Morbus, diſce vias, et, qua ſinit, artibus exi.
Tunc et odorato medicata bitumina viro,
Impo-

412. *Malo*] Morbo. Ita ſupr. 53.

— *clauſaeue malum fecere paludes.*

et 377.

— *fontem auerte mali.*

Barth.

trahant] Attrahant, concipiant. Peculiare verbum, ad morbos, vt loquitur Gratius, *ſequaceis*. Barth.

vulgi] Vetus editio, *vulgo*. Quod omnino Poëtae eſſe arbitror. *Barth. Vulgus*, vel *vulgum* volebat Heinſius. vid. ſupr. 370. pro *vulgum* olim ſcribebant *vulgom*, vnde litera *m* omiſſa, vel lineola ſupra ducta vel ſignata, factum eſt *vulgo*, vt millies hi caſus ita confuſi. ſi *vulgi* legatur, neſcio, an Latinitas conſtet. quos enim trahunt contagia? ſed contagia trahunt vulgum, vt Flor. II, 13. *Macedonici belli contagio traxit Illyricos*. IV, 2. *felicem*, Pompeium, *ſi eadem ipſum, quae exercitum eius fortuna traxiſſet*. Ouid. I. Triſt. II, 58. *immeritos cur mea poena trahit?* Burm.

413. *Et promouet ortu*] Recte, nec fortaſſe male, ſi legatur *praemonet*. Titius. Heinſ. malebat, *nec promouet*. Graevius, *et praemonet*. ego malim *promouet ortus* morbus, id eſt, morbus incipiens ſenſim augetur. vel conſtrue, ſi det ſpatium, et clemens ortu, id eſt ab initio non ſit acutus et praeceps; *promouet*, pro promouetur, vt millies; poſſet et legi *ſi promouet ortum*, id eſt principium ſenſim auget morbus, et videtur vehementior fieri. *Burm.*

414. *Exi*] Ductum ab iis, qui vitant corporis declinatione ictum alicuius teli. Virgil. V, 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Barth. Vid. ſupr. vſ. 197. et 372. *viae* vero hic ſunt remedia, modi medendi. *Burm.*

415. *Medicata bitumina viro*] Ipſum Medicamentum nunc virus appellat, idem *venenum* quandoque dicitur. *Titius. Odoratum virus* nihil aliud intelligimus, quam ſulfur. Nam ſupra ſaniem *virus* appellauit, ei vero concolor materies ſulfuris. *Barth.* Pro ipſa ſcabie accipit Vlitius, et *medicata*, ſanantia

Imponaſque pices, immundaeque vnguen amurcae.

Miſcuit,

nantia exponit. poſtea, odore peſtifero infecta, exponit, et in ſecundis curis firmatum it. vtrumque male. neque enim *odoratum* idem, quod graveolens vnquam, ſed e contra; neque *medicata* ſimpliciter ſumptum eſt pro *infecta*. Omnino legendum eſt, (vt omnes medici, et ipſe Gratius v. 474.) *vino*. Sic enim ille,

— *defuſaque Maſſica priſco*
Sparge cado; Liber tenues e pectore curas
Exiget; eſt morbo Liber medicina furenti.

Medicata autem idem valet, ac medicorum more compoſita et concinnata. *Iohnſ.* De *viro* vid. Salmaſ. Ex. Plin. p. 122. et 255. ſed hoc loco, quia virus per ſe olet et foetet, neque opus erat addere epitheton *odorato*, quod de grato et bono fere odore dicitur; facile probare poſſumus correctionem viri docti; ſed quod dicat *medicare* ſimpliciter pro inficere non poni, fallitur; ita enim centies. vt *medicare capillos* Ouid. I. Am. XIV, 1. eſt tinguere, inficere, et paſſim. immo Virgil. I. Georg. 193. *medicare ſemina*. vid. Paſſerat. ad Propert. I. Eleg. I. p. 145. quare *medicata bitumina vino*, ſunt tincta vino, quae incoquuntur vino, vt Virgil. IV, 279. *Huius odorato radices incoque Baccho*. quod generoſum interpretantur: et ita *odoratus Bacchus* Ouid. III. Faſt. 303. Veget. Art. Veter. III, 71. *ſulphur cum vino decoctum iuuat*. et Varro III. de R. R. 9. *bonum* et *odoratum* coniungit. hinc *aëno medicari vellus*, pro incoquere dixit Ouid. in Medicam. 9. et Remed. 707. deinde verbum *imponere* pro in olla vel vaſe mixta medicamina igni imponere ſumendum, vt *laticem et herbas igni imponere*. Ouid. VII. Met. 327. et XIII, 583. *impoſiti ignibus artus*; licet non ignorem, apud Samonicum et alios medicos frequenter *imponere* ſumi pro applicare corpori, *Burm.*

416. *Imponaſque piſces*] Ea quidem vett. librorum ſcriptura eſt: ſed dubito, an non melius ita conſtituantur, et interpungantur haec:

Idaeaſque pices, immundaeque vnguen amurcae
Miſcuit, et ſummam complectitur ignis in vnam.

Vlit. Heinſius, *Impone, atque pices*. vel *impoſitaſque pices*, vel denique *fraces*. Scaliger, *Mygdoniaſque*, vel *Maeoniaſque pices*. Burm.

vnguen amurcae] Ita ſordes olei vocantur. Vid. Virgil. Georg. III. v. 448. vbi haec

 totidem

Miſcuit, et ſummam complectitur ignis in vnam.
Inde lauant aegros. eſt ira coërcita morbi,
Laxatuſque rigor, quae te, natura timentem
Differat, et pluuias, et Cauri frigora vitent;
Sic

totidem fere verbis inuenies. *Iohnſ.*

417. *Miſcuit*] Legendum, *Miſcet id.* Barth. Ego malim *miſcet et haec ſummam c. i. i. vnam.* licet illa variatio temporis ſit familiaris noſtro, et praeterito ſaepe vtatur noſter; vt et Calp. Ecl. V, 91. *Burm.*

418. *Eſt ira coërcita*] Non dubito, veram eſſe ſcripturam Poëtae, quae in editione vetere viſitur.

— *atque ira coërcita morbi eſt.*

Barth. *Stet vt ira* legebat Scal.

419. *Quae te natura*] *Quae te ne cura*, haec ipſius Gratii manus eſt, iamdudum felici coniectura Cl. Gronouii reſtituta. *Cura* autem, ſi non proprie, etiam pro curatione hic ſumi poteſt, vti ſaepe ea voce vtuntur medici. *Vlit.* Senſum puto eſſe, cum lotae ſint canes illo medicamine, iram et impetum primum morbi eſſe repreſſum. Sed ne cura timentem adhuc aegris differat, (quod vel notat, diſtrahat, cruciet, vt *differor doloribus*, vel in longius tempus trahat: vid. ad Ouid. Rem. 93.) et vt medicatio promoueatur, vitent pluuias etc. Corruptus tamen adhuc mihi videtur locus, et illud *eſt* nimis abruptum: forte,

— *aſt ira coërcita morbi!*
Laxatuſque rigor, ne te ventura timentem
Differat.

Ne blandiens principium medicaminis te timentem etiam, quae ſequi poſſunt mala, diu diſtineat, et incertum reddat de integritate reſtituenda, vitent pluuias etc. Scal. *quae te natura timente, cura* certe huic loco minime conuenire mihi videtur. Probabiliorem facit coniecturam ſimilis deprauatio loci Tibulliani lib. III. IV, 9. vbi legitur in quibusdam codicibus,

Et natum in curas hominum genus.

Sed reſtituerunt viri docti,

Et vanum ventura hominum genus omina noctis,
Farre pio placant.

Denique apertius Ouid. Epiſt. XIX, 73.

Cur ea praeterita eſt? cur non ventura timebat?

Burm.

Sic magis, vt nudis incumbant vallibus aeſtus,
A vento; clarique faces ad ſolis; vt omne
Exſudent vitium, ſubeatque latentibus vltro,
Quae

421. *Sic magis*] Idque eoque magis, cum aeſtus incumbunt vallibus nudis, et ſpinarum vacuis, ne iis ſe adfricent ſcabioſi canes. *Vlitius.* amicus tamen meus loco *ſic* reponit adverbium *hic.* recte. *Iohnſ.* Rectius in prima expoſitione τȣ̃ *ſic magis*, pro *eo magis* ſubſtetiſſet vir doctus, et amici ſui coniecturam repudiaſſet. Similis haec formula alii *tum magis* apud Ouid. IV. Faſt. 354. neque etiam Iohnſ. nos docet, an *hic* notet tempus, an locum. magis tolerabile eſſet *hoc magis.* Sed *ſic magis*, vt *ſic tutius* ſupr. 384. vt vulgo legitur. Ego, partim Heinſium ſequens, malim legere.

Sic magis, vt nudis incumbant vallibus, aeſtu
Ad ventos, clarique faces ad ſolis, et omne
Exſudent vitium.

Eo ſenſu, vt praecipiat, aeſtu, id eſt flagranti calore, ducendas canes in valles nudas, id eſt, vel ab arboribus, et ſepibus etc. liberas, ne vmbram faciant, vel etiam in quibus nihil ſubſtratum habeant. nam vtroque modo nuda tellus, humus, montes etc. dicuntur. vt Ouid. III. Triſt. XI, 75.

Nudos ſine fronde, ſine arbore campos.

Quibus *vmbroſae valles contrariae apud eumdem* I. Art. Am. 289. vid. et notas ad XIV. Met. 100. ibid. 237. et alibi: et nemoroſae valles Epiſt. XVI, 53. vbi vide. in his vallibus cubent, et ſe ad ventos et ſolem exponant, et quaſi apricentur. *ad ventos* dictum, vt apud Horat. I. Od. 23. *Vepris inhorret ad ventum foliis*, vbi conſulendae eruditiſſimi Bentlei notae, quibus facile eſſet plura adiicere, ſed vid. Gronou. ad Senec. IV. de Beneſ. 6. et notas ad Val. Flacc. III, 264. et Ouid. III. Amor. VII, 41. et alibi. per ventos vero hic tepidi et ſerenum inducentes intelligi debent, ne repugnent vſ. 420. *Burm.*

aeſtus] Heinſ. legebat, *aeſtu Aprico.* ſed longe nimis haec a veſtigiis ſcriptae lectionis recedunt. *Idem.*

423. *Exudent vitium*] Heinſius, *Exudet.* Sic Virgil.

— *atque exudet inutilis humor.*

Iohnſ. Cur non addit locum, vbi Heinſius ita correxerit? certe

Quae facta eſt medicina, vadis; nec non tamen illum
Spumoſi catulos mergentem litoris aeſtu
Reſpicit, et facilis Paean adiuuit in artes.
O rerum prudens, quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, ſi vincere curent
Deſi-

certe in ora codicis ita emendauit, et ad Claud. II. in Eutrop. 18. vbi tamen *malis* pro *vadis* profert. Vtrumque vero recte dicitur, *vitium exſudat*, et *canes exſudant vitium*. vid. Seru. ad Virgil. I. Georg. 88. et cum accuſatiuo conſtrui docuit etiam Heinſ. ad Prudent. II. Cathem. 68. Rittersh. ad Gunther. VI, 606. contra *exſudat veſtibus aurum* dixit Stat. VI. Theb. 107. vide etiam Calpur. IV. Eclog. 104. Seren. Samon. cap. 25.

Farraque quae tremulis proſunt ſudantia flammis.

Burm.

latentibus] Heinſius malebat *iacentibus*. ſed hoc *vadis* non conuenit. recte explicat Iohnſ. venas, per quas diffunditur medicina. *Burm.*

424. *Vadis*] Venis, quae ſunt quaſi totidem ſanguinis aluei riuique. *Iohnſ.*

426. *Facilis*] Paean facilis in artes. idem mihi videtur velle, quod ſupra,

—— nec expertes fallet Deos.

Paean paratum quouis loco facilemque peritis ſe adiutorem dat. *Iohnſ.* Ego more Gratii dictum puto, *facilis in artes*; id eſt ipſe Deus venatui deditus, *facilis*, id eſt benignus, pronus in artes venatorias, et ideo etiam medicinae Deus venatus ſtudioſos adiuuat, in medendis canibus: ita Dii *faciles* Ouidio et aliis paſſim dicuntur. *Faciles Naides* Nemeſ. Cyn. 94. Scalig. malebat *faciles*. Burm.

427. *O rerum*] Vſus Genitiui Graecanicus. *Barth.* Vid. ſupr. vſ. 333.

quantam] O. Lib. *quantum*. nec interpretes animaduertunt. *Iohnſ.* *Quantam* Barth. et Heinſ. etiam correxit.

428. *Curent*] Nempe mortales. *Iohnſ.* Immo vulgus, venatores ſcilicet. neque opus puto probari recte dici, *vulgus curent*, magis quam *turba ruunt*, et ſexcenta talia. vulgum vero vocat, quia venatores plerique indocti, et rudes. experientia enim magiſtra imperitorum et ſtultorum etiam paſſim dicitur. *Burm.*

Deſidiam, et gratos agitando prendere fines!
Eſt in Trinacria ſpecus ingens rupe, cauique
Introrſum reditus circum atrae moenia ſiluae

Alta

429 *Gratos*] Qui rependant laborem pretio. *Barth.*

fines] *Prendere fines* eſt idem, quod metam optatam contingere, voti compotem fieri, eodem modo, vt poſt longam nauigationem *prendere portus*, de quo vide ad Valer. Flacc. VII, 83. et Statius I. Silu. II, 203. *coeptique laboris Prendiſti portus.* ita *prenſa tellus* Ouid. II. Amor. IX, 31. vbi vide. prenduntur vero fines *agitando*, non deducta locutione ab agitatione curruum in hippodromis, vt Iohnſ. quod nimis anguſtum, ſed in genere: ſemper agendo, meditando, exercendo, vt ita deſidiae opponat induſtriam viri experientis et rerum prudentis: et ita centies ſcriptores *agitare* vtuntur. Vt Flor. I, 1. de Romulo, *moenia nouae vrbis agitabat*, id eſt quotidie de ea condenda cogitabat, conſilia captabat. appoſite Ouid. II. Faſt. 291. de primis mortalibus.

Vita ferae ſimilis, nullos agitata per vſus,
Artis adhuc expers, et rude vulgus erat.

Manilius ſaepe eleganter hoc verbo vtitur, vt lib. V, 309.

Sollertes animos, agitataque pectora in vſus.

et lib. III, 26.

Foecundumque ſolum varias agitare per artes.

vnde a re ruſtica metaphoram duci poſſe docemur, vt Columell. II, 1. *cultibus et agitationibus agrorum fatigationem ſuccedere* ait. Celſus ſaepe de experientia, qua medicinae auctores artem promouere ſtuduerunt, vtitur. vt Praefat. lib. I. *donec maiore literarum diſciplina agitari coepit.* et mox *Clariſſimi viri quaedam agitare conati.* et ibid. bis terue praeterea. et alii. *Burm.*

430. *Eſt in Trinacria*] Aetnam innuere videtur per Trinacriam rupem, quamquam nemo haec Aetnae miracula attribuerit. *Vlit.*

431. *Reditus*] Flexus, et Maeandri. *Iohnſ.* Heinſius malebat. *Introuerſum aditus.* Sed rectius Iohnſ. fere vt in Labyrintho Mela lib. I, 9. *vnum in ſe deſcenſum habet, iſtius pone innumerabiles vias, multis ambagibus huc et illuc remeantibus.* et poſtea. *ſubinde redeunte flexu.* Burm.

moenia ſiluae] Naturalem ſaxorum ſtructuram, murorum inſtar

Alta premunt, ruptique ambuſtis faucibus amnes.
Vulcano condicta domus, quam ſubter eunti
Stagna

inſtar ſublimem dicit. *Barth.* *Moenia* pro montibus poni docuimus ad Ouid. IV. Met. 646. *Burm.*

432. *Alta premunt*] Id eſt, preſſe circumiacent. *Vlit.*

ruptique] Erumpentes ſe, effuſi, feruentes ſcilicet ebullienteſque. *Iohnſ.* *Ruptos amnes* poſſes torrentes explicare, qui ſaepius *abrupti* dicuntur, vt ſit ſimplex pro compoſito. rumpuntur vero ſaxis et exſtantibus in monte rupibus. Ita *ruptum* et *abruptum coelum.* vid. ad Sil. Ital. III, 196. ſed tamen *rupti* amnes etiam, et puto melius, pro erumpentibus poſſunt capi, vt Virgil. III. Georg. 428.

Qui dum amnes vlli rumpuntur fontibus.

vbi vid. Comm. idem IV. Georg. 368. *vnde altus primum ſe erumpit Enipeus.* vbi alii codices, *ſe rumpit.* Burm.

faucibus] Ita *fauces* pro hiatibus dixit Sil. XII, 127. *Caecas ſtagnante voragine fauces Laxat, et horrendos aperit telluris hiatus.* Burm.

433. *Vulcano condicta domus*] Ita Propert. IV. IV, 5. *Siluani ramoſa domus.* vnde apparet, totum illum locum, non ſolum templum, *domum* dici. vnde mox *loci mala* dicitur. *Burm.*

condicta] Conſtituta, deſignata. non tamen ſatisfacit mihi omni ex parte. *Iohnſ.* An maluiſſet *condigna?* ſed ego vim elegantem agnoſco in hac voce, vt ipſi quaſi conſtituta fuerit. vide de vi verbi Gronou. I. Obſeru. 1. ita *condictas vlmos*, de amantibus Nemeſ. IV. Ecl. 8. *Burm.*

ſubter eunti] Heinſ. tentabat, *qua ſulphure inunctis ſtagna ſedent venis, oleoque* etc. ego nihil moueo. Vulcano ſubeunti hanc ſpecum, ſedent ibi ſtagna, id eſt, in depreſſo loco ſunt, vt ipſi ſemper adſint ad cudendum ferrum, haec vero ſtagna venis et oleo viuo ſemper madent. *ſedere* de locis depreſſis, humilibus obuium eſt. vid. ad Silu. VI, 647. *viuum oleum* vero bitumen ſiue naphtham eſſe cum aliis credo. et ſimilem eſſe Auerni veteris deſcriptionem apud Sil. XIII. vſ. 133.

— *Tum ſulfure et igni*
Semper anhelantes, bitumine campos
Oſtentant etc.

Viuum vero oleum non alia ratione dictum, quam *viuus lapis, viua aqua*, ſemper fluens, *viuum ſulfur*, et ſimilia paſſim Poëtis et aliis dici ſolent. vid. Heinſ. ad Ouid. III. Am. VI, 59.

datiui

Stagna ſedent, venis oleoque madentia viuo.
Hinc defecta mala vidi pecuaria tabe
Saepe trahi, victoſque malo grauiore magiſtros.
Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,

Incola

datiui vero *eunti* vis eſt, vt ipſius in gratiam ſemper ibi ſint ſtagna ſedentia, quae ruptis amnibus et torrentibus opponuntur. *Burm.*

435. *Defecta*] Bene ad defectionem adacta. *Barth.*

mala] Ita *malam peſtem* dixit ſupr. 387. et ita *ignem malum* Iouis dicit Stat. V. Silu. I, 152. pro noxio, vbi et addit *deficere* arborem illo igne. *Burm.*

vidi] haec nihil certi euincunt, non magis quam Faliſcum fuiſſe Gratium ex eo, quod *noſtros Faliſcos* dixerit, aſſertum iri puto. Abſit itaque, vt temere quicquam ſecus ſuſpicemur, aut poëtica magis quam hiſtorica fide oculatum teſtem dignemur. *Vlit.* Et cur non potuit Gratius in Sicilia fuiſſe, et ibi vidiſſe hanc medendi rationem? vel potuit vidiſſe pecuaria, quae eo trahebantur, et ſana deinde redibant domum. infra tamen oculato teſte Poëta noſtro vtitur Vlitius contra Ariſtotelem et alios vſ. 444. et 459. an ergo immemor ſui fuit Vlitius? *Burm.*

436. *Trahi*] Non aeque conuenit hoc verbum cum *Magiſtros.* Solenne tamen hoc Poëtis, nec exemplis opus. *Iohnſ.* Sed debet ſubintelligi victos *fuiſſe* magiſtros gregis malo grauiore, quam vt ordinariis remediis ſanarent. *victi* ſunt, quorum ars non ſufficiebat medendo gregi. ita Ouid. VII. Met. 528.

Exitium ſuperabat opem, quae victa iacebat.

Nec multum diſſimiliter idem Triſt. III, 593. *vincitur ars vento.* ita *medicamenta vinci* dixit Celſus VII, 33. et *vinci nauis*, et alia dicuntur, quae ſuccumbunt, nec reſiſtere poſſunt. vid. ad Ouid. I. Triſt. X, 8. et ita, *potentia morbi cura maior*, inf. 479. et ſimilia vbique. *Burm.*

437. *Te primum, Vulcane*] Id eſt, principem, inquit Barthius, vt Maroni, *Troiae, qui primus ab oris*, etc. Quod quia pro principe etiam non expoſuerit Seruius, commentationem eius meris ineptiis fartam eſſe pronuntiat. Nemo, qui vel poëtam vllum legit, neſcit ab inuocatione numinis

 ordiri

Incola Sancte, tuam, des ipſis vltima rerum
Auxi-

ordiri ſacrificia ſua ſacrificos. Ideo primum Vulcanus hic inuocatur, quia *Vulcano condicta domus.* Ordo autem verborum hic eſt: *Te primum Vulcane, Incola ſancte loci, pacemque tuam precamur.* Vlit. Sed cur non alteram et meliorem Seruii explicationem addit? qua Aenean primum in eam regionem, quae Italia dicebatur, veniſſe dicit, quo nomine ea regio, ad quam adpulit Antenor, non cenſebatur. hic vero *primum*, vt Deum loci, inuocat Vulcanum, deinde ceteros non praeteriturus: nam ſolitos fuiſſe veteres multos Deos precari, ſed vnum ſemper, vt res et locus poſtulabat, primum, deinde multos nominatim, et ſaepe *Dique Deaeque* omnes addere: qui mos notiſſimus hic illuſtrari minime meretur. vid. Seru. ad I. Georg. 10. et 20. ſic Ianus primus ſaepe inuocabatur. de quo vide Scriuer. ad Martial. VIII, 8. *Burm.*

438. *Incola*] *Incola* hic dicitur, non reſpectu Siculorum, apud quos indiges Deus erat, ſed reſpectu loci iſtius ſacri, et domus, quam inhabitabat: ita Tibul. IV. I.

Aetnaeae Neptunius incola rupis.

ſed quod magis, vt de Deo, huc quadrat Horat. I. Od. 16.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque: non acuta
Sic geminant Corybantes aera,
Triſtes vt irae.

Quorum verſuum ſenſum ineptum eſſe Bentleius iactat, ſi legatur *ſic geminant.* quia debet inde ſequi, non Corybantes geminant aera, vt triſtes irae geminant aera: quo nihil vidi magis: cum pateat ſatis, repeti debere *mentem,* et poſt *aeque* vocabulum *quatit:* quia Poëta lyricus noſter ſaepe duo triaue verba geminat, quae vel vni tantum rei conueniunt: et recte expoſuit ab effectu Gronou. I. Ob. 23. non ita geminant, impellunt aera, vt expellant mentem, quam triſtes irae easdem quatiunt et agitant. dubium autem eſt, an *mentem ſacerdotum* intelligendae ſint, an Pythius *incola ſacerdotum* quatit mentem, vt Steph. I. Schediaſm. 5. exponit. Sed incola Pythius, etiam Templi Delphici incola poteſt intelligi, vt ita domos et ſedes Deorum vocari templa in Ioue Fulgeratore cap. XIV. oſtendimus. *Burm.*

des ipſis vltima] Certiſſima, poſt

Auxilia: et, meriti ſi nulla eſt noxia tanti,
Tot miſerere animas, liceatque adtingere fontes,

Sancte,

poſt quae nulla alia tentare ſit neceſſe. *Titius.* Emacula, *des ipſe his.* Barth. Heinſius, *lapſis.* recte. *Iohnſ.* Vid. ad Ouid. II. Triſt. 86. et ad II. Faſt. 638. et I. Triſt. V, 35. Graeu. malebat *feſſis*, quod eodem redit. *Burm.*

439. *Si nulla*] *Meritum* hic pro peccato, crimine, in malam partem capiendum. Ouid. II. Triſt. 546.

Diſtat et a meriti tempore poena ſui.

Liu. XXV, 6. *quod ob meritum noſtrum ſuccenſetis?* et ita ſaepe alii. Heinſius pro *noxia* reſcribebat in ora Codicis *Gratia.* ſed non video tunc ſenſum. *Noxiam* vero et *noxam* idem ſaepe notare oſtendimus. vid. ad Vell. Pater. I, 12. et alibi. Gronou. ad Senec. Troad. 403. et Barth. I. Adu. 15. Dicere vult auctor, non meruiſſe canes hoc malum. ſed verba tamen obſcura ſunt. *Noxiam meriti* dixiſſe puto, vt *mentem animi*, *fluminis fluctus* etc. ita ſaepe Lucretius, *graminis herbam*, *mare ponti*, et ſimilia Poëtae, qui duo verba fere idem ſignificantia coniungunt hoc modo. ſenſus ergo eſſet, ſi nulla culpa peccati eſt. *tanti* etiam quid hic notet, obſcurum. nam diminuere tentat canum culpam, quare forte poſſet capi, vt ſolet, *eſt tanti*, ſcil. vt tu iraſcaris, vt Ouid. I. Ep.

Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

et ita paſſim. ſi nulla culpa tanti eſt, vt tot animae pereant. *Burm.*

440. *Tot miſerare animas*] Ita ego reponendum curaui, cum antea legeretur *miſerere.* Titius. *Miſerare* Heinſ. ad Ouid. II. Triſt. 638. et certe neſcio, vbi *miſereri* cum accuſatiuo iungatur: nam in Val. Flacc. II, 92. *miſerentque fouentque cunctantem*, accuſatiuus a τῷ *fouent* regitur. nec opus ibi *miſerantque* corrigere. quod verbum etiam datiuo et genitiuo iungi obſeruarunt viri docti. v. Cl. Drak. ad Sil. XI, 381. Munker. ad Hygin. 98. ſed omnia fere exempla ſunt inferioris aeui: ſi Gratii aeuo vſitata fuiſſet conſtructio cum datiuo, *miſerere animis* legerem. vid. eundem ad Hygin. 58. et noſtra ad Quinct. Decl. 372. *Burm.*

Sancte, tuos. ter quiſque vocant, ter pinguia libant
Tura foco: ſtruitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monſtrum
Aduer-

441. *Ter quiſque vocantes*] Lib. Vet. *Vocantes.* Sed Barthii coniecturam praetulit Vlitius, itaque nunc obtinet iſta lectio. Non tamen Vetus diſplicet. *Iohnſ.* Et veterem lectionem probat Heinſ. ad Ouid. II. Faſt. 638. et ad V. Met. 212. vid. ſupr. ad vſ. 12. et ita centies apud Poëtas. *Burm.*

pinguia tura] Poſitum eſſe poteſt pro magna copia, vt ita *pinguia* dicuntur craſſa, vt *pingue aurum* Perſ. Sat. II, 52. vid. Marcil. *pinguis cortex* Perſ. I, 96. et *pinguis toga* Suet. Aug. 82. vid. vtrobique Caſaub. Alio modo dixit Ouid. II. ex Pont. III, 99. *facere altaria pinguia ture*; cum magna copia tus libatur. et ſic contra *tenue oliuum* dixit pro parco, modico vſ. 395. vel *pinguia*, quia ſolent vinum, oleum, lac et ſimilia infundere turi ardenti. Ouid. XIII. Met. 636.

Ture dato flammis, vinoque in tura profuſo.

Et ita paſſim, quia alendae flammae inſeruiebant. vt in alia re Seuerus de Aetna 390. *Pingue bitumen adeſt, et quidquid cominus acres Irritat flammas.* poſſent et odora explicari, vt ita ſupr. vſ. 81. *pinguem plumam* explicuimus. *Burm.*

442. *Ramis felicibus ara*] omne genus arborum felicium, quaeque religioſe adhiberi poterant, intellexiſſe videtur. Quibus opponuntur omnes illae, quae *ferales* dicuntur, vt cupreſſus, taxus, aliaeque rogorum pyris extruendis damnatae. Plinius lib. XVI. cap. 26. *Infelices autem exiſtimantur, damnataeque religione, quae neque ſeruntur vnquam, neque fructum ferunt.* Virgilius Georg. II, 81.

Exiit ad coelum ramis felicibus arbos.

id eſt, fertilibus, et bene accreſcentibus in nouas frondes. Verum enimuero conuenientiſſima longe etiam huic loco interpretatio Seruii eſt ad illa, quae modo adducebam. *felices oliuae*] *arboris feſtae. Felices* igitur *rami* ſunt feſti, ſiue ſacri. *Vlit.* Vid. et Seru. ad Virg. I. Georg. 154. et Comm. ad II. Georg. 314. *Burm.*

443. *Ignobile*] Ignotum, incognitum. Nam *nobilis* interdum nihil, niſi multis notum valet.

Aduerſis ſpecubus, ruptoque e pectore montis
Venit, ouans auſtris, et multo flumine flammae
Emicat: ipſe manu ramum pallente ſacerdos
Termi-

valet. *Barth.* *Alias*, eſt aliis locis.

444. *E pectore montis*] Non ex ſuperioribus Aetnae crateribus, ſed indidem fere, vnde fons viui olei, *ruptique ambuſtis faucibus amnes* emanant. *Vlit.* Vid. Barth. I. Ad. 16.

445. *Ouans*] *Ouare* dicitur de omni exſultatione, et ſono grauiore: vid. ad Val. Flacc. III, 692. apud quem ita Africus *ouare* dicitur II, 507. deinde pro *ouans auſtris* Heinſ. malebat *auris*. vid. ad Claud. I. Rapt. 171. certe quid *auſtris* opus ſit Vulcano, non video. an quia vento tepido exſudent vitium ſcabioſae canes? vt ſupr. vſ. 420. cogitent acutiores. *an antris*, vt iungatur, cum *venit antris, ouans*, id eſt, magno cum ſtrepitu, vt poſtea, vbi defugit a ſacris, iterum *antro* reconditur vſ. 459. poſſet et legi, *venit ouans, antris it multo flumine flamma*. Burm.

et multo flumine flammae] Vid. Giſan. Ind. Lucret. in *liquidus*, et in *flumen*. vbi multis aliis rebus accommodari docet, et ita metallorum liquefactionem *flumina* dici oſtendit Heinſ. ad Claud. I. de Rapt. 240. et ita *fluere incendia*, et *ignes* vidimus in Ioue Fulgerat. c. IX. et ad Val. Flacc. IV, 660. vnde apparet, male tentaſſe locum Cl. Gronouium, qui *lumine flammae* hic volebat. *Burm.*

446. *Ipſe*] De Dei aduentu iam locutus. ideoque Sacerdos, poſt Deum, non recte hoc pronomine *ipſe* ornatur, quaſi eius aduentus, maioris eſſet maieſtatis et praeſentis remedii pignus. quare legerem *Flammae: Emicat inde* etc. poſt aduentum Dei Sacerdos profanos arcet. ita ſupr. vſ. 388. pro *ille* reſcribendum *inde* credimus. et ita Sibyll. apud Virgil. VI, 40. *Deus ecce, Deus:* exclamat, et non vultus, non color vnus vati manet; vt hic *pallens* Sacerdos emicat, etc. quae ex Virgilio fere expreſſa. ſi vero *ipſe* retinendum eſt, diſtingue poſt *ipſe*. deinde, *manu* etc. *quatiens*; *procul*. Burm.

manu pallente] Quia omnes vates et Sacerdotes, Deo intrante eorum pectora, *pallentes* inducuntur. vid. ad Valer. Flacc. I, 129. Ceterum Graecae linguae peritiſſimi, nouitii Poëtae

Termiteum quatiens. procul hinc extorribus ire
Edico, praeſente Deo, praeſentibus aris,
Quis ſcelus aut manibus ſumptum, aut in pectore motum eſt,
Inclamat. cecidere animi et trepidantia membra.

O quiſ-

Poëtae noſtri interpretes, ſupr. ad vſ. 200. docent nos horribile aliquod arcanum. Gratium nempe ſaepe Graeca vocabula Latinis literis deſcripſiſſe, et ideo, *pallente* a graeco πάλλω deducunt: vah! quantum eſt ſapere! ſed an hoc vmquam voci potuit accidere, quae a Graecis translata, in vſu numquam fuit Romanis? et an Romani, vt *Dorcas* dixerunt, ita *Pallo* et *Pallere* pro vibrare vſurparunt? *Burm.*

449. *Manibus ſumtum*] Heinſius legit.

Queis ſcelus aut manibus, ſonti aut in, etc.

Nimirum diſplicebat illi *ſumptum*, quod tamen eſt ſaniſſimum, ne dicam elegans. manus enim inſtrumenta ſunt, quibus omnia propemodum perficimus. Sumitur itaque manibus, quicquid miniſterio manuum agitur. *Iohnſ.* Vid. Heinſ. ad Ouid. VIII. Met. 698. non audeo etiam mouere *ſumtum*, et inter ſingularia Gratii refero. ſic fere *ſumere audaciam* dixit Iuſtin. XXVII, 2. et *ſumere praedam* Nemeſian. Cyneg. 50. 191. 199. qui ea locutione delectatus videtur. ita *ſumere bellum*, de quo vide ad Ouid. Epiſt. XVI, 371. *ſumere faſtus* idem Naſo II. Amor. XVII, 9. et multiplex huius verbi vſus fuit. Nihil ergo aliud his verbis voluit Poëta, quam quod alii paſſim, vt *pura mente*, et *manibus* quaerentes auxilium adeſſent ſacris: nam eodem ordine habebatur cogitatum ſcelus et peractum. Iuuen. Sat. XIII, 209. *nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum, Facti crimen habet.* eo refer et illa Tibulli III. IV, 15.

Si mea nec turpi mens eſt obnoxia facto,
Nec laeſit magnos impia lingua Deos.

Burm.

450. *Cecidere animi*] Om. Lib. *animi.* at Vlitius *animis* ſcribendum iubet, *i. e.* vna cum animis. Vel, *cecidere animi et trepid. mem* quid ſi *minis* legeretur? audito nempe illo ſacerdo-

O quiſquis miſero fas vnquam in ſupplice fregit,
Qui pretio fratrum, meliori ſque auſus amici
Sollicitare caput, patrioſue laceſſere Diuos;
Illum agat infandae comes huc audacia culpae,
Diſcet, commiſſa quantum Deus vltor in ira
Pone ſequens valeat: ſed cui bona pectore mens eſt,
Obſequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, et ipſe, ſuos vbi contigit ignis honores,

Deſu-

ſacerdotis edicto, collapſa extemplo cecidere ſontium membra. *Iohnſ. Minis* Heinſius in ora codicis: ſed recta eſt lectio, *animi et membra.* ita Ouid. VII. Met. 347. *Cecidere animique manuſque*; et animo et corpore trepidaſſe indicat. an Latine dicatur *membra cecidere animis*, vehementer dubito Sed *cadere animus alicui*, et *cadere animo aliquis* ſaepe occurrit. *Burm.*

452. *Fratrum*] Dubium eſt, an amicus melior fratre intelligatur, vt ſaepe fit, an *melior* illo ſcelerato, vel an *melior* ſit (vt *ſenior* pro *ſenex* etc.) bonus, fidus amicus. vel optimus. vid. ad Nemeſ. Cyneg. 140. *Burm.*

454. *Comes huc audacia culpae*] Videtur legi debere *hinc*: dictum eſt autem, quomodo ab Horatio IV. Od. 4.

Culpam poena premit comes. Titius. *Huic* Heinſius ad Ouid. VIII. Met. 59. male. debet ſubintelligi *ſi*: ſi illum audacia, comes culpae, huc agat, diſcet quantum etc. vid. ſupr. ad vſ. 60. et 357. et alibi ſaepe. *Burm.*

455. *Commiſſa*] Noue dictum. vt *commiſſa piacula* apud Virgilium. ob offenſas commiſſas, quae iram merentur. *Iohnſ.*

457. *Deus illam molliter*] Vulcanus, idem qui *ignis* in ſequenti verſu. Extructam enim rite aram flammae ſponte ſua incendunt. *Iohnſ.* Vide, quae diximus in Ioue Fulger. cap. 9.

458. *Ignis honores*] Victimam. Virg. lib. III. Aen. 118.

Sic

Defugit ab ſacris, rurſumque reconditur antro:
Huic fas auxilium et Vulcania tangere dona.
Nec mora; ſi medias exedit noxia fibras,
His laue praeſidiis, adfectaque corpora mulce.
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, et ipſa
Artem

Sic fatus meritos aris mactavit honores.

et vſ. 547.

Iunoni Argiuae iuſſos adolemus honores.

Titius. Ita mox 492. vid. ad Petron. cap. CXXXIII. et Brouk. ad Tibul. IV. VI, 1. vbi videbis *tus* debere hic intelligi: ita et Ouid. II. Triſt. 76. *ſic capitur minimo Turis honore Deus.* vt ibi legendum eſt, non *odore*. Propert. IV. VI, 5.

Coſtum molle date, et blandi mihi turis honores.

Burm.

459. *Defugit ab ſacris*] Rariorem credo conſtructionem *a ſacris defugere*, licet *fugere ab aliquo* viderimus ad Ouid. Epiſt. XIII, 4. ita et Claudian. III. Rapt. 356.

Et ipſe fugit ſacra Polyphemus ab vmbra.

Effugere ita conſtruit Petron. cap. CXVIII. *Effugiendum eſt ab omni verborum, vt ſic dicam, vilitate.* Burm.

460. *Huic fas*] Vt ante de ſceleſto dixit *illum agat*, ita hic de puro integroque vitae, *huic*; quae inter ſe debent congruere. Burm.

461. *Nec mora*] Ita Geſnerus. recte. olim *Haec mora.* Iohnſ. Vid. ſupr. vſ. 300.

his faue] Notandum, migrare Gratium canonas Legis Pediae, in *E* correpto. Sunt tamen exempla non pauca etiam correpti. Martial. lib. XV, 109.

Lector ſalue: taces diſſimulaſque? Vale.

Barth. Miror, neminem Barthio oblocutum, cum *laue* legatur vulgo, von *faue*. vide, quae diximus, ad Val. Flac. V, 595. *lauere* vero dixiſſe Poëtas, docent viri docti ad eumdem Poëtam IV, 229. et quia multa verba fuere olim duplici modo flexa, hinc ſyllabas illas modo a Poëtis correptas, modo productas puto. in exemplis Barthii omnia non huc faciunt. in Martialis loco, non *ſalue*, ſed *ſolue* legendum. Burm.

463. *Regnantem excutiens mor-*

Artem aluit natura ſuam. Quae robore peſtis
Acrior, aut leto propior via? ſed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam ſi fallet opem dimiſſa facultas,
At tu praecipitem, qua ſpes eſt proxima, labem

Adgre-

morbum] Late graſſantem. Virgilius II. Georg. 306.

— *inde ſecutus*
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat.

Titius.

464. *Aluit*] Heinſius olim coniecerat *acuit*, ſed induxerat iterum vocem. et recte. nam naturam loci intelligit, quae adiuuit et aluit artem ſanandi pecora, igne nimitum illo, et ſulfure et bitumine ſemper exundante. ita ſupr. vſ. 426. Paean etiam *adiuuat*. de τῷ *acuere* vid. ſupr. 338. *Burm.*

quae robore peſtis] Id eſt, peſtilentia; quamuis ita ſumi hanc vocem negent Viri docti. Ouid. ita palam Metam. VII, 552.

Peruenit ad miſeros damno grauiore colonos
Peſtis, et in magnae dominatur moenibus vrbis.

Vlit. *in Add.* Nihil hoc probat. Peſtem enim, quae in genere omnes noxios et letiferos morbos notat, pro peſtilentia, a Poëtis praeſertim, vt genus pro ſpecie poni, nemo negauit. vid. Saluag. ad Ouid. Ibin. 577. hic vero ſenſus eſt; quae peſtis, id eſt, quod genus morbi aut mali, eſt vehementius aut acrius hac ſcabie? *Burm.*

465. *Leto propior via*] Id eſt, praeſentior, magis feſtinata, vt Tibull. II. VI, 20.

Hic cruor et caedes, mors propiorque venit.

De via mortis vid. ſupr. vſ. 357. et alibi. *Burm.*

467. *Dimiſſa*] *Dimiſſa* facultas eſſe poteſt, neglecta haec obuia medendi facultas. ita ſupr. vſ. 76. non *parua facultas*. *Dimiſſa* vero, vt *dimittere curam* dicimus. vid. ad Ouid. I. Met. 209. *bellum* VIII. Met. 47. pro relinquere vtitur hoc verbo Ouid. Med. Fac. 51. deſtituta ergo hic exponi, vel debet ſumi pro irrita, quae effectum nullum habuit in initio morbi: tunc praecipitem et in peius vergentem labem aggredere alia medicina, quam nunc tradit. *primam opem* dixit etiam in alia re vſ. 14. an vero legendum *diuina facultas?* Burm.

N

Adgredere. in ſubito ſubita eſt medicina tumultu.
Stringendae nares, ſcindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa eſt auidae vehementia peſti.
Ilicet auxiliis feſſum ſolabere corpus:
Subſiduaſque fraces, diffuſaque Maſſica priſca

Sparge

469. *Tumultu*] Omne, quod praecipiti feſtinatione fit, et ratione non iubente, *tumultus* vocabulo notatur. *Senſuum tumultum* Horat. II. Od. 16. vid. ad Claud. I. in Rufin. 20. malim vero, *in ſubito ſubita haec medicina tumultu*, et in parentheſi ponere. *Burm.*

470. *Stringendae nares*] Leviter ferro vulnerandae, vt ſanguis effluat. *Titius.*

ligamina] Muſculos armorum dicit, quibus, velut ligaturis membra connectuntur. *Barth.*

474. *Subſiduaſque fraces*] Sordes olei, quae ſubſidunt, et ad imum feruntur. *Iohnſ.* Gell. XI, 7. docet *floces* vocari feces e vinaceis expreſſas, ſicuti *fraces* ex oleis: ſupra *amurcae vnguen* vino et pice miſceri dixit vſ. 416. *Burm.*

diffuſaque M. p. Sparge cado] Ita (*defuſa*) lego, vtcunque codices *diffuſa*. Iohnſ. Accedo viro docto, nam ita et Scaliger correxerat; aliud enim eſt *diffundere vinum*, nimirum cum in cados et vaſa, vinum preſſum ex lacubus funditur: vid. Scal. ad Manil. I. pag. 39. Plin. XIV, 9. *protinus diffuſum lagenis ſuis deferuere paſſi.* Horat. I. Ep. V, 4.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa.

vbi vid. commentatores: *defuſa* ſunt ex vaſis ad vſum; vt hic *cado* additum probat. vid. ad Horat. II. Sat. II, 58. *diffuſa* olim vina, et condita nunc *defuſa* iubet ſpargi. vt Ouid. V. Faſt. 511.

Quaeque puer quondam primis diffuderat annis,
Promit fumoſo condita vina cado.

Si quis tamen hic codicibus inhaerens, *diffuſa* retinere velit, ita capiat, vt vina olim diffuſa, nunc ſpargat ex priſco cado. *ſpargere* vero capiendum,

Sparge cado. Liber tenues e pectore curas
Exiget: eſt morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tuſſis, quid moeſti damna veterni,
Aut

dum, vt ſupr. 356. per ora vulnerum factorum, et 395. *Burm.*

475. *Liber tenues e pectore curas*] *Tenues*, quae facile ſe inſinuant. *Iohnſ.* Hoc ſenſu *tenues curas* poſſe dici, probandum fuerat: ſupra vſ. 395. *tenue oliuum* pro exiguo, non multo, et infr. 522. *tenues riui* occurrunt, quare ex auctoris vſu *tenues curae* hic ſunt non graues, aut quae admodum ſollicitum debent habere, ita vt ex hypotheſi loquatur, et grauitatem morbi, vt venatores, videntes ſcabiem latius ſerpere ſummo cum dolore et cura, credunt, hoc vocabulo eleuet, ab effectu ſcilicet medicinae, cuius certus eſt. Vinum omnes tuas curas, ex opinione tua graues de morbo inſanabili, ſed quia certa eſt medicina, tenues exiget, et expellet animo. alio ſenſu *tenuem curam* dixit Ouid. IV. ex Pont. IV, 37.

Quae tibi tam tenui cura limantur, vt omnes
Illius ingenium corporis eſſe negent.

vbi eſt ſubtilis, quae in poliendo carmine multa meditatione adhibetur: et eo fere ſenſu Perſ. Sat. V, 93.

Non Praetoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia.

Sed Philoſophi eſt, ſapientiae praecepta et officia in omni vita accurate deſcripta, etiam in minima re tradere, vt recte Caſaubonus: ſic et *tenues Athenas* apud Martial. VI, 64. interpretantur ſubtiles, doctas; nam et praecepit, *tibi cor limante Minerua*, fere vt in Ouidii loco: quamquam non ignorem Pricaeum ad Apulei. Apol. p. 76. Athenas tenues ab aëre explicare, vnde acumen ciuibus iſtius vrbis fuit quaſi naturale. ſic *tenuem laborem* apud Manil. IV, 387. Scaliger ἀκριβῆ, περίεργον interpretatur, quomodo et vſ. 864. *tenuem rationem* dixit. ſed in his omnibus exilitas quaedam intelligitur, quae craſſis et magnis rebus opponitur. *Burm.*

477. *Moeſti damna veterni*] Quorſum *Moeſti* dicitur. an quia canem moeſtum et κατηφῆ reddit? an deplorat vates damna veterno criunda? *Iohnſ.* Haerent hic interpretes in epitheto hoc explicando,

Aut incuruatae ſi qua eſt tutela podragrae?
Mille

nec vident, quare *moeſtus* dici mereatur veternus. Immo vehementer inter ſe diſſident medicorum filii, quale genus morbi ſit, *veternus* veteribus dictus. his hydropem, aut certe eius ſpeciem, illis lethargum adfirmantibus. vide Mercurial. VI. Var. Lect. 16. et Salmaſ. ad Tertull. Pall. pag. 429. Hos vero omnes refellit Zarottus lib. I. de medica Martialis tractatione cap. 2. qui *Carum* eſſe contendit, a qua opinione non alienus olim fuiſſe videtur Foëſius, qui in Oeconomia Hippocratis Carum, quem dicunt *νοσώδην*, parum a veterno differre ait: Gorraeus in definitionibus, non certam morbi ſpeciem, ſed torporem, ſomnolentiam, ignauiam, multis morbis communem eſſe credit. hic tamen, vbi inter tuſſim et podagram ponitur, certus morbus deſignari debet. Sed haec in medio, et doctioribus artis medicae viris diiudicanda relinquimus. An vero aptum epitheton adhibuerit Gratius, merito dubitari videtur, cum illud potius melancholiae et ſimilibus morbis accommodatum videri poſſit. Niſi dicamus, torporem illum, quem ex veterno ſiue Caro oriri vult Zarottus, recte ita deſcribi poſſe. An potius credamus Poëtam communi epitheto, et quod omnibus grauibus morbis aptari poſſit, vſum, vt ita *triſtes morbi* Ouidio VII. Met. 601. Nemeſ. Cyneg. 202. et aliis paſſim. An etiam Graecum voluerit hic epitheton exprimere *στυγερὸν*: nam, vt notant Grammatici, Virgilius Homeri *στυγερὴν Ἐριφύλην* vertit VI. Aen. 445. *moeſtam*; qui etiam I. Georg. 124. *Grauem* veternum dixit, vt noſter *moeſtum*, ob grauitatem et vehementiam. Sic et Apollon. Rhod. I, 6. *στυγερὴν μοῖραν* dixit, quam Poëtae Latini paſſim *triſtia fata* dicunt. et apud eumdem Apollonium lib. II, 244. *στυγερὸν* de homine Scholiaſtes interpretatur *ἐπίπονον*, vbi paullo ante praeceſſerat *ἀσχαλόωντος γέροντος*, id eſt *moeſti*, vt idem Scholiaſtes explicat. et quia hanc vocem Grammatici a *στὺξ* deriuant, vel contra a *στυγερὸς στύγα* deducunt, vt Hoezl. ad Apollon. I, 6. hinc forte eo reſpiciens Statius VIII. Theb. 44. *moeſta otia* dixit, quae Pluto agit apud inferos; et hinc omnia horrenda, vt Graeci *στυγερὰ*, *moeſta* et *triſtia* Poëtae Latini ſolent vocare: vt Virgil. I. Aen. 206. *moeſtum timorem* dixit; et haec forte cauſſa impulit ingenioſiſſimum Heinſium, vt apud Tibul. III. Eleg. III.

Mille tenent peſtes, curaque potentia maior.
Mitte

Eleg. III, 35. pro *triſtes ſorores*, reſcribendum cenſeret, *Stygiae ſorores*, ſed Broukhuſius optime tamen *triſtes* adſeruit. et hoc ſenſu voce *moeſti* ſaepe vſus Val. Flac. qui lib. II, 493.

Auxerat haec locus, et facies moeſtiſſima capti
Litoris.

eodem libro 360.

Moeſti ſteterant formidine luci.

Vbi loca, quae horrorem et formidinem incutiunt, ita dicuntur. immo non Poëtae ſoli, ſed ita et Tacitus I. Annal. 61. *Incedunt moeſtos locos viſu ac memoria deformes.* Sed finis non eſſet. conſulere etiam de hoc loco viſum fuit doctiſſimum Boerhauium, qui Lethargum intelligi volebat, qui a marcore et inexpugnabili dormiendi neceſſitate deſcribitur a Celſo III, 5. vnde et vrſos veterno pingueſcere, cum grauiſſimo ſomno premuntur, dicuntur a Plinio VIII, 36. Quia vero hic morbus ex pituitae inertis colluvie oritur, quae λευκοφλεγματίας dicitur, inde pallido inflati timore ſunt, vt *aquoſus albo corpore languor* Horat. II. Od. II. dicitur; indeque eueniſſe credit, vt poſtea veternum et intercutem promiſcue permutarint. Vt apud Plaut. Menaech. V, 4. rogat quis medicum, num *aegrum intercus an veternus teneat?* Cum vero λευκοφλεγματίας ſemper in ſoporem letalem exit, hinc frigidi, pallidi, deiecti, ſuſpirioſi, adeo moeſti hominis exprimunt imaginem, vt lac lacti non magis ſit ſimile. et ita proprie *moeſtum veternum* dici poſſe, credebat vir ille non medicae ſolum, ſed variae eruditionis laude toto orbe celeberrimus. *Burm.*

478. *Aut incuratae*] Veteris, quae difficilius curatur. ſi *incuruatae* legas, dicetur ab effectu, quia nimirum podagra laborantes incuruatos ingredi cogit. *Titius.* Heinſius in ora Codicis legebat *incuratae*, id eſt incurabilis. vt ita Horat. I. Epiſt. XVI, 24. *incurata vlcera* dixit. et de hoc morbo Ouid. I. ex Pont. III, 23.

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram.

Sed ego epitheton, quod triſtem, et vulgarem huius morbi effectum egregie exprimit, non moueo: curuos enim et *contractis membris* vt Seren. Samon. cap. XLIII. dicit, ex podagra fieri conſtat, quae *incuruata* dicitur, quia incuruat homines, vt *pallida mors*, et ſexcenta talia apud Poëtas. ſic *inclinata ſenectus*, quae ſenes inclinat et curuat, apud Calpurn. Eclog. V, 23. et ita centies

Mitte age: non opibus tanta eſt fiducia noſtris;
Mitte animae ex alto ducendum numen olympo,
Supplicibuſque vocanda ſacris tutela Deorum,

Idcirco

centies alii *contractus artus* in podagra agnoſcunt. et hinc *replicari* corpora dixit Seren. Samon. LIV. vbi vide Conſtantinum. *Burm.*

479. *Curaque potentia maior*] Validior eſt vis morbi, quam vt interdum ſuperari queat. *Titius.* *Potentia* hic eſt inſanabilis vis morborum. Eo fere ſenſu dixit Liuius lib. XXV, 1. *Vbi potentius iam eſſe id malum apparuit, quam vt minores per magiſtratus ſedaretur.* vid. ſupr. ad vſ. 436. *Burm.*

480. *Mitte age*] Ita omnes libri. at mihi Barthiana coniectura magis placet. *mitte, anime*; videtur enim Gratius rei magnitudine deterritus reprimere ſe, animumque vlteriora conantem ſiſtere. mitte, inquit, anime, age, mitte plura conari. *Iohnſ.* Heinſius corrigebat, *Mite, anime* (*non o. t. e. f. noſtris*) *Mite animae ex alto* etc. vt ſit, *numen mite animae*, pro cani. vt ſupr. 411. *vna redimenda anima pernicies,* et 440. *tot miſerere animas.* certe eodem modo *numen mite* ſaepe Ouid. vid. ad XI. Met. 134. et II. ex Pont. II, 111. *Mite, ſed iratum merito mihi numen adora.* Martial. X, 92. *agelli mite paruuli numen.* *Ducere ex coelo* videtur indicare ſacra, qualibus Iouem eliciebant, de quo in Ioue Fulger. cap. IX. hoc *deducere coelo* vocat Ouid. III. Faſt. 317. et 321. *trahere ſuperis ſedibus* 324. in vulgata lectione ſenſus eſt admodum obſcurus et intricatus. Scaliger etiam *mitte anime* correxerat. Sed quid *mitteret*, curamne medendi, vel ſpem? non ſatis haec capio. *Burm.*

482. *Supplicibuſque vocanda ſacris*] Merito *ſupplicia* vocantur haec ſacra, quibus tutela et pax deorum petitur. *Pax* enim haec non ſemper ab offenſo et infenſo Numine, ſed ſolemniter, vt placidum ac propitium ſit, petebatur. *Vlit.*

tutela Deorum] Tutela hic non eſt ἐπισκοπή, ſed pro protectione ponitur. Ita mox 496. *tua magna fides, tutelaque, Virgo.* Non aliter, quam tutelae nauium diis ſuis inſcribebantur, quorum protectioni committebantur. *Vlit.*

Idcirco aëriis molimur compita lucis,
Spica-

483. *Aëriis*] Vt altae arbores a Poëtis *aëriae* vocantur. *Compita moliri aëriis lucis*, eſt in compitis ludos cōſecrare, quibus ſacra fiant Diis. *Barth.* Heinſius corrigebat, *aërii m. c. luci.* Burm.

molimur compita] *Compita* hic ſunt *medii diſcrimen luci*, vt mox vocat: ſi quando pro conuentu hominum ſumuntur, id fit quotidiana figura, qua loca pro hominibus, qui in illis ſunt, ſumuntur. ita *conuiuia* pro conuiuis Ouid. III. Amor. I, 17. ita *ſiluae* pro feris mox et paſſim. *compita* vero haec illuſtrari poſſint ex Ouid. V. Faſt. 130. et ſqq. vbi de ſacris compitalibus, quae Praeſtitibus Laribus ſolebant fieri, dicit cum Lare ſtetiſſe canem, et

Compita grata Deo, compita grata cani.

Vbi recte ex Perſii interprete adnotat illa Neapolis, *pertuſa compita ſunt, in quadriuiis quaſi turres, vbi ſacrificia pro finita agricultura ruſtici celebrant.* et poſtea non in vrbe tantum, ſed in viis publicis fieri docet. et ita *peruia compita* Calp. Ecl. IV, 126. ad quae Baccho ludi fiebant. et eo forte, vel certe ad ſimilia ruſticorum ſacra reſpicit Tibul. I. XI, 51.

Ruſticus e lucoque vehit, male ſobrius ipſe
Vxorem plauſtro progeniemque domum.

Vid. ibi Broukh. talia ergo compita fiebant etiam in nemore Aricino, quibus pro *anno reddebant honorem*, vt mox adiicit. his compitalibus ſacris luſtratio canum fiebat, vt ſequentia docent, et forte eo reſpicit Propert. IV. I, 23.

Parua ſaginati luſtrabant compita porci,
Paſtor et ad calamos exta libabat ouis.

Burm.

aëriis lucis] Quae proxima verſu *nemora alta*, nimirum vocat. Hinc Statio Hercule Surrentino libro III. Silu. I, 55. *profugis cum regibus altum Fumat Aricnium Triuiae nemus.* Ita emendaueram ex hoc Gratii loco, vbi *nemora alta* vocat. Nam vulgo inepte legitur, *aptum.* Vlit. In loco Statii *altum* in Gronouii editionem vnde irrepſerit, neſcit Marklandus ad Statium: ſed a Vlitio ſuo forte accepit. Heinſius malebat, *regibus orbum.* ſed *aptum*, quia illis ſolis patet hoc ſacerdotium, qui manu fortes pedibuſque fugaces, vt Ouid. III. Faſt. 271. non vnicuique ergo hoc Sacerdotium aptum eſt, non

N 4 timidis,

Spicataſque faces ſacrum, ad nemora alta, Dianae,

Siſti-

timidis, non ſegnibus. exempla, credo, nemo doctior deſiderabit. *Burm.*

484. *Spicataſque faces*] *Spicatae faces* fiebant ex ligno ſolido, in aſtulas et ariſtas quaſi vndique inciſo ac exaſperato, quibus flamma facilius concipitur et nutritur. Nec aliter ſenſit Seruius, cum *inſpicare* expoſuit *incidere ad ſpici imaginem.* Tales in Dianae nemorali ſacro adhibuiſſe, ex hoc Gratii loco diſcimus. Verba enim eius, vt vulgo ſe habent, ita conſtruenda ſunt: *Spicataſque faces, ſacrum Dianae, ſiſtimus ad nemora alta.* Faces hae ſacrum Dianae erant. *Vlit.*

nemora alta] Iſtud *Sacrum*, cum *faces* connecti per appoſitionem, vix ferendum cenſeo; adeoque tuam, Turnebe, lectionem, an emendationem, lubens amplector, *Nemorale* legentis pro *nemora alta.* Sic omnes auctores, qui de hac re egerunt. *Iohnſ.* *Nemorale* etiam Barth. ad Stat. IX. Theb. 627. facilis illa aberratio librariorum, qui vnam vocem in duas diſpeſcunt: vel contra vnam in duas contrahunt: ita pro *ſtabula alta*, *ſtabulata* apud Ouid. VIII. Met. 555. et pro *ſtabula auia*, *ſtabularia* VI, 598. reperitur in codicibus: apud Tacit. VI. Ann. 48. pro *pericula varia*, eſt in MSS. *pericularia.* et talia paſſim in ſcriptis obſeruare licet. quare ego *nemora alta* (quae dici vulgo probandum vix puto; vid. ad Ouid. I. Met. 591. et III, 179. et Virg. III. Georg. 393.) retineo, ſed aliter diſtinguo et explico.

Idcirco aëriis molimur compita lucis,
Spicataſque faces: ſacrum ad nemora alta Dianae
Siſtimus etc.

Vt *moliri* ad *compita* et *faces* pertineat. *ſiſtere* vero ad *ſacrum*, quod pro ſacrificio poteſt ſumi, vel pro ara, fano vel loco, in quo ſacrificium futurum eſt. nam teſte Feſto *ſiſtere fana*, eſt loca futurorum fanorum conſtituere: hinc *ſiſtere ſacrum locum* hic eſt, deſignare ſacro futuro compitalitio: vt *ſacrum* pro ſacro loco ſumi docuimus ad Quinctil. de Inſt. Orat. I. cap. 4. p. 39. qui et VII, 3. dixit *ſacrilegium eſt, ſurripere aliquid de ſacro*, id eſt de ſacro loco. vid. et ad Ouid. IV. Faſt. 497. ſic apud Sil. Ital. VIII, 231. male Heinſius ſollicitat ſcriptorum codicum fidem,

Aſt ego te, compos pugnae, Karthaginis arce
Marmoreis ſiſtam templis.

et *ſta-*

Siſtimus, et ſolito catuli velantur honore;
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Strauere arma, ſacris et pace vacantia feſta.
Tum cadus, et viridi fumantia liba feretro
Prae-

et *ſtatuam* legi iubet. *ſiſtere* enim eſt, quaſi in baſi firma et ſolida collocare. vt apud Sueton. Aug. 28. *Rempub. in ſua ſede ſiſtere.* Tacit. XV. Ann. 18. *tropaea et arcus ſiſtere*, et ita *ſiſtere templa* etc. obvium. Vt autem hic *nemorale ſacrum* corrigunt, ita contra apud Statium I. Silu. III, 76. pro *nemoralem Phoeben*, male Morell. *nemore almam* corrigit, vbi Geuartius videndus Lect. Pap. cap. 29. *nemora* vero *alta*, quia dea eſt, montium ſiluarumque potens. vid. ſupr. 105. *Burm.*

485. *Honore*] Vittis ac taeniis ornantur, quomodo et aliae victimae. *Titius.* Id eſt ſertis et floribus, vt ſolet in his ſacris fieri. *Burm.*

486. *Diſcrimine luci*] Heinſ. *lucis.* et tunc intelligendum eſſet crepuſculum, vel ſuperſcripſerat *graſſante morbo*, vt conſtruendum eſſet, luci, medio in diſcrimine, id eſt, graſſante morbo, ſtrauere per flores ipſa arma vacantia ſacris et pace feſta. *diſcrimen luci* eſt pro compitis ipſis, quae moliti erant ſacrificaturi, ad quae viae per lucum coibant. et has vias *diſcrimina* vocat, quorum medium erat compitum, locus ſacro deſtinatus, vt ita *diſcrimina* capitis: vid. ad Ouid. II. Art. 330. et eo ſenſu VIII. Met. 577. *ſpatium diſcrimina fallit* fumo, pro fretis inter inſulas, quae eas diſcernunt, vt viae in ſiluis. et I. ex Pont. VIII, 91. *minimum nos inter et hoſtem Diſcrimen murus portaque clauſa facit:* et ita *medium diſcrimen* luci eſt quaſi, vbi diuiditur in partes: vt Ouid. I. Faſt. 459.

Poſtera lux hiemem medio diſcrimine ſignat,
Aequaque praeteritae, quae ſuperabit, erit.

Burm.

487. *Sacris*] Tertio caſu, *vacantia ſacris, et feſta pace*, id eſt ſolemni quiete. *Vlit.* Eſt hoc epitheton *feſta* quaſi proprium paci. ita Ouid. II. Met. 796. de Athenis,

Ingeniis, opibuſque et feſta pace virentem.

Plin. XIV. pr. *profecit vita commercio rerum ac ſocietate feſtae pacis.* vbi alium locum Harduinus. *Burm.*

488. *Viridi feretro*] *Viride feretrum* intelligo ramos, vel corbes ex viridi fronde, quibus praeferebant dona et

 munera

Praeueniunt, teneraque extrudens cornua fronte
Hoedus, et ad ramos etiamnum haerentia poma,
Luſtralis de more ſacri, quo tota iuuentus
Luſtraturque Deae, proque anno reddit honorem.
Ergo impetrato reſpondet multa fauore.

At par-

munera ad ſacra. *Ferculum* quodcumque ex fronde, vt fiſcella: *liba fumantia* ſunt *toſta* Ouidio VI. Faſt. 482. vel *cocta* 532. ferebantur vero ferculis, quia *grandia* erant, vt Pali libata: Ouid. IV. Faſt. 776. vel *candentia* eidem, ne manus laederent, III, 761. *Burm.*

489. *Praeueniunt*] *Praeueniunt* poſitum pro praeeunt, ante pompam ſcilicet ſacram. vt ita paſſim *praeferri* dicuntur munera illa. vid. Suet. Caeſ. 84. Ouid. II. Art. 330.

Praeferat et tremula ſulfur et oua manu.

et inde *praefericulum* dictum. Eodem modo *praeueniens Lucifer* dicitur, qui anteit diem, Ouid. V. Faſt. 548. et Virg. Eclog. VIII. mox noſter vſ. 500. *praeuenientem* virtutem vocat nimium feruorem, quo praecurrunt, ſed cito deficiunt. *Burm.*

491. *Tota*] Malebat *vota* Heinſius, praeterea *luſtretur* et *reddat*: de *honore* vid. ſupr. vſ. 458. *Burm.*

492. *Anno*] Felici omnium bonorum prouentu. Lucanus III, 20.

Effuſis magnum Libye dedit imbribus annum.

493. *Reſpondet multa*] *Multa* foeminino genere. benigna exaudit, reſpondetque precibus. vel quoad multa, in multis. *Iohnſ.* Heinſius malebat *culta*, et certe coactae admodum ſunt explicationes aliae. Niſi quod *multa Diana* explicari recte poſſit ex iis, quae dixi ad Valer. Flac. VI, 223. et ita in Ennii verſibus apud Cicer. I. de Diuin. 20.

Quamquam multa manus ad coeli caerula templa
Tendebam.

Vbi Dauiſius perperam pro *multum* capit. ſic forte et apud Tibullum I. VII, 1. poſſet capi et legi

Illa quidem iam multa negat.

Vid. et ſupr. ad vſ. 30. *Burm.*

Ad partes. qua poſcis opem, ſeu vincere ſiluas,
Seu tibi fatorum labes exire minaſque
Cura prior; tua magna fides tutelaque, Virgo,
Reſtat equos finire notis, quos arma Dianae
Admit-

494. *Seu vincere ſiluas*] Heinſ. malebat *cingere*, ſed centies *ſiluae* pro feris, vt mox *faceſſere ſiluas*, et ſupr. 330. *domare ſiluas*. et ita alibi. Claudianus III. de Laud. Stilic. 250. *Teliſque domat quae Maenala Thero*. et ita Manilius et alii *pacare nemora*, *montes* etc. de quibus videndus Heinſius ad idem Claud. poëma vſ. 284. Egregia in lapide antiquo inſcriptio apud Spon. Miſcell. Erud. Antiq. p. 88. et Fabret. pag. 689. BRARVM AC NEMORVM INCOLAM, FERARVM DOMITRICEM DIANAM DEAM VIRGINEM. male Sponius edidit PRVRARVM, et peius coniecit pro FERARVM, PIRARVM. Quis enim vmquam piras incoluiſſe Dianam, aut Piras pro ſiluis poſſe capi audiuit? legendum puto VMBRARVM, quia in ſiluis vmbras fatigata venatu captat: Anacreon Od. LXI. in fragmento vocat θηρῶν ἀγριῶν Δέσποιναν. et hinc toties in lapidibus *Diana victrix*, vide Indicem Gruterianarum Inſcriptionum. Hinc quoque Hyrceus, Dianae comes, apud Ouid. V. Faſt. 540.

Quam nequeam, dixit, vincere nulla fera eſt.

et Cephalus apud eumdem Ouidium VII. Metam. 836.

— *ſiluaſque peto, victorque per herbas*
Aura veni, dixi.

inf. 527.

— *victaeque fragoſum*
Nebroden liquere ferae.

et ita *praeda victa* Nemeſ. Cyn. 198. et quae eius generis plura paſſim occurrunt. *Burm.*

495. *Fatorum labes exire*] Euadere; ita etiam ſuperius vſus eſt verbo exire. et Virg. V, 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Titius. Vid. ad vſ. 197.

497. *Reſtat equos finire notis*] *Finire notis* eſt, *percenſere notis*, vt alibi de catulis loquitur. Petita metaphora a cenſoribus, qui vt equites, ita et equos eorum ſaepe notabant. *Finire* autem eſt definire. *Vlit.*

Admittant. non omne meas genus audet in artes.
Eſt vitium ex animo; ſunt quos imbellia fallant
Corpora: praeueniens quondam eſt incommoda virtus.

Con-

Vlit. Nimis hoc acutum. *notae* ſunt, quibus omnes res, et etiam inter ſe, equi diſtinguuntur. vnde *primae, ſecundae notae res*, *ex hac nota* etc. vid. ad Petron. cap. LXXXIII. Ouid. II. Amor. V, 54. et quia hic de genere et patria equorum agit, idem notat *nota*, quod apud Ouid. I. Met. 761.

Ede notam tanti generis.

Vbi v. Ciofan. *Finire* pro definire centies apud Quinctilian. occurrit. vid. ad lib. II. de Inſtit. Orat. I. *Burm.*

498. *Audet*] Simpliciter hoc verbo pro confidens eſt, vtitur exemplo Virg. II. Aen. 347. Vide ad Claudian. Bell. Gild. 299. *Barth.* Recte Barthius, et ad Bell. Getic. 139. et Stat. IV. Theb. 439. et alibi. plena autem locutio eſt apud Ouid. V. Faſt. 175.

— *in apros*
Audet, et hirſutas cominus ire leas.

Similis vero locutio, *tantum vellet in armis* vſ. 73. Tacitus ſaepe abſolute hoc verbo vti ſolet, vt II. Hiſt. 71. *aduerſus Neronem auſus.* I, 35. *ignauiſſimus et in periculo non auſurus.* et ita ſaepe. *Burm.*

499. *Ex animo*] Imbelli, vel fallente, quod ex ſequentibus petendum eſt. *Iohnſ.* Heinſ. *eſt vitium, eſt animo.*

Sunt quos imbellia fallant corpora] Non apta bello propter infirmitatem membrorum, vel ob exiguitatem corporis, vti narrat Caeſar de equis Germanorum in comment. bell. Gall. *Titius.* Id eſt, deſtituant, non animus, ſed vires. vt apud Phaedr. fab. vltima canis ſenex. male vero Heinſius tentabat, *ex alto*, animus enim et corpus hic opponuntur. Titius autem videtur reſpicere locum Caeſaris de Bell. Gall. IV, 2. vbi olim *parua et deformia* legebatur, ſed nunc *praua.* vid. ſupr. ad vſ. 289. *Burm.*

500. *Praeueniens quondam*] Quandoque praeceps et praeferuida virtus venationi incommodos reddit. *Iohnſ.* Poſſet et legi, *quorum eſt*, repetito *ſunt*, quorum virtus praeueniens eſt incommoda. Sed *quondam* pro aliquando, interdum, poteſt capi. vid. ſupr. 194. *Burm.*

Conſule, Penei qualis perfunditur amne
Theſſalus, aut patriae quem conſpexere Mycenae
Glaucum. nempe ingens, nempe ardua fundet in auras
Crura.

501. *Conſule*] Suſpecta voce, nec tamen occurrit, quid pro ea reponam. forte *non lege* pro non *elige*, opta tibi Theſſalicum equum; ineptus ille ad venatum, licet generoſiſſimus: ita *lectos equos* dixit Nemeſ. Cyn. 240. vbi vid. *Burm.*

Penei] *Peneo* malebat Heinſius, nec improbo. ita *Peneae vndae* Ouid. VII. Met. 230. quis *flumen Rhenum*, *Metaurum* et ſimilia ὅσα κόνις ignorat? ſed et ſaepe aliter loqui ſolent. *Burm.*

perfunditur] Hic pro lauatur poteſt ſumi, vel etiam pro bibere largiter. vt ita *perfuſus Baccho tempora* Tibull. I. II, 13. vbi vid. Broukh. *Burm.*

502. *Conſpexere*] *Clarum videre.* Nam *conſpectus* Poëtis illuſtrem et ſpectabilem valet. *Barth.* Cum admiratione videre. *Iohnſ.* Recte ita explicant viri docti. appoſite, licet non de equo, Val. Fl. VI, 296. *conſpectaque glauco Tempora nectuntur ramo.* vid. Albinou. ad Liuiam verſ. 121. ſed ingenioſa tamen eſt coniectura Heinſii, *conſperſere.* non addita tamen interpretatione, an de maculis intelligat: ſed eo magis ſubintelligerem *puluere.* vt in certaminibus: quomodo *puluerem Olympicum* dixit Horat. I. Od. 1. et paſſim bellatores *puluere ſordidos*, *atros*, *conſperſos*, Poëtae deſcribunt. quorum loca cumulare nihil attinet. de equo generoſo Ouid. VII, 542.

Acer equus quondam magnaeque in puluere famae.

et II. Faſt. 360.

Inque ſuo noſter puluere currat equus.

et eo ſenſu Amazonibus dat *puluereos equos* Val. Flac. IV, 608. *Burm.*

503. *Nempe*] Elegantem vſum, in ſimilibus, huius particulae vidimus ad illa Valer. Flacc. VI, 282.

Nempe omnes cecidere ſenes, nempe omnis ademtus.
Ante pater.

Burm.

ardua fundet in auras] Inter incedendum crura attollet, et explicabit; dixit autem *ardua*, quomodo Virgil. III. Georg. 75. *altius ingreditur.* Titius. Vid. ſupr. ad vſ. 138. *Burm.*

Crura. Quis Eleas potior luſtrauit arenas?
Ne tamen hoc adtingat opus; iactantior illi
Virtus, quam ſiluas, durumque laceſſere Martem.
Nec ſaeuos miratur equos terrena Syene.
Scili-

504. *Quis Eleas potius luſtravit arenas*] Quis aptior fuit ad certamina, quae in Elide celebrabantur. *Titius.* *Luſtrabit* Heinſius corrigebat. de hoc verbo vid. ſupr. ad vſ. 221. *Burm.*

505. *Opus*] Venationem. *Iohnſ.*

506. *Durum Martem*] Durum Martem ſatis illuſtrauimus ad Val. Flac. VI, 545. *Burm.*

507. *Miratur*] Heinſius coniiciebat *ſubmittat.* ſed ſi tale quid placeret, praeſtaret legere, *tibi mittat:* potius tamen eſt, vt *miretur* legatur. vel ſi *miratur* retinendum, ſenſus erit, Syene miratur equos, *non ſaeuos*, id eſt imbelles; *ſaeui* hic fortes, robuſti equi capiendi; vt apud Statium et alios ſaepe occurrit. malim tamen priori ſenſu *miretur*, vt ita *comparet, praegrauet* etc. vſ. 120. et hoc videtur ſequens *ſcilicet* requirere. ne miretur Syene equos ſuos, ſaeuos quidem et robuſtos, ſed inutiles ad venandum in montibus et ſaxoſis locis. nam et Parthis equis gloria magna eſt, ſed tantum in patentibus campis, et rure molli, non vt Romani iis vtantur in ſaxis Taburni etc. *Burm.*

terrena Syene] Omnino legendum, *extrema.* Vlit. *in Add.* *Extrema* placuit Bocharto lib. II. de Animal. cap. 9. non tamen audeo mouere receptam lectionem, et *terrenam Syenem* dictam puto campeſtrem, et ſolent talia loca opponi ſaxoſis, et mox *mollia rura* vocat. Sic Liuius de Leucadia XXXIII, 17. et *campus terrenus omnis, operique facilis.* XXXVIII, 20. *animaduertit meridiana regione terrenos, et placide acclinos ad quendam finem colles eſſe, ad ſemptemtrionem arduas et rectas prope rupes.* et ita Heinſ. Syllog. Epiſt. t. IV. p. 282. qui docet ſic *aggerem terrenum* dici a Suet. Calig. XVII. vbi non bene Torrentius: nam *agger terrenus* opponitur aggeri ex lapide ſtructo. et Plin. V. Epiſt. 6. *pingues terrenique colles, (neque facile vſquam ſaxum, ſi quaeratur, occurret,) planiſſimis campis fertilitate non cedunt*, ſed quia equorum Syenenſium, nec etiam Aegyptiorum vlla nobilitas, vt Bochartus d. l. oſtendit, certe

Scilicet et Parthis inter ſua mollia rura
Manſit honor: veniat Caudini ſaxa Tiburni,
Gar-

certe hoc tempore; dubito an non alius locus quaerendus. Celeberrimi vero fuere Amazonum equi, in campis Themiſcyriis ad Thermodonta, vt omnibus notum. iam proxima Themiſcyrae eſt *Sidene*, teſte Strabone lib. XII. p. 547. et hoc probabile facit ſimilis corruptela apud Val. Flac. VI, 74. vbi importuna mentio *Syenes*, quam Heinſius putabat mutandam in *Sidenen*, Plinio quoque, lib. VI, 4. memoratam. qui dicit, fluuium quoque Sidenum alluere Polemonium vrbem proximam Themiſcyrae. vid. Dempſt. de Etrur. Regal. III. cap. 73. ita Claud. II. in Ruf. 30. *iam paſcua fumant Cappadocum, vulnerumque parens Argeus equorum.* vbi Barth. et *Cappadoces equos* laudat Nemeſ. Cyn. 241. vbi vid. Vlit. non multum tamen tribuo huic meae coniecturae, quia Cappadoces equos admodum celebrauerit antiquitas. ſed vellem de equis illis Syenenſibus certiora diſcere. *Syene* vero terrena ſiue plana recte dici poteſt. *Burm.*

508. *Et Parthis inter ſua mollia*] Malim, *propter ſua mollia crura*, quia Auctore Vegetio, lib. I. cap. 56. *Parthis conſuetudo eſt equorum greſſus ad delicias Dominorum hac arte mollire.* Sic Bochartus. Nihil tamen eſt mutandum: memoria enim fretus errauit maximus ille Vir. quod ipſa luce clarius erit, ſiquidem contextum perpenderis, qui hoc modo ſe habet. Parthis, fateor, ſuus conſtitit honor inter mollia rura, verum age, veniant ad loca ſaxoſa, confragoſa Caudini Taburni, nimirum deficient protinus, et excuſſis cadent vnguibus.. *Iohnſ.* Vindicat hunc locum egregie contra Bochart. Heinſius in Epiſtola ad Graeuium T. IV. Syll. p. 282. probante etiam Graeuio. per Parthos autem hic Niſaeum campum intelligebat, quem late ibidem Bochartus deſcribit. *Burm.*

509. *Veniat*] Haec numeri mutatio obuia. Vid. ad Ouid. VII. Met. 655. Gron. ad Liu. XXXVIII, 29. et infinitos alios. vid. et ad Nemeſ. Cyneg. vſ. 1. alias vidimus ſupra 122. 378. et ad Nemeſ. 118. *Burm.*

Caudini ſaxa Taburni] Vibio *Taburnus Samnitum* mons olivifer. Ex Marone Georg. II, 38. *atque olea magnum veſtire Taburnum.* Ibidem Seruius: *per hos montes ſignificat etiam montuoſa et aſpera loca tentanda eſſe.* Vnde conſtat cur ſaxa Tiburni mollipedi Parthorum

equo

Garganumue trucem, aut Ligurinas deſuper Alpes,
Ante opus excuſſis cadet vnguibus: et tamen illi
Eſt animus, fingetque meas ſe iuſſus in artes.
Sed iuxta vitium poſuit Deus. at tibi contra
Callaecis luſtratur equis ſcrupoſa Pyrene.
Non tamen Hiſpano Martem tentare minacem

Auſim

equo inuia canat eſſe noſter. Sed quod addit, *Taburnus autem mons Campaniae*, fidem non meretur. Campania enim Vulturno amne terminatur, vltra quem Taburnus hic. *Vlit.* Campaniae iterum montem vocat Seru. ad lib. XII, 718. Cluuer. in Ital. Ant. lib. III. cap. 7. citat, *Caudini in ſaxa Taburni.* quaſi praepoſitio eſſet neceſſaria; ille vero ponit in Hirpinis. Sed fines horum populorum contiguorum ſaepe non tam accurate cuſtodiuntur a ſcriptoribus, praeſertim a Poëtis. *Burm.*

510. *Trucem*] Rarius eſt, hoc epitheton dari monti; quod hic aſperum et ſaxoſum debet indicare: aliter *trux* poſſet dici, quia vt Lucan. V, 379. *Calabro obnoxius auſtro*, et quercubus altiſſimis obſitus horrorem incutit mugitu ſuo. quo ſenſu *trux pelagus* Horat. I. Od. 3. dicitur. et *trux ſinus Ponticus* Catul. Carm. IV. et hinc Horat. II. I, 202. *Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuſcum.* mugit vt taurus, qui proprie *trux* dicitur, Ouid. IV. Epiſt. 66. et Calp. Ecl. IV, 60. et hinc *querceta Gargani Aquilonibus laborare* dixit Horat. II. Od. 9. *Burm.*

513. *Deus*] Vid. ſupr. ad vſ. 350. *Burm.*

tibi] Hic παρέλκει, vt Calp. VII. Ecl. 34. *Sic tibi planitiem curuae ſitus ambit arenae.* et millies. vel venatorem Hiſpanum adloquitur, qui in Pyrenaeis montibus venatur. poſſet et legi *Luſtretur.* Burm.

514. *Callaecis luſtratur equis*] Equos Hiſpanos, et inter eos Callaicos, laudatiſſimos nemo ignorat, ſed bello minaci minus aptos, quam venatui cenſet. ludis Circenſibus etiam nobilitatos oſtendit egregie Cl. Drakenb. ad Sil. XVI, 330. *Burm.*

Auſim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt. at tota leui Naſamon*ia virga*
Fingit equos. Piſis Numidae ſoluere *iugales*,
Audax et patiens operum genus. ille vigebit
Cen-

516. *Ora tenacia*] Hinc Ouid. III. Am. IV, 13. *equum contra ſua vincla* (vel *frena*) *tenacem*. vbi vid. notas. *Burm.*

Murcibii] Cogitabam aliquando *Mulciberi*: ſed *Murcibios* vocari arbitror equos ex *Murcia* Hiſpaniae regione, cuius meminit Ptolemaeus. *Titius*. Fortean, *Murcinii*, a Μούρκινος, vt Appiano dicitur, vel *Myrcinii* pro Myrcinnii, a Μύρκιννος, quae Stephano eſt, πόλις κτισθεῖσα παρὰ τῷ Στρύμονι ποταμῷ. Ita vt per *Murcinios* intelligat Thracios. *Murcibii* autem ne fando quidem cogniti. *Vlit.* An *Marrubii?* dubito, quia non videtur de Italicis agere. de qua in ſuperioribus iam egit. latet populi nomen, quod diuinandum ſupereſt. *Burm.*

517. *Naſamon*] Codex Longobardicus hic loci mutilus erat. lacunam ex ingenio ſuppleuit Vlitius, Lucani loco ductus, qui ſic lib. IV, 682.

— *nudo reſidens Maſſylia dorſo*
Ora leui flectit fraenorum neſcia virga.

Iohnſ. Supplere haec, quae deſunt MSS. ardui et difficilis laboris eſt. Heinſius legebat,

— *at tota leui Naſamones habenae,*

vt ſcilicet a prioribus repetatur, *concedant ora*, tota leui habenae: et notum, habenam pro fraenis poni. Sed Afrorum equi ſunt ignari habenae, vt omnes fere ſcriptores et Vlitius ad Nemeſ. Cyneg. 264. docent, vbi tamen ex Strabone et Ammiano, quos adducit, patet, infrenes quidem fuiſſe equos, ſed habenam tamen adhibitam ex fune, qua ductari ſolebat equus, quam noſter *leuem* vocare potuit. Et quia praeceſſit *Murcibii*, malim hic

At tota leui Naſamones habenae.

deinde ſequentem verſum ita formare.

Fingit equos Piſae Numidae ſollertia nudos.

Nam et nudo inſediſſe, non inſtrato dorſo, ex Lucani, a Vlitio adducti, loco et aliis conſtat. Xenophon alter de Venat. XXIV. dicit, Libycos pueros ſaepe octennes, ſaepe maiores, equis nudis, quos virgis, vt Graeci frenis regunt, venari. *Soluer* vero, quod in ſcriptis eſt, vel *ſoluet*, pars eſt τοῦ *ſollertia*.] *Soluere*

O *iugales*

Centum actus ſpatiis, atque eluctabitur iram.

Nec

iugales quid hic faciat, non video, cum praeterea Numidas equos deberet dicere: pro *nudos* ſi quis aliud epitheton vellet ſubſtituere, per me licet, dum aptum ſit. *Burm.*

520. *Centum actum ſpatiis*] ὑπερβολικῶς. Vnumquodque certamen conſtabat VII. ſpatiis. Quis itaque credat, vnum equum XIV. certaminibus ſuffeciſſe. Siquidem toto die non plura quam XXV. decertari poterant? Scilicet hanc veniam petimuſque damuſque poëtae. *Vlit.* Heinſius legendum cenſet *Septem* loco τοῦ *centum.* Sed recte Vlitius. *Iohnſ.* Vid. Heinſ. ad Ouid. Halieut. vſ. 68.

iram] Sententia huius loci ſatis quidem clara, at in verbis difficultas: quid enim eſt *iram eluctari?* num, ſolitos retinere animos, vimque infractam? at nullum occurrit exemplum ſimilis ſignificationis. Malo itaque *ira* pro *iram.* error natus eſt ex modo ſcribendi. Nota enim ablatiui caſus, inſcitia exſcriptoris, conuerſa eſt in *m. eluctabitur ira* idem eſt, ac ſi dixiſſet, eluctabitur ardens, ardore animi nondum imminuto per ſpatia eluctabitur. *Iohnſ.* Nihil temere mutandum. Equi enim in certaminibus illis finguntur ſemper magnum ſpirare, et, antequam emittuntur, ipſa repagula pulſare, naribus ignem efflare, et ſimilia. haec eſt illa ira, quam eluctantur deinde currendo, nec tamen deficiunt tot acti ſpatiis. eodem modo, quo vates Calchas a Stat. II. Achill. deſcribitur intrantem Deum fateri pallore, oris igneo rubore et ſanguineo, crinibus horridis etc. qui vſ. 524.

Tandem feſſa tremens longis mugitibus ora
Soluit, et oppoſitum vox eluctata furorem.

Alia forma verbo hoc vſus Pacat. Paneg. cap. XXXIV. de fluuio, qui ſpumat decolor cruore, et cunctantes meatus, *vix eluctatis cadaueribus euoluit*, pro *vix eluctatus cadauera.* fruſtra itaque gloriatur ſe hunc locum reſtituiſſe Iohnſon ad Nemeſ. Cyn. 269. Fraudi fuit viro docto, quod *eluctari* verbum neutrum crederet. Sed vide Rhenan. ad Tacit. III. Hiſt. 59. ſenſus vero idem, qui ſupra 275. *quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.* non fatiſcit aut deficit in curſu. et in Nemeſian. Cyn. 269. *Burm.*

Nec magni cultus; ſterilis quodcumque remiſit
Terra, fuit, tenueſque ſitim producere riui.
Sic et Strymonio facilis tutela Biſaltae;
Poſſent

521. *Nec magni cultus*] Paruo nutriuntur; vel non indigent multo ſtudio et cura. *Titius.* Forte ita conſtruendum, *nec cultus magni eſt*: vt *tanti eſt*, et ſimilia dicimus, de quo ſupr. ad vſ. 439. in Ald. ante *nec* erat Aſteriſcus. *Burm.*

522. *Fuit*] Sic Vlitius. Barthius coniecit *ſatis* vel *cibus*. et *producere* poni volunt loco producebant. Nihil ſane certi eſt ad hunc locum, quod afferam; aliquid tamen opinor, quod ſpeciem veri habet. Sic itaque lego.

Nec magni cultus: ſterilis quodcumque remiſit
Terra famem, tenueſque ſitim produxere riui.

Neſciebat ſcilicet exſcriptor, *produxit*, vnde τὸ *famem* pendet, ſubintelligi in *produxere*: ipſum quoque *produxere* in penultima corripi poſſe ignorabat. Quis neſcit, omnia olim praeterita in *erunt* ex arbitrio ſcribentis modo longa, modo breuia fuiſſe? quidni et praeterita in *ere* poſſent eadem lege breuia reddi? Sed haec diffidenter. *Iohnſ.* Et merito: nullum enim exemplum proferri poſſe credo talis corruptionis: in *tulerunt*, et ſimilibus notum eſt: in *ere* ignoro: ad talia non ſufficit auctoritas ſcribentis, ſed veterum conſuetudo probanda. *Burm.*

ſitim producere] Non ſitim ſedare, ſed producere ſaltem eam poſſunt tenui riuo, quia facile tolerant. *Producere*, pro producebant, vel ſubintellecto, ſolent. *Vlit.* Imitatus Maronem Ecl. V, 47.

— *quale per aeſtum*
Dulcis aquae saliente ſitim producere riuo.

Idem *in Add.* Atqui in Virgilii loco legitur *reſtinguere riuo.* Heinſius legebat; *terra ſubit, tenueſque ſitim producere riui.* Barth. edidit, *terra ſui, tenueſque ſitis p. riui?* locus hic difficilis. et vſus vocis *remiſit* inſolentior, quae capienda pro ſubmiſit, emiſit in ſinu ſuo. *tenues* ſunt aquae paucae et exiguae. vid. ſupr. 395. et in Halieut. 18. et Propert. I. XI, 11. *tenuis unda. tenueſque ſitis* eſt in Pithoean. editione. conſtructio intricatior, per Helleniſmum poſſet expediri, *riui tenues producere ſitim.* id eſt qui tantum differunt, non exſtinguunt ſitim, quia ſunt tenues. *Burm.*

Poſſent Aetneas vtinam ſe ferre per arces;
Qui ludus Siculis. quid tum, ſi turpia colla,
Aut tenuis dorſo curuatur ſpina? per illos
Cantatas Graiis Acragas, victaeque fragoſum
Nebroden liquere ferae. O quantus in armis
Ille meis, cuius dociles pecuaria foetus
Sufficient, quîs Chaonias contendere contra
Auſit,

524. *Poſſent Aetnaeas*] Cluverius Siciliae lib. II. cap. 11. ſic hunc citat verſum.

Poſſent Aetnaeas vtinam ſe ferre per Arces.

Iuga montis Aetnae intelligit: recte. His enim opponuntur Siculi equi, quibus, quantumvis alias ſpecie deformi, ludus erat Nebrodes ſuperare montes et damas hinnuloſque inde pellere. *Iohnſ.* Heinſius *Eleas artes*, vel *Aetneas arces* corrigebat. hoc, quod Cluueri eſt, probo. *Arces* pro montibus dici obuium. vid. ad Petron. CXVI. et Val. Flac. III, 565. *Aetnaeas* pro Siculas dixit. *Burm.*

525. *Qui ludus*] Interpretandum eſt, quod facillime faciant equi Siculi. *ludus ioc uſque* eſſe dicitur eodem ſenſu de re nullius fere momenti, et quae facile fit, nullo labore, ſed voluptatis et animi cauſſa. vid. Heinſ. ad Claud. III. in Stilic. 156. et alios paſſim. ita fere Val. Flac. III, 56. *Ludus et ille Deo.* Burm.

527. *Victaeque*] Heinſius ad illa Sil. Ital. XIV, 236.

Nebrodes gemini nutrit diuortia fontis.

malebat, *actaeque ferae.* quia *agere* et *agitare feras* verba ſunt venatoria; ſed non minus *vincere feras*, et *ſiluas* eſt obuium, vt vidimus ſupr. 494. Repetendum vero, per illos, Siculos equos, victae ferae liquere Nebroden, ſiue fuga inde expulſae, ſiue in venatu occiſae. *Burm.*

528. *Nebroden*] Strabo, Νεβρώδη ὄρη. a νεβρὸς Hinnulus. montes Siciliae dicti Nebrodes, non tantum ex parte, qua in Tuſcum prominet mare; ſed nomen hoc vltra medium etiam inſulae verſus mare Africum ad fontes vſque Acragantis et Halyci amnium extenſum fuit. *Cluuer.* Iohnſ.

530. *Queis Chaonias contendere contra*] Epiroticas, et ita inter-

Auſit, vix merita quas ſignat Achaïa palma!
Spadices vix Pellaei valuere Cerauni,
Et tibi deuotae magnum pecuaria Cyrrhae,
Phoebe, decus, noſtras agere in ſacraria tenſas.
Venanti melius pugnat color: optima nigri
Crura illi, badioſque legunt *in pectore crines*,
Et quo-

interpretatur Seruius Virgilianum illud I. Georg. 7.

— *veſtro ſi munere tellus*
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.

Idque clare patet ex eodem Marone, qui dicit III. Aen. 292.

Littoraque Epiri legimus portuque ſubimus
Chaonio.

Titius. Heinſ. *Chaonios* malebat, et mox *quos*: non male: notanda vero locutio *contendere equos Chaonios.* pro conferre, comparare et ſimul in certamen quaſi mittere. de qua locutione vid. Torr. ad illa Horat. I. Ep. X, 26.

Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum.

Poſſet tamen et hic capi, quos auſit contendere Chaonios contra hos equos? *Burm.*

532. *Spadices*] Aul. Gell. l. II. c. 26. *Phoeniceus, quem tu Graece* φοίνικα *dixiſti*, *et rutilus et ſpadix Phoenicei* συνώνυμος, *qui factus e Graeco noſter eſt, exuperantiam ſplendoremque ſignificant ruboris.* Iohnſ.

Cerauni] Equi Macedonici. Ceraunii enim ſeu acroceraunii montes ſunt, qui Epirum a Macedonia diſterminant. *Iohnſ.*

533. *Pecuaria Cyrrhae*] Phocenſia. Ordo hic eſt: *Et pecuaria magnum decus Cyrrhae deuotae tibi, Phoebe*, vix venatui apta eſſe. *Vlit.*

534. *Tenſas*] Ego figuratam locutionem eſſe puto, illos equos vix valere ad venatum: *agere tenſas noſtras in ſacraria*, eſt, poſſe adhiberi ad ſacra noſtra, ſiue artes noſtras, id eſt, venaticas. *Burm.*

535. *Melius*] *Mellis p. color* Graeu. ego haec vix intelligo, nec, quomodo color pugnet venatui, capio: forte, *venanti niueus pugnat color*. Burm.

536. *Crura illi*] Ita quidem ſuppleui vulgatam, vt aliquis ſenſus

Et quorum feſſas imitantur terga fauillas.
*O qua*ntum Italiae, ſic dii voluere, parentes
Praeſtant, et terras omni praecepimus vſu!
Noſtraque non ſegnis illuſtrat prata *iuuentus.*

* * * * * * * * *

Nonnulla eroſa penitus legi non potuerunt in illo vnico huius et ſequentis poëmatii exemplari Longobardicis literis ſcripto.

ſenſus ſit; malim tamen: *optima nigri* Crur*a pili*, vel *optima nigris* Crur*a* pilis. Laudantur enim badii, cruribus nigris ſuffulti, vt plurimi ſunt apud Anglos. *Vlit.* Haec omnia incerta. nam, cur tantum crura nigra velit, nullam cauſſam video, aut badios crines, per quos iubas deberet intelligere. certe badios equos vocari a cutis vel corporis colore conſtat, de quibus multa Salmaſ. Exerc. Plin. p. 935. *Burm.*

537. *Feſſas imitantur terga fauillas*] Coloris non ita ardentis et viuidi, ſed remiſſi potius et quaſi conflaueſcentis. *Titius.*

538. Haec et caetera, quae ſequuntur, diuerſo charactere impreſſa, Vlitiana ſunt. Codice enim Longobardico nonnulla penitus eroſa legi non potuerunt. *Iohnſ.*

M. AVRELII OLYMPII NEMESIANI

POETAE CARTHAGINIENSIS

CYNEGETICON

SIVE

DE VENATIONE

LIB. I.

EIVSDEM DE AVCVPIO FRAGMENTA DVO.

M. AVRELII OLYMPII
NEMESIANI
POETAE CARTHAGINIENSIS
CYNEGETICON.

Venandi cano mille vias: hilareſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri proelia ruris,
Pandi-

1. *Venandi cano mille vias*] dictum eſt *mille vias*, quomodo a Virgilio, *tibi nomina mille, mille nocendi artes*: neque aliter Ouidius III. Art. 367.
Mille face eſſe iocos.
Titius. Exordium huius Poëmatis merito accuſat Scaliger: quid enim duos diuerſos numeros in propoſitione neceſſe habebat ponere, *cano* et *pandimus*, cum liberum haberet, vtrum vellet eligere iam inde, priuſquam inciperet? Sed quis ſponſorem dabit, Nemeſianum non ſcripſiſſe, vt diſertis litteris in antiqua Editione, typis eſt excuſum, *pandimur?* quod ego quidem omni ſacramento contendam, a Poëta perſcriptum eſſe. Nam oeſtro Aonio ait ſe concuti, Deumque pandere pectus ſuum, vt ingrediatur. Et hanc lectionem qui improbet, neminem tam improbum futurum ſperamus, cum cogitabit, quam magnifica et quam Deo iam plena ſint illa: *Aonio ab aeſtu pectus mihi aeſtuat*, et *Helicon vocat ire per ingentes agros*, quae θεόσσυτον mortalem ſonant. *Barth.* Sed ſi Deus intrat, obſeſſus adhuc eſt ſpiritu illo et aeſtu Poëta, et prius eluctari illum furorem, vt Calchas ille apud Stat. II. Ach. 525. debuit, antequam *pandimur* exclamare poſſet: et quis eo ſenſu vmquam dixit *pandimur?* variatio vero illa numeri paullum diuerſa ab illa, quam vidimus ad Grat. vſ. 509. ſed tamen frequens etiam aliis. Cicer. V. Fam. 14. *nec poſſum te, ſi concedis, quod ſentimus, vt liberius dicamus, non accuſare.* vbi plura exempla adduxit Cortius. Ouid. IV. Faſt. 863. *Dicta Pales* NOBIS, *idem Vinalia dicam.* vbi *dicemus* debebat eſſe. Propertius I. VII, 5.

 Nos,

Pandimus: Aonio iam nunc mihi pectus ab oeſtro
Aeſtuat. ingentes Helicon iubet ire per agros:
Caſtaliuſque mihi noua pocula fontis alumno
Ingerit, et late campos metatur apertos:
Imponitque iugum vati, retinetque corymbis
Impli-

Nos, vt conſuemus, noſtros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum ſeruire dolori
Cogor.

Stat. Epiſtola ante lib. III. Silvar. *Metium celerem, quia ſequi non poteramus, ſic proſecutus ſum.* ſed modus eſto in magna exemplorum copia. *Canere* vero et *pandere*, itidem iungit Auien. terr. deſ. vſ. 895.

Inuentore canam Phoebo, Muſiſque magiſtris
Omnia veridico decurrens carmine, pandam.

Burm.

hilareſque labores] *Hilaroſque* malebat Heinſ. qui Prudentio etiam Hamart. 374. *hilaram plebem* dedit. vid. et ad Nemeſ. Ecl. I, 12. idem eſt, quod *laetae venantibus artes* Gratio. *Burm.*

3. *Ab oeſtro*] Furore poëtico. *Barth.*

4. *Ingentes*] Recte *ingentes*, vt venatoribus mos: ita Maenalus *ingens* Ouid. V. Faſt. 89. *mare ingens* et *aequor* paſſim. ita *iuga longa* in venatu ſaepe Poëtae v. ad Ouid. IV. Ep. 40. et V, 20. Helicon vero ponitur pro incolis, vt Apollo et Muſae; et ita centies loca, pro qui in illis ſolent verſari. *Burm.*

5. *Caſtalius*] *Caſtaliique* Meurſ. Scriuer. Heinſ. ſed repetitio illa literae *i* ingrata. poſſet et legi.

Caſtaliuſque mihi noua pocula fontis alumni
Ingerit.

vt *fons alumnus* ſit, qui alit vates. de voce *alumnus* vid. ad Ouid. IV. Met. 421. et alibi. Apollinem vero vocari alumnum fontis Caſtalii non placet, nec quemquam ita locutum noui. ſed quo minus Caſtalius, Apollo ipſe ſit, non intercedo. *Burm.*

6. *Ingerit*] Statim praebet: copia enim hoc verbo ſignificatur. Catull. Epig. XXVII.

Miniſter vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores.

Titius.

7. *Imponitque iugum vati*] Eodem ſenſu dixit Virgil. VI. Aen. 80. *fera corda domat.* Titius. In currum ſe ſubdi a Muſis et eorum

Implicitum, ducitque per auia, qua ſola numquam
Trita rotis. iuuat aurato procedere curru:
Et parere deo: virides en ire per herbas
Imperat: intacto premimus veſtigia muſco.
Et quam-

et eorum fonte Caſtalio ait, vt Propertius *equum* ſe dixit *Aonium*. Barth.

8. *Qua ſola n. trita rotis*] Hac ſententia plures vtuntur ad ſui operis commendationem; ſed aut neſciuit aut diſſimulauit Nemeſianus, Gratium multo ante hoc eodem titulo poëmatium edidiſſe, nam alioqui quo ore hoc de ſe affirmare audeat? *Titius.*

9. *Curru*] Elegantiſſimus verſiculus, qui pompam procedentis currus ob oculos grauitate dictionis ponere ſatagit. Pindarus Iſthm. II. *οἱ μὲν παλαιοὶ φῶτες, ὅσοι χρυσαμπύκων ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον*, hoc eſt, Poëtae. *Barth. currus* ſaepe apud Poëtas notat ipſa carmina, opus, aut ſpiritum illum, qui eos impellit. Ouid. II. Art. 426.

Interior curru meta terenda meo eſt.

Ita *rota* I. Art. vſ. 39.

— Haec noſtro ſignabitur area curru,
Haec erit admiſſa meta terenda rota.

et 264.

Praecipit imparibus vecta Thalia rotis.

vid. et Propert. III. I, 11. et quae paſſim obuia. Sic Pindarus Ol. IX, 120. optat vt ſit

Εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι
Πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ.

et Pyth. X, 102. *ἅρμα Πιερίδων τετράορον*. haec ſatis oſtendunt, Poëtam gloriari de carmine ſuo, a Deo ipſi inſpirato. recte ergo Barthius expoſuit locum, quem et vide ad Grat. Cyn. 150. et Claud. I. de Laud. Stilic. 23. *Burm.*

10. *Et parere Deo*] Ob id, quod ait Ouid. III. Art. 549.

Eſt Deus in nobis, ſunt et commercia coeli:
Sedibus aetheriis Spiritus ille venit.

Titius.

11. *Intacto premimus*] Similis gloriatio Propertii III. I, 17.

Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina noſtra via.

Heinſ. omiſſo verſu ſeq. ita fingebat,

Imperat, intactoque premi veſtigia muſco.
Obuia Calliope. Fas eſt inſiſtere prato
Complacito.

Meurſ.

Et quamuis curſus ſe oſtendat tramite noto;
Obuia Calliope, facies inſiſtere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita ſulcis.
Nam

Meurſ. in verſu inſerto legebat, *curſus oſtendat*, et mox *facias*: vt ſit ſenſus, quamuis obuia Calliope oſtendat curſus, id eſt materiam promptam et aptam carmini offerat, vt poſtea per partes variarum fabularum deducit, tamen intacta potius perſequi eſt animus. non male, ſi ad ipſam Calliopen ſermo dirigatur, cum Vlitio,

Et quamuis curſus oſtendas tramite noto
Obuia Calliope, facias inſiſtere prato.

Quamuis Muſa me ad aliam carminum vulgatam magis et a Poëtis pluribus celebratam materiam inſtiges, et quaſi manu oſtendas vias notas, facias potius me inſiſtere placitae mihi materiae: non vult eadem ſemper orbita, vt Poëtarum vulgus, decurrere. *Burm.*

13. *Facile eſt*] Ita ego. *facies* A. et P. *Vlit.* *Facias* etiam Scaliger, poſſet et cum Vlitio *quo luceat* legi, pro *vt*, quemadmodum ſaepe apud Ouidium. vid. ad Epiſt. XVIII, 203. et XX, 23. et alibi. *Burm.*

14. *Qua luceat*] Calliope facias, me inſiſtere prato complacito, *qua luceat orbita rudibus ſulcis*, hoc eſt, qua illam ego primis ſulcis lucentem faciam. *Rudibus* eſt adhuc inſolitis teri. Sic Claudianus Praefatione Raptus

Inuenta ſecuit primus qui naue profundum,
Et rudibus remis ſollicitauit aquas.

Virg. Georg. II, 211.

At rudis enituit impulſo vomere campus.

Quem reſpexit Nemeſianus hoc loco. Propertius lib. II. Eleg. XX, 39.

Et qui mouiſtis duo littora, cum rudis Argus
Dux erat, ignoto miſſa columba mari.

Idem lib. III. XX, 17.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hoſpes.

Sic *rudimenta* ſunt initia omnium rerum. Pari modo vſurpatum τὸ *luceat*, quod omnia noua *lucere* videantur, translatione ab metallis, et aliis rebus, quae hoc proprie recentes ſolent. Vel *luceat* dictum pro eluceat, vt apud Gratium v. 87.

Lineaque extritis lucent anconibus arma.

Barth. Quem et vide XV. Adu. 8. et notas ad Val. Flac. I, 69. vbi *ignarae Cereris terrae*. et ita *rude ſolum* Ouid. III. Am. VI, 12. *Luceat* vero *orbita*, quia ſemitam facit lucidio-

Nam quis non Nioben numeroſo funere moeſtam
Iam cecinit? quis non Semelen, ignemque iugalem,
Letalemque ſimul, nouit de pellicis aſtu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Vt pater omnipotens maternos reddere menſes

Digna-

lucidiorem, vid. Barth. ad illa Claudiani conſ. Olybr. 101.

— curſuque rotarum
Saucia diuiduis clareſcunt nubila ſulcis.

Burm.

16. *Ignemque iugalem*] *Ignem iugalem* Nemeſianus eum dicit, qui praelatus in nuptiis ſolemni more veterum. *Barth.*

17. *De*] Abundat haec particula, *De pellicis aſtu.* nihil eſt quam pellicis aſtu. Vide, quae ad Virgilii Ceirin notauimus. *Barth.* Et ad Claud. Praef. lib. II. in Eutr. vſ. 25. et Adu. XVII, 17. ſed *de* etiam poteſt notare propter, vt *de cauſſa* Cicer. VI. ad Fam. 10. vbi v. Manut. vid. ad Nemeſ. Ecl. II, 11. *Burm.*

pellicis] Iunonis. Vlitius *Pellicem* pro nouerca accipit; non tamen ſatisfacit. aut igitur ſimpliciter ſignificat, *quae pellexit.* Iuno enim induxit Semelem, orare Iouem, vt liceat ſibi cum eo concumbere, eadem induto maieſtate, qua ipſam ſe amplecti ſolebat. aut acerbitatem Iunonis exoſus Poëta nomen *pellicis* Iunoni magis tribuendum cenſuit. *Iohnſ.* Addendae notae Barthii ad Stat. VII. Theb. 160. an legendum, *de pellicis aeſtu*, id eſt, Semeles ardore, cupidine cum Ioue ea ſpecie concumbendi, qua cum Iunone conſueuerat. et ita vulgata Pellicis ſignificatio ſervaretur.

18. *Recreata*] Denuo creata. Gloſſae. *Recreatio*, παλιγγενεσία. Lucretius lib. V, 323.

— recreari cum recipit res.

Creari autem naſci eſt. Ouid. IV. Triſt. X, 91.

Nec ſtirps prima fui, genito ſum fratre creatus.

Barth. Renouata. Ereptus enim erat ab aluo Semeles, et inſutus femori Iouis. Ouid. Metam. III, 310. *Iohnſ.*

19. *Reddere*] Reſtituere, quos rapuerat. Sed non inſuper putandum, quod in vetere libro legitur, *Maternis addere menſes dignatus. Maternis*, quos interruperat Iuppiter, ſuo in femore concluſo Baccho addere

Dignatus, iuſti complerit tempora partus?
Sunt qui ſacrilego rotantes ſanguine thyrſos
(Nota nimis) dixiſſe velint, qui vincula Dirces,
Piſaeique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, ſponſaſque truces ſub foedere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia taedis.
Bibli-

dere dignatus eſt. *Barth. Maternos addere* Heinſ. volebat. qui deerant Baccho, ante tempus matri excuſſo. ceterum haec ſublegit Statio, qui lib. VII, 166.

— *cui tu dignatus limina vitae,*
Praereptumque iter, et maternos reddere menſes.

vbi vid. Barth. *Maturos* etiam coniecerat Heinſ. *maternis addere* mihi non diſplicet ſc. menſibus maternis addere menſes, qui reſtabant, iuſto tempori parturiendi. *materna tempora complere* dixit Ouidius. *Burm.*

21. *Sunt, qui ſacrilego*] Penthea intelligit. Ouid. I. III, 712.

Prima ſuum miſſo violauit Penthea thyrſo
Mater.

Ipſum Ouidium vide l. III. vſ. 716. ita lege hos verſus,

— *cunctae coëunt, trepidumque ſequuntur;*
Iam trepidum, iam verba nimis violenta locutum.

qui iam agnoſcit, ſe nimis violenta locutum eſſe. *Iohnſ.* Sed an *locutus*, eſt agnoſcens ſe eſſe antea locutum? imo iam videns imminere necem, minora et minus violenta loquitur. vid. notas doctorum ad ipſum locum. *Burm.*

22. *Dixiſſe*] Id eſt, ceciniſſe. Ita mox: *Biblidos indictum nulli ſcelus.* Vlit. *Duxiſſe* malebat Barthius. *Vlit. in Add.* Obuia haec commutatio. vid. Broukh. ad Prop. I. VII, 1. et II. X, 12. vtrumque habet, quo ſe tueatur. vid. inf. ad Nemeſ. Ecl. I, 63. et alibi ſaepe. *Burm.*

23. *Piſaei*] Oenomaus Piſae rex filiam habebat pulcerrimam Hippodamiam, quam multis procis ambigentibus legem fixit, qui ſe pernicitate quadrigarum ſuperaret, filiam duceret. Qui non, Amorem irritum lueret vita. Interemit multos. *Barth.*

24. *Sponſaſque*] Danaidas. *Iohnſ.*

foedere] Nihil magis obvium in amatoriae rei Poëtis, quam concubitum *foedus* vocare. Ouid. II. Art. 578. *veniunt ad foedus amantes.* Epiſt. IV, 147. *properataque foedera iungi.*

Biblidos indictum nulli ſcelus: impia Myrrhae
Connubia, et ſaeuo violatum crimine patrem
Nouimus, vtque Arabum fugiens cum carperet arua,
Iuit in arboreas frondes, animamque virentem.

Sunt

iungi. vbi alii *gaudia.* et ita centies. *Dulcia* gaudia vero proprie dixit. vid. ad Ouid. IX. Met. 557. *Burm.*

26. *Biblidos*] Haec Mileti filia fuit, quae propter amorem Cauni fratris ipſa ſe interfecit. Ouid. Metam. IX. *Titius.*

27. *Connubia*] Concubitum. Sic *coniugium* vſurpat Tibullus lib. III. Lucret. lib. III, 773.

Denique connubia ad Veneris, partuſque ferarum
Eſſe animas praeſto deridiculum eſſe videtur.

Barth. Credo innuere locum Tibulli III. IV, 74. et 79. ſed ibi aeque commode, quam in alio loco II. II, 19.

Flauaque coniugio vincula portet Amor.

de legitimo amore exponi poteſt. vide Broukhuſium. verum tamen eſt, has voces, *nuptias*, *coniugium* etc. poni pro coniunctione qualibet. Vid. Munker. ad Ouid. Argum. IV. Met. fab. 12. et comm. ad Petron. XXV. et ita *coniux* pro amica, vid. Broukh. ad Tibull. III. II, 4. *Burm.*

27. *Saeuo*] Vlitius *foedo* vel *ſcaeuo.* quam emendationem confirmat Ouid. X. vſ. 319.

— *Foedoque repugnat amori.*

Iohnſ. Amor certe foedus erat. ſed crimen amore foedo commiſſum, *ſaeuum* recte dicitur. quod *maius ſcelus odio* Ouidio dicitur X. Met. 315. et ipſe *amor ſaeuus* paſſim dicitur. vid. Ouid. XVII. Amor. 190. quia vulnus dat, quod etiam ſaepe *ſaeuum* vocatur. *Burm.*

violauerat] Virgilius Ceiri.

Coniugium charae violauerat Amphitrites.

Violare enim proprie ad caſtitatem laeſam pertinet. *Barth.*

28. *Carperet*] Pedibus ſcilicet. Virgil. lib. VI, 629.

Sed iam, age, carpe viam.

Barth. Quod plene eſſert Ouid. I. Triſt. X, 23.

Nam mihi Biſtonios placuit pede carpere campos.

et II. Art. 230.

Si rota defuerit, tu pede carpe viam.

et centies. *Burm.*

29. *Iuit in arboreas*] Admodum eleganter. Mutata eſt tota in arboreas f ondes. *Barth.*

Ita

Sunt qui ſquamoſi referant fera ſibila Cadmi,
Stellatumque oculis cuſtodem virginis Ius,
Herculeoſque velint ſemper numerare labores,
Miratumque rudes ſe tollere Terea pinnas
Poſt epulas, Philomela, tuas. ſunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaëthonta loquantur,
Extin-

Ita ſaepe Ouidius in Metam. vid. IV, 396. VIII, 254. et alibi. Heinſ. malebat hic, *irit in arb.* Burm.

animamque virentem] Nymfae enim in arboribus, quarum vita viret et ſeneſcit cum illis. Merito ergo *animam virentem* dixit, quae cum virente arbore viret, marceſcente moritur. *Barth.* Vid. et Barth. ad Stat. VI. Theb. 95. et 113. Heinſ. ad Ouid. Faſt. IV, 232. et alios multos. *Burm.*

31. *Stellatumque oculis*] Cuius vniuerſum corpus oculis oblitum erat, vt coelum ſtellis. *Barth.* Participium eſſe ſine verbo ait Seru. ad IV. Aeneid. 261. male. nam et *ſtellantes gemmas* dixit Ouid. I. Met. 723. qui *ſtellatum* Argum dicit ibid. 664. vide de hac voce Iuret. ad Symmach. III. Ep. 2. et Salmaſ. ad Poll. Gallien. Iun. cap. 2. et Weitz. Ind. in Dracont. qui vſ. 538. *ſtellare agros floribus dixit.* Burm.

33. *Rudes*] Heinſius malebat, *rudi ſe tollere Terea pinna.* certe elegantius. Ouid. II. Metam. 709.

Hinc ſe ſuſtulerat paribus caducifer alis.

Ep. XVI, 71.

— — — Et ſe
Protinus aetheria tollit; in aſtra via.

et ita ſaepe, vid. ad Grat. 311. ſed Nemeſianum non ſemper fas emendare ad prioris aeui elegantiam. Praeterea non apte ſatis cohaerere puto haec ſuperioribus, cum *numerare* praeceſſerit, quod ad *Terea* nihil facit. forte repetito ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃, *ſunt qui*, legendum,

Mirenturque, rudes ſuſtollere Terea pinnas.

Suſtollere in vſu fuiſſe vidimus ad Ouid. XIII. Met. 542. poſſet et *mirari*, vt a τῷ *velint* regatur. *Burm.*

34. *Ardua mundi*] De hac phraſi vid. quae notauit Iuretus ad Symmachum. *Barth.* inf. 288.

35. *Male tentantem*] Infeliciter, et aduerſa fortuna. *Barth.*

Obuia

Extinctaſque canant emiſſo fulmine flammas,
Fumantemque Padum, Cygnum, plumamque ſenilem,
Et flentes ſemper germani funere ſiluas.
Tantalidum caſus, et ſparſas ſanguine menſas,
Condentemque caput viſis Titana Mycenis,
Horrendaſque vices generis dixere priores.
Colchi-

Obuia haec ſunt, ſed malim explicare, fruſtra, inani labore, vt Flor. III, 5. de Mithridate, *male tentatum veneno ſpiritum ferro expulit.* vid. ad Ouid. IX. Met. 190. nec omnia exempla a Barthio adducta eamdem vim vocis *male* exprimunt. *Burm.*

37. *Cycnum, plumamque*] *Padum, et Cygnum* volebat Heinſ. *Burm.*

plumam ſenilem] Canam. Ouid. II. Met. 373.

— — *Canaeque capillos*
Diſſimulans plumae.

Notiſſimum, luctu ſorores Phaëthontis iiſſe in arbores. *Siluas* vocat arbores, vt Gratius. *Barth.*

38. *Funere*] Heinſius, vel *in funere*, vel *germani funera* volebat. ita Ouid. Remed. 127. *in funere flere.* et in Ibid. 16. *funera flere*, et alibi. vtroque caſu dici *flere ademto*, et *ademtum*, vt et *dolere* et *moerere*, vidimus ad Ouid. VII. Met. 720. et IV. Triſt. X, 79. ſed et idem dixit Remed. 777. de Achille, *Hoc et in abducta Briſeide flebat Achilles.* licet ibi paullum alio ſenſu: quare, cum ita varient Poëtae, temere puto aliquid nouari. *Burm.*

39. *Menſas*] Thyeſteas. *Iohnſ.*

40. *Prioris*] Si ita legatur, non video nominatiuum, qui τῷ *dixere* coniungatur, nam ſi repetatur, *ſunt qui, dixere* non conueniet praecedentibus, *referant, velint, loquantur* etc. quare cum Heinſio *priores* lego. et *generis* intelligo, Tantalidarum vel Pelopidarum, ex quorum genere fuit Agamemnon et Menelaus: horum *vices* dicit *horrendas*, quia Agamemnon a Clytemneſtra occiſus,

— *propter quam tota Mycenis*
Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus.

vt canit Propert. III. XVII, 20. et *ſaeuam Pelopis domum* dixit Horat. I. od. 6. Adde Oreſtis et aliorum caſus. *Burm.*

Colchidos iratae ſacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchraeque incendia Glauces,
Non crimen Niſi, non ſaeuae pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem buſta ſororem.
Haec iam magnorum praecepit copia vatum,

Omnis

42. *Colchidos*] Medeae. *Iohnſ.* Vid. ad Ouid. VII. Metam. 493. *ſacris*] *Sacra venena* ſunt magica, vt oſtendimus ad Val. Flacc. VI, 477. Dira vocat Horat. Ep. V. *Burm.*

43. *Pulchraeque incendia*] Pithoeo reſtitutionem hanc debet autor noſter, ante quem vulgo, *ingentia*, nullo ſenſu legebatur. *Vlit.* Heinſius tentabat, *pulchraeque iugalia Glauces.* ſed *incendia* non debere moueri, perſuadebunt notae ad Ouid. VII. Met. 394. *Burm.*

44. *Crimen Niſi*] Neſcio, cui bono tanta cum ambitione, et tam operoſe collectis exemplis illuſtrare lectionem vitioſam, *crimen*, quam deinde ipſe reiicit Barthius. ſed haec eius conſuetudo, qui ex collectaneis et aduerſariis ſuis, eadem bis terue ad diuerſos ſcriptores ingerit lectoribus, cum facilius poſſet eo remittere lectorem. Sic iisdem fere auctorum locis τὸ *crimen* illuſtrat ad Claudian. III. Conſ. Honor. 65. et ad Stat. I. Theb. 231. Apud Ouidium etiam ſaepe deprehendimus *crinem* et *crimen* permutari a ſcribis. *Burm.*

45. *Pie furantem*] Horat. III. Od. II. *ſplendide mendax.* Barth.

nec nocturna pie furantem] Antigonen dicit. Nam Cleon poſt Eteoclem Thebanus rex, occiſos a ſe mutuo fratres, alterum certe ſepultura arcebat, Furata ergo noctu Antigone cadauer ſepeliit, vt potuit. *Barth.* Et hinc poſſent defendi *furtiui rogi* apud Ouid. Epiſt. XIV, 126. et ita Lucan. IX, 147.

Nam corpus Phariaeue canes, auidaeque volucres
Diſtulerint, an furtiuus, quem vidimus ignis
Soluerit ignoro.

Idem lib. II, 167.

Miſerorum dextra parentum
Colligit, et pauido ſubducit cognita furto.

Burm.

46. *Praecepit*] *Anticipauit*, vt loquitur Auſonius. Virg. III. Ecl. 98.

— *ſi lac praeceperit aeſtus.*

Omnis et antiqui vulgata eſt fabula ſecli.
Nos ſaltus, virideſque plagas, campoſque patentes
Scrutamur, totiſque citi diſcurrimus aruis:
Et varias cupimus facili cane ſumere praedas:
Nos

47. *Antiqui vulgata*] Imitatio eſt Virgiliana, ex III. Georg. 3.

Cetera, quae vacuas tenuerunt carmina mentes,
Omnia iam vulgata.

Vnde etiam facile fuit apud Manilium lectionem veram confirmare, qui lib. III, 28.

— *ſpecioſis addere rebus*
Carmina, vulgatum eſt opus.

Nec opus cum Barthio lib. IX. Adu. 4. corrumpere in *vulgarum*, quod verbum nobis vellem explicuiſſet, et exemplis illuſtraſſet. An credebat, eadem forma dici *vulgaris* et *vulgarus*, qua *hilaris* et *hilarus* et ſimilia? *Vulgata* vero dicuntur omnium, non modo doctorum, ſed etiam vulgi ore celebrata et nota. vid. ad Quinctil. VII. de Inſtit. Orat. 3. *Antiquum* vero *ſeculum* vocat fabuloſum, vel certe maiorum. vt fere Terent. Eun. II, 2. dixit *ſeculum prius*, id eſt praeteritum, cui ſaepe *noſtrum* opponitur. *Burm.*

49. *Totiſque*] *Notis* volebat Heinſ. ſed nihil opus. vid. ad Ecl. II, 69. *Burm.*

50. *Facili cane*] *Facilis* canis eſt *docilis*, quae vox ideo ſaepe cum illa commutatur. vid. ad Ouid. I. Art. 267. et ita apud Gratium 160. opponitur *facilis* canis *intractabili*: et in genere *facilis* pro celeri, agili, apto ad omnia ponitur. vid. ad eumdem Poëtam. I. Art. 160. inf. vſ. 191. *Queant iam nunc faciles vt ſumere praedas.* vid. inf. vſ. 106. vbi *curſu facilis* canis dicitur. vbi vide comm. ita *facilem equum* velocem exponit Schol. Voſſii ineditus apud Iuuen. VIII, 58. et eadem ratione etiam *facilis ſaltus* dicitur Claud. bel. Get. 178. vt vidimus ad Phaedr. I, 12. vbi et oſtendimus, dici *leuem curſum* cerui, et *curſu leuem* ceruum. vid. et inf. vſ. 146. *Burm.*

ſumere] *Sumere* eſt capere. *Barth.* Vid. inf. 191.

ſumere praedam] Vere, nec poëtice tantum. Praedatoria autem haec venatio antiquiſſima eſt, cum venantibus non aliud adhuc propoſitum eſſet, quam *feras interficere, et diteſcere praeda*, vt oſtendit Lucret. lib. V, 1248. *Vlit.* Vid. ad Ouid. III. Amor. VIII, 50. et ad Phaedr. II, 1.

Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audaceſque lupos, vulpem captare doloſam
Gaudemus. nos flumineas errare per vmbras
Malumus, et placidis Ichneumona quaerere ripis
Inter arundineas ſegetes, felemque minacem
Arboris in trunco longis praefigere telis,

Impli-

51. *Nos timidos lepores*] Hoc perpetuum leporum epitheton. Calpurnius. *Leporem paventem*. Barth. *Molles* vocat Propert. II. XV, 23. vbi et vſ. 29. *Incipiam captare feras*, vt hic *vulpem captare*. Burm.

53. *Flumineas vmbras*] Id eſt arbores, ſiluas, vel etiam fruticeta ad ripas fluminum. vid. ad Val. Flac. V, 149. et Gratii Cyn. 37. *Burm.*

55. *Segetes*] Καταχρηστικῶς. quia creſcunt more ſegetis. *Iohnſ.* Immo, quia denſa ſunt arundineta, et ſimilia quaſi agro conſito, qui emittit denſam ſegetem. ita *ſeges* pro agro ipſo conſito poni docuit Broukhuſ. ad Tibull. IV. I, 172. nam Arundinem ſerebant in humidis agris, bipalio prius ſubacto ſolo, et ex vna ſtirpe numeroſa ſurgit, et reciſa fecundius renaſcitur. vid. Plin. XVI, 36. iure ergo *ſeges* vocatur. et ita *meſſis* eodem ſenſu occurrit inf. vſ. 292. *Burm.*

felemque minacem] Heinſ. malebat *melemque*, quam Grat. 402. *lucifugam* vocat, quia cavis condita latet, vt hic in trunco arboris. Sed intelligit felem ſilueſtrem et feram. *Burm.*

56. *Praefigere*] Quid ſibi vult illud *prae*, neſcio. malo *perfigere*. difficulter enim, nec niſi grauiter vulnerati pereunt. *Iohnſ.* *Praefigere* retinendum: vult enim, telis in trunco latentis, caput, quod exſtat, figere, vt mucro teli eo induatur; et telis praefigere, et deinde circumferre quaſi tropaeum: nam illa vis praepoſitionis *prae*: vt ita caput *praefixum* haſtis circumferre ſaepe occurrit: Suet. Caeſ. LXXXV. Virgil. IX, 466. et centies alibi. ſic apud Plaut. Milit. I. I, 26. in MS. ex Vet. Edit. eſt, *vel Elephanto in India, quo pacto pugno praefigiſti brachium*, vbi alii *perfregiſti*. praeterea *praefigi* dicebantur ſpolia ex hoſtibus, et praeda venatu capta, quae foribus adfixa ſuſpendebantur. Manil. IV, 181. et ita hic *praefigere* felem, in trunco arboris poſſet capi. ita Val. Flac. I, 837.

Galeis

Implicitumque ſinu ſpinoſi corporis Erem
Ferre domum: talique placet dare lintea curae;
Dum non magna ratis vicinis ſueta moueri
Litoribus, tutoſque ſinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portuſque fideles
Linquit, et Hadriacas audet tentare procellas.

Mox

Galeis praefixa rotiſque Cui domus. hinc et *antefixa*, de quibus Gronou. ad Liu. XXXIV, 4. et Plin. XXXV, 2. ſed priorem explicationem praefero. *Burm.*

57. *Sinu*] Sinu ſpinoſi corporis implicitum: *ſinus* enim quaeuis conuolutio. Quodſi mauis *ſinu* pro gremio capere, non reluctabimur. *Barth.* Sine dubio de venatoris ſinu capiendum. Ouid. I. Art. 561. *implicitamque ſinu abſtulit.* et ita millies *ſinu*, *gremio ferre* occurrit *Burm.*

ſpinoſi corporis Erem] Notandum, *Erem* pro erinaceo aut erico vſurpaſſe Nemeſianum. Cuius quidem iam non ſubit exemplum. *Barth.* Vid. ad Calp. Ecl. VI, 13.

58. *Tali*] Heinſio placebat, vel, *parilique p. d. l. curae*, vel, *talique p. d. l. cymbae.* ego nihil moueo: *cura* enim hic pro ſtudio Poëtico, libello ſuo, quem emittet, ſumi debet. vid. ad Phaedr. lib. II. Epil. et videtur hic auctor primum hoc opus aggreſſus, et in venatu deſcribendo tyrocinium quaſi Poëticum depoſuiſſe; mox alia etiam maiora aggreſſurus, cum antea tamen iam leuiori calamo luſiſſet, vel ſi quid ante ſcripſerit, id adhuc leuioris operae fuiſſe indicat, quam hoc de venatu Poëma. Ceterum haec comparatio vulgaris eſt. *Burm.*

59. *Moueri*] De remigio capiendum verbum hoc. vid. ad Ouid. I. Art. Amat. 3. Barth. ad Rutil. I, 219. *teneri* citat, memoriae nimium confidens. *Burm.*

61. *Portus fideles*] *Statio maleſida*: contra Aeneid. II. *tuti.* Sic *lorica fidelis* apud eundem lib. IX. *Barth.* Vid. ad Grat. 52. Ouid. IV. Triſt. V, 5.

Qui veritus non es portus aperire fideles.

Burm.

62. *Tentare*] Claud. praef. ad lib. I. Rapt. 7.

Mox longos tentare ſinus, et linquere rates.

Mox veſtros meliore lyra memorare triumphos
Adcingar, diui fortiſſima pignora Cari,
Atque

Barth. Ouid. Ep. VII, 57.

Nec violaſſe fidem tentantibus aequora prodeſt.

Vid. ad Val. Flac. I, 197. et 529. *Burm.*

procellas] Recte hoc Nemeſianus; non ideo tamen apud Stat. IV. Silu. IV, 99. vbi vulgo,

Dic, Marcelle, ferat fluctus adſueta minores
Noſſe ratis, nondum Ioniis credenda periclis.

corrigendum, *Ioniis procellis* cum doctiſſimo Marklando: qui fatetur *periclis* poſſe ferri: non enim ad vnam formulam loquendi omnes cogendi Poëtae. et *pericula* latius patent, quam *procellae*: nam et ex fluctibus, vorticibus, ſcopulis pericula imminent nauibus, etiam tranquilla tempeſtate. ſic apud Manil. I, 404. de Argo Naue, *Emeritum magnis mundum tenet acta periclis.* ita Gemblacenſis et Sluſii codex, vbi repoſuerunt *procellis.* nam poſt pericula magna Argo flammifero conſedit olympo. et imitari videtur Virgilium VI. Aen. 83.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

et ita ille ſaepe. iterum Val. Flac. I, 153.

Non Iuuenem in caſus eademque pericula Acaſtum.
Abripiam.

Vbi *tuta freta* illis opponit. item lib. V, 271.

Ipſae, ego quas mecum per mille pericula traxi,
Defecere Deae.

Burm.

63. *Meliore lyra*] Vetus liber, *maiore.* Quod correctores cur mutarent, cauſſam non habebant. Et *magnus* alioqui pro ſpectatiſſimo et optimo. *Barth.* Et haec verba ſollemniter mutare ſolebant librarii. Horatium forte reſpexit, qui IV. od. 12. *Concines maiore plectro Caeſarem.* Vid. ad Phaedr. IV, pr. *Meliore* vero hic retineo propter triumphos, qui melioris lyrae carmen exigunt, fauſtioris. hic enim praelia ruris et ferarum bella canit, mox poſt bella, quibus maieſtatem Romanam vindicarunt Imperatores, multis victoriis partam pacem meliori omine canet: vt ita *meliores Dei* etc. v. ad Val. Flac. II, 152. ita *proſperiore lyra canere* Ouid. III. Art. 50. ita *melior Deus* Calpur. I. Ecl. 73. *Burm.*

64. *Diui fort. pign. Cari*] Imperatores, qui vita functi eſſent, diui appellantur, propterea

65 Atque canam noſtrum geminis ſub finibus orbis

Litus,

pterea quod ἀποθέωσιν eſſent conſecuti. *Titius.* Honorem defunctorum viuenti Principi dat, *diuum* vocans. Sed *diuum* ideo vocat Carum, quod Imperium iam in fratres filios diuiſerat, ipſe expeditionem obiens in Orientem. Quare filiis adminiſtrantibus Imperium iam quaſi diuum numero acceſſerat Carus. *Barth.* Quae ridicula et plane ἀνιςώρητα ſunt. Primum hoc errat, quod Caeſarem et Imperatorem, et Gallicanum vel Caeſareum imperium a Romano, abſolute κατ' ἐξοχὴν Imperio dicto, non diſtinxerit. Secundum, quod Numerianum aeque ac Carinum imperium adminiſtrare dixerit, oblitus, Carino Galliis praefecto, Numerianum cum ipſo Caro in Orientem profectum. Tertium, quod ſi filiis ſuis, ſimulac expeditionem in Orientem ſuſceperat, ceſſiſſet imperium Carus, nunquam ipſe imperator fuiſſet, quia cum ipſo imperio eam ſuſceperit. Tolerabilior fuiſſet, ſi primae coniecturae, honorem ſcilicet defunctorum viuenti Caro datum, propius inſtitiſſet; aut Calpurnii Ecl. I. diligentius conſideraſſet, vbi Carum iam primum Imp. factum, aliquoties Deum vocat. Sed et Aurelius noſter ſtatim abhinc: *Paene prior genitore Deo.* Caro ſcilicet, qui hanc appellationem ambiiſſe, aut ſaltem amaſſe videtur. Vnde et nummi eius, vt viri docti teſtantur inſcripti: ΘΕΩ ΚΑΡΩ. Alius: DEO ET DOMINO CARO AVG. Item alius, quem citat Caſaubonus: DIVO CARO PARTHICO. Qui tamen an viuo Caro cuſus ſit, magnopere dubitem. Aut ſit ſane. Nam ne ſic quidem Diuum Carum pro viuo accipere hic licet apud Aurelium. *Vlit.* Accedo Vlitio, nam Diuos etiam viuentes appellatos vix puto. vid. Rittersh. ad Oppian. I, 3. *Burm.*

65. *Noſtrum*] Vt mare mediterraneum *noſtrum* ſemper vocare conſueuerunt: ita Mela, Florus, et alii magno numero. vid. Freher. ad Auſon. Moſell. 286. *Burm.*

geminis ſub finibus orbis] Imperii extenſionem ad vtrumque orbis latus dicit. *Barth.* *Fines* ſunt cardines, vid. ad Ouid. II. Met. 160. eſt idem, quod dicit Petron. CXIX. *qua ſidus currit vtrumque*, vbi vide. Claud. praef. II. in Eutrop. 35.

Vtraque te gemino ſub ſidere regia damnat.

Gemini

Litus, et edomitas fraterno numine gentes,
Quae Rhenum Tigrimque bibunt, Ararisque remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.

Nec

Gemini malebat *orbis* Heinſius. eadem redit, forte *s* ex ſequenti *ſub* adhaeſit. *Burm.*

66. *Edomitas*] Prorſus quaſi eradicatas ex ſuis imperiis. *Edomare* ſuſtollere exponit Schol. Horat. lib. IV. Carm. 5. *Barth.* Hinc patet, nihil mutandum in Ouid. III. Art. 114.

— *nunc aurea Roma*
Edomiti magnus poſſidet orbis opes.

Vbi vide. *Burm.*

fraterno numine] Numen hic non Diis fratrum victoriae fauentibus, ſed ipſis fratribus attribuitur ab autore noſtro, quos mox vocat *bona numina terrae.* Vlit.

67. *Bibent*] Ex illo Maronis I. Ecl. 63.

Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

Barth.

68. *Principium*] Id eſt fontem: Mela I, 9. *Eteſiae actas a ſeptemtrione in meridiem nubes ſuper principia eius praecipitant.* Burm.

bibunt] Plane inficeta geminatio huius eſt verbi. *Barth.* Et Heinſium offenderat haec repetitio: et in vno codice emendarat *habitant*: in altero *Tigrimque*, *Albimque*, *Ararimque.* Sed facile eſt aliud quid ſupponere: ſed quis auctoris manum diuinabit? forte ante oculos habuit illud Virgilii VII. Aeneid. 717.

Qui Tiberim Fabarimque bibunt.

Ideoque potius in ſecundo verſu mutarem *bibunt*, et cum Iohnſ. legerem, *Nilique vident ab origine fontem*, vt remotiſſimas gentes et adhuc intactas et ignotas auguretur a Numeriano et Carino edomitum iri. Sic Lucanus X, 191.

— *Spes ſit mihi certa videndi*
Niliacos fontes.

et 296.

Nec licuit populis paruum te Nile videre.

Claudianus de Nilo 12. *Nec contigit vlli hoc vidiſſe caput.* nec diſſimili modo Ouid. IV. Met. 294. *ignota videre flumina.* ſic Virg. Ecl. X, 47.

Alpinas, ah dura! niues et frigora Rheni,
Me ſine, ſola vides.

Videre vero Nili fontibus conuenit egregre, quia latent reliquis terrae incolis. firmat denique hanc coniecturam,

quod

Nec taceam primum quae nuper bella ſub arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipſo
Paene prior genitore deo: vtque intima frater
Perſidos, et veteres Babylonos ceperit arces,
Vltus Romulei violata cacumina regni.

Imbel-

quod *bibere* et *videre* alias etiam confuderint librarii. vid. ad Ouid. III. Met. 416. et de verbo *videre* ad V. Triſt. V, 51. ita *cernere Thulen* Claud. III. de Laud. Stilic. 156. vbi etiam ſequitur *bibere Rhodanum.* corrumpendae forte lectioni anſam dedit Claudiani locus a Barthio laudatus, et alius Lucani, quem forte noſter imitatus eſt, lib. X, 40. *Nilumque a fonte bibiſſet*, et ita fere Poëtae paſſim. *Burm.*

Niliqne bib. ab origine fontem] Quia ignota Nili origo, remotiſſimas gentes ea deſcribebant. Claudian. in Olybr. 37.

— *Calido ſi quis coniunctus in axe*
Naſcentem te, Nile, bibit.

Barth.

69. *Primum*] Heinſ. mallet, *extrema*, vel *extremam ſub arcton.* certe incommoda vox illa *primum*, praecipue quia mox prior repetitur, ſed nihil ſuccurrit, quod ſubſtituam, niſi *primus confeceris* quis malit. vel *ſumma q. n. bello ſub arcto*, vel *ſummam Arcton.* Nam hae voces *primus* et *ſummus* confundi ſolent a librariis, ita apud Virg. X, 476. pro *tegmina ſumma*, quidam libri *prima* habent. Arcton vero et ſeptemtrionem eſſe altiſſimam mundi creditam partem probari non opus eſt. Ouid. IV. Triſt. III, 3. *ſummum axem* vocat. et ita alii. *Burm.*

71. *Deo*] Eliſionem τοῦ *o* neglexit. *Barth.* Cogitabam, *duxque intima fr.* vel potius *viue intima.* nam millies pro *vi*, *vt* ſuppoſuere librarii. vid. ad Phaedr. I, 2. Ouid. VI. Met. 690. XVII. Ep. 186. Quinctil. X, 1. et alibi ſaepe. qui hiatum malit, poterit ſimilem adducere ex vſ. 150. *Burm.*

72. *Babylonos*] *Babylonos* pro *Babylonis*, et in Accuſatiuo *Babylona* in vſu eſſe Poëtis docet Heinſ. ad Claud. IV. Conſ. Honor. 652. vbi et nos quaedam adiiciemus. *Burm.*

73. *Cacumina regni*] *Cacumina regni* vocat imperatores, vt *culmina rerum* Albin. ad Liuiam 347. vbi vide; et ad Claud. I. in Rufin. 22. de morte Cari egimus in Ioue Fulgerat. cap. 9. *Burm.*

Imbellemque fugam referam, clauſaſque pharetras
Parthorum, laxoſque arcus, et ſpicula nulla.

Haec

74. *Imbellemque fugam Parthorum*] *Imbellem* fugam explico, quod non, vt ſolerent, in fuga ſagittas retro mitterent, ſed immemores artis priſtinae fugerent effuſe, et bona fide, non reſpicientes. Pari fere modo dixit Pacat. Paneg. cap. XXII. *imbelles arcus etiam fugientis Albani.* de voce *imbellis* vid. Broukh. ad Propert. IV. VI, 36. *Burm.*

75. *Laxoſque arcus*] *Laxati arcus* apud Parthos indicium pacis. *Barth.*

ſpicula nulla] Barthius *muta* e MS. quod impenſe arridet. quid, quaeſo, eſt hoc? *referam ſpicula nulla.* cur non et arcus nullos, i. e. perditos, vt Vlitius explicat? Barthii ſeu lectionem, ſeu coniecturam libens amplector, quam docte illuſtrauit Gronouius ad Statii Syluas. (Diatr. cap. 41.) Sic enim ille: *muta ſpicula* ſunt quieſcentia, quae non per aërem ſonanti arcu impulſa ſtridorem edunt. Lucan. IX, 827. *Scythicae ſtrideret arundinis aër.* Suauiter Eurip. τοξήρεις ψαλμὸς, dixit in Hercule. Fur. 1064. Homerus Iliad. Α. 94.

Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

Stridentis ſibila teli Silius IX, 247. Dion. Perieg. de Parthis vſ. 1046.

Αἰεὶ δ' ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων
Η βελέων.

Iohnſ. Vereor, ne acutum hoc nimis ſit, et tamen *nulla* aliter explicarem, ac Vlitius: vel, vt omnia in vanum effuderint, et ideo forte legendum,

Imbellemque fugam referam, exhauſtaſque pharetras
Parthorum, laxoſque arcut et ſpicula nulla.

Ita *exhauſtam pharetram* dixit Ouid. I. Met. 443. vt contra *plenas pharetras* Val. Fl. I, 708. vel *clauſas* retineo, quas melius imbelli fugae conuenire crederem: vt fugae ſtudio obliti moris ſui fuerint, id eſt, tela ex pharetra depromere, et arcus tendere, et ideo nulla ſpicula emiſerint. et hunc verum eſſe ſenſum puto. *clauſas Pharetras* illuſtrauimus ad Ouid. I. Amor. II, 21. in quo loco notandum, tria hic Parthorum ſegnitiae contraria dici: Cupidinem ſoluta Pharetra primum legiſſe ſpicula, tum lunauiſſe, ſiue tetendiſſe arcum, demum certas ſagittas habuiſſe. quare nihil nouandum cenſeo. *Burm.*

Haec vobis noſtrae libabunt carmina Muſae,
Cum primum vultus ſacros, bona numina terrae,
Contigerit vidiſſe mihi. iam gaudia nota
Temporis impatiens ſenſus, ſpretorque morarum,

Prae-

77. *Bona numina terrae*] *Iupiter, in coelis, Caeſar regit omnia terris. Bona*, propitia. *Barth.*

78. *Nota*] Poterat probabilis videri iſta ſcriptio, niſi vetus editio praeferendam ſuaderet aliam. Illa diſerte habet, *vota:* vt mihi quidem dubium non ſit *voto* a Nemeſiano eſſe relictum. *Barth.* Illa gaudia *nota*, deberent explicari, quibus antea ſaepe frui ſolebat. ſed *praeſumere nota* an dici poſſet, neſcio. cum *nota* praeteritum tempus reſpiciant, *praeſumere* futurum. quare reſumere intermiſſa, vel nota potius dixiſſet. accedo igitur Barthio, et *voto* praefero: *praeſumere* eſt idem, quod *praecipere*, vt ita *praecepta gaudia ſumere* Ouid. XI. Met. 310. quae ante mente formauerat tacita, vt ait III. Amor. VII. adde elegantem, licèt in inceſta cupidine, locum de Tereo, apud Ouid. VI. Met. vſ. 467. et ſeq. qui *moras male fert*, et *vota* ſua ſub mandatis Procnes agit, et qui *praecontrectat* Philomelam. *Praeſumere* vero elegans verbum. Virgil. XV. Aen. 18.

Arma parate, animis et ſpe praeſumite bellum.

Quod imitatus Tacitus XI. An. 7. *quem illum tanta ſuperbia eſſe, vt aeternitatem vitae ſpe praeſumeret. ſpe* vero et *voto* idem eſt. denique Plinius III. Ep. 1. *Hanc ego vitam voto et cogitatione praeſumo.* et vt hic *voto praeſumere*, quae credimus fore, *gaudia;* ita eleganter de longa ſpe, re non ſequente, dixit Stat. I. Theb. I, 322.

— ſpes anxia mentem
Extrahit, et longo conſumit gaudia voto.

Burm.

79. *Temporis impatiens*] Id eſt mens moram ferre nequiens, et, vt in alia re Ouid. I. Art. 186. *Male ferens damna morae.* et *impatiens morae.* Sil. VIII, 4. vid. Cl. Drakenb. ad lib. V, 253. et X, 244. *Burm.*

Praeſumit: videorque mihi iam cernere fratrum
Auguſtos habitus, Romam, clarumque ſenatum,
Et fidos ad bella duces, et milite multo
Agmina, quîs fortes animat deuotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, ſinuatque truces leuis aura dracones.
Tu modo, quae ſaltus placidos ſiluaſque pererras
Lato-

80. *Videorque mihi*] Non aliter Horatius III. od. 4.

— *Et videor pios*
Errare per lucos.

Titius. Vid. ad Petron. cap. CXXV.

81. *Clarumque*] *Clarus* eſt proprium ſenatus epitheton, vt Horat. IV. Od. 6. *Claros patres* dixit, et accommodate ad noſtrum Claud. conſ. Olybr. 19. *Claro cingatur Roma ſenatu.* ſed hoc obuium, ideoque librariorum ſupini errores hinc ablegandi, nec intempeſtiuis coniecturis indulgendum. *Burm.*

82. *Multo*] Heinſius legebat *fulta.* Burm.

83. *Animat*] Incendit, quaſique inflammat, et viuentes facit. *Barth.* Vid. ad Claud. III. Rapt. 386.

animat deuotio mentes.] Nihil magis obuium his temporibus, quam ſe *deuotos* imperatori vocare et domui Auguſtae: ſed ſtricte magis de militibus explicandum, qui ſe *ſacramento* imperatori *deuouebant*, vt de Eumenis militibus ait Iuſt. XIV, 4. et hinc *deuotio* eſt ipſum ſacramentum, et in codice paſſim *deuotio* et *devoti* milites. vid. lib. III. Cod. tit. 27. *quando liceat ſine iudice ſe vindicare, ob publicam deuotionem.* plura ſunt obuia, quae petes ex Iacob. Gothofr. commentario ad L. VII. C. Theod. de diuerſ. reſcr. Ita Eumen. Paneg. pro Inſtaur. Schol. IV. *Deuotiſſimarum hiberna legionum* dixit. *Burm.*

85. *Sinuant*] Hinc *vndantes anguibus haſtas* dixit Claudian. II. in Rufin. 177. vbi vid. Comm. et in his poſterioris aeui Poëtae luxuriare vehementer ſolent. *Burm.*

86. *Placidos*] Et hic *placitos* Heinſ. malebat. et contra
ferae

Latonae, Phoebe, magnum decus, eia age ſuetos
Sume habitus, arcumque manu: pictamque pharetram
Suſpende ex humeris: ſicut aurea tela, ſagittae:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:
Sit

ferae ſiluae ſaepe dicuntur, et *agitare*, *mouere* ſiluas dici venatores ſaepe ad Gratium vidimus. *Burm.*

87. *Latonae, Phoebe, m. d.*] Vetus noſter liber inuerſa habet haec duo verba, *Phoebe Latonae*. cur aliter voluerint correctores, cauſſam nondum reddiderunt. *Barth.* Ego, ſi tranſponenda eſſent verba, malim, *Latonae magnum, Phoebe, decus*. Burm.

88. *Sume habitus*] Habitum venatoris. *Titius.*

90. *Cothurnis*] Merito. et hos inter ſuetos venatici habitus poſuit noſter, forte an imitatus Maronem Aeneid. I. vbi venatricis habitu Venus ait:

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Adnotante recte Seruio: *Cothurni ſunt calceamenta venatoria, crura quoque vincientia.* Ἐνδρομίδας vocat Callimachus et Nonnus. Feſtus *ſemiplotia ſoleas dimidiatas, quibus vtuntur in venando*, vocat. *Vlit.*

aptentur crura cothurnis] Hypallage, pro cothurni aptentur cruribus: nam crura aptari non poſſunt, ſed, vt ſunt, debent vinciri et muniri cothurnis. ita recte Suet. Tib. LXXIII. dixit. *Digito aptare annulum, et aptare vincula collo.* Ouid. X. Met. 381. et *opus*, id eſt, *alas*, *puero* II. Art. 65. et Nemeſ. Ecl. IV, 58. *Calamos aptare labris.* diuerſo quodam ſenſu idem I. Amor. XIV, 14. *Miles armiferas aptat ad arma manus.* poſſet et locutio haec ſine Hypallage ſumi pro armantur, vt Ouid. dixit *aptare pinum armamentis* XI. Met. 456. vbi vide, quae de hoc verbo diximus. hac autem in re reſpondet verbum *aptare* Graecis ἐνάπτεσθαι et κατάπτεσθαι, quibus non vtuntur de quoquam veſtitu, quo totum corpus induitur; ſed pars, vt de zona, pera, pelle Leonina etc. docente Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 946. *Burm.*

Sit chlamys aurato multum ſubtemine luſa,
Corrugeſque ſinus gemmatus baltheus artet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.

Tecum

91. *Chlamys*] Ita et Dido Aeneid. IV, 137. *Sidoniam chlamydem circumdata* venatum exiit. Et primo quoque Aen. vſ. 320. Venerem venatricis habitu ſe obuiam ferentem Aeneae chlamyde indutam fuiſſe, illa arguunt: *nodoque ſinus collecta fluentes.* Eſt autem chlamys veſtimentum apertum, oblongum, et in anguſtum deſinens: cuius ſuperiores anguli fibula infrenantur, colloque circummittuntur. Chlamydis inferior pars ſyrmatis inſtar ita dependebat, vt, ſi quis ſe ad agendum quicquam prompte accingeret, manu facile colligeretur, ſiniſtra potiſſimum. militiae id maximum habebat vſum, vt non modo non caudam illam pro impedimento traherent, ſed etiam inuoluto chlamyde brachio ictus, ſcuti vice, exciperent. Liuius lib. XXV, 16. de Ti. Graccho in Lucanis circumuento: *Inter haec dicta paludamento circum laeuum brachium intorto (nam ne ſcuta quidem ſecum extulerant) in hoſtes impetum fecit.* Itaque et venatorio modo colligenda chlamys. *Vlit.* Quod de *chlamyde contorta* dixi, confirmat elegantiſſimus nequitiarum Arbiter cap. LXXX. *intorto circa brachium pallio compoſui ad praeliandum gradum.* Vlit. in Add. De hoc more chlamyde brachium inuoluendi vid. ad Petron. LXXIII. et LXXX.

ſubtemine luſa] Virgil. II. Georg. 464. *Illuſaſque auro veſtes.* Titius. Variegata, ſcutulata. *Barth.* Vir illuſtris Spanhem. ad Call. Hymn. in Dianam 11. *fuſa* legit, et hunc habitum Dianae late explicat: et certe *fuſa* melius τῷ *multum* conuenit. et mox *corruges ſinus* dicit. *chlamys aurato ſubtemine* dictum, pro quae habet ſubtemen auratum, vt *lato venabula ferro*, et infinita talia. vide et Spanh. ad vſ. 216. vbi Atalantae ſtatuam exhibet hoc habitu. *Burm.*

92. *Corrugeſque ſinus*] *Sinus* ſaepe pro ipſis veſtibus ſumi vidimus ad Petron. cap. CXXII. hic tunica, ſiue chlamys intelligitur, certe veſtis venatoria, cuius rugae zona conſtringi debent. vid. ad eumdem cap. XL. *Burm.*

Tecum Naiades faciles, viridique iuuenta

Puben-

94. *Tecum Naiades faciles*] Epitheton eſt ex Marone Ecl. III.

Et quo (ſed faciles Nymphae riſêre) ſacello.

Titius. Et *faciles Hamadryades* Propertio II. XXV, 76. plenius dixit *facilem amori* Tibul. I. III, 75. et hoc quidem obvium: ſed corruptus in hac voce Propertius hac occaſione emendandus: ita legitur vulgo lib. III. XII, 30.

Nec quae ſit facies, nec quae ſint verba rogandi
Inuenias: caecum verſat amator iter.

Quae certe ego non intelligo. Paſſeratius explicat, amatorem, cum videat mulierem Romanam in publico, lautiſſimo ornatu, et ſtipatam agmine comitum, et fucatam et perſonatam illam vix de facie noſſe, nec ipſi rogantia verba, quibus eam ſollicitet, ſuppetere, et ideo rectum iter non inſtituere. quae omnia ex verbis iſtis, ne fidiculis quidem extorqueri poſſe puto. Nihil de fuco, aut perſona, quae prohiberet faciem cernere, ſed de veſte pretioſa, coma odorata, et agmine comitum loquitur, quae prohibent familiarius eam alloqui, et ſe inſinuare illi: cum Sparta, vbi puella mixta iuuenibus ludis ſe exercebat, faciles daret aditus, qui hinc poterant ingenium puellae, an facilis eſſet amatori, vel dura cognoſcere. Interpretes tacent, niſi quod Gebhardus in Commeliniano legi, *nec quae ſit faciles*, doceat. Vnde poſſet legi,

Nec quae ſint faciles, nec quae dent verba roganti
Inuenias.

Id eſt fallant et deſtituant operam amatorum. vel quod malim,

Nec quae ſit facilis, nec quae ſit acerba roganti.

Cum non videas mulieres Romanas, niſi cum procedant tanta cum pompa, neſcias, quaenam ſint faciles, quaenam roganti, id eſt noctem petenti, acerba et dura ſit. et ideo caecum iter ad vota eſt amatoribus. Sic certe ſenſus mihi egregius inde exiſtere videtur, qui in vulgatis nullus apparet. nam de facie non agitur, quam ſatis videre poterant amatores, ſed quia nullus vſus et familiaritas intercedebat, ingenium non poterant neſcire. et quid ſunt *verba rogandi?* an illa poſſunt idem notare, quod *verba rogantia*, *precantia*, et ſimilia apud Naſonem? *Acerba* autem eſt, quae tentanti conuicia et amara dicta regerit, et negat. Horat. I. Sat. III, 85.

Quod niſi concedas, habeare inſuauis, acerbus.

Ita

Pubentes Dryades, Nymphaeque, vnde amnibus humor,
Adſint, et dociles decantet Oreadas Echo.
Duc age, Diua, tuum frondoſa per auia vatem:

Te ſe-

Ita *acerbe loqui* Suet. Caeſ. LXXV. et *acerbitates verborum* Cal. II. eadem vis vocis *amarus*, vt apud Ouid. II. Art. 151.

Eſte procul lites, et amarae iurgia linguae.

Burm.

viridi iuuenta] Quae in flore ſunt annorum, *viridia* dicuntur. Sic et χλωρὰ Graecis. Theocr. Cyniſca Id. XIV, 70. οἷς γόνυ χλωρόν. Sic μέλι χλωρὸν apud Homerum Iliad. Λ. τυρὸς χλωρὸς Ariſtoph. Ranis. πῦρ χλωρὸν Aeſchyl. *Barth.* Eadem et plura ad Rutil. I, 116.

96. *Docilis Echo*] Epitheti rationem, quo Echo inſignitur, explicat nobis Maro IV. Georg. 49.

— *aut vbi concaua pulſu*
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

Titius.

decantat] *Decantare* eſt magna voce in publico cantare: vt ita *decantare elegos* cum magno eiulatu Horat. I. Od. 33. ſic Aur. Vict. de viris Ill. 34. *Appius Claudius epulandi decantandique ius tibicinibus in publico ademit.* vbi illa verba *in publico* forte a Gloſſatore adſcripta fuere. deſunt certe in Codice Bibliothecae Academicae. Lucan. V, 293.

Et non admiſſae dirimit ſuffragia plebis,
Decantatque tribus.

In quo loco eſt ὀξύμωρον. dirimere enim non poteſt comitia, niſi admiſſa plebe: ſed ille ne admittit quidem eam ad ſuffragia, et creat pro arbitrio magiſtratus. *Decantare* vero *tribus*, eſt iactare nomina tribuum, quaſi earum haberet rationem, cum tamen nomina earum non mittat in vrnam: ita *decantare augurium*, eſt iactare publice, ſed ſine effectu, cui apponit *diſciplinam augurii tenere* Cicero I. de Diuin. 47. *Burm.*

97. *Duc age*] Ex formula fere, quia *ſequimur* addit. vid. ad Val. Flac. I, 343. *Burm.*

frondoſa per auia] Nota, vocabulum *auia* nouo quodam modo hic vſurpari, quod alioqui ἐπιθετικῶς ſumi conuenit. *Titius.* Loca a viis remota. Virg. lib. IX, 58.

Aditumque per auia quaerit.

Barth. Vid. ad Grat. 343.

Te ſequimur: tu pande domos et luſtra ferarum.
Huc igitur mecum, quiſquis percuſſus amore
Venandi, damnas lites, auidoſque tumultus,
Ciuiles fugis ſtrepitus, bellique fragores,
Nec praedas auidus ſectaris gurgite ponti.
Prin-

98. *Domos ferarum*] Lucret. lib. I.

Frundiferaſque domos auium.

Gratius 235.

— *Iuxtaque domos quaeſita ferarum.*

Barth. vbi vide.

99. *Huc*] Omnes Cod. *Hinc.* Iohnſ. Markl. ad Stat. I. Silu. 461.

Huc igitur mecum, quiſquis etc. Optime. ſed *huc* iam Vlitius ediderat, et, *huc mecum veni*, expoſuerat Iohnſ. *Burm.*

100. *Auidos*] Recte *auidos*: omnis enim vrbanus tumultus habendi cauſſa vertitur. *Barth.* Recte coniecit Vlitius *rabidos*, vel *pauidos*. *Auidus* enim iterum occurrit verſu fere proximo. *Iohnſ.* Ego *pauidos* praeferrem, quod melius tumultibus conuenit, vt *praedis auidus* mox. eadem eſt vocum harum confuſio apud Horat. I. Od. 28.

Exitio eſt auidis mare nautis.

Vbi *pauidis* in Codice inuenit Crucquius, quod licet perpetuum ſit nautarum epitheton, hic locum non habet: et apud eumdem Art. Poët. 172.

Dilator, ſpe longus, iners àuiduſque futuri.

Vbi *pauidus* reſtituit Cl. Bentleius non male. qui tamen hoc loco *auidus* probat ad I. Od. XXVIII, 18. vid. inf. vſ. 271. ſimilem diuerſitatem. *trepidum tumultum* eodem ſenſu dixit Lucan. I, 297. et VII, 127. vbi alii Codices, *rapido confuſa tumultu*: quia etiam *tumultus* dictus a *timore multo*, vt Cicero et alii, hinc *pauidus* rectius, quam *auidus*, coacta et dura expoſitione, dici meretur. *auidam vitam* dixit Gratius 308. eo ſenſu, quo Barthius. *Burm.*

102. *Necpraedas auido*] *Auidus* Pythoe. Steyn. Aldin. nec mutandum erat. Quod autem Vlitius his verbis *piſcationem* ſignificari contra Barthium contendit, a loco alieniſſimum mihi videtur. aduerte modo ſeriem rerum. *Huc*, inquit Nemeſianus, *mecum veni*, *quicunque lites*, *tumultus*, *ciuiles ſtrepitus*, *bellique fragores* auer-

ſaris,

Principio tibi cura canum non ſegnis ab anno
Incipiat primo, cum Ianus temporis auctor
Pan-

ſaris, *nec ſectaris* piſcationem. Quicquamne frigidius aut dici aut fingi poteſt? Per *praedam* intelligas rapinam; ſed et latiori ſenſu etiam *merces externas* includat. *auidum* autem vocat *pontum*, quia nauigantes, ipſos ſimul et praedas ſaepe inhiantibus demergit vndis. *Iohnſ.* *Auidum mare* multis ad d. Horatii locum I, 28. adſtruxit Bentleius. ſed ego hic *auidus* praefero: et licet de piſcatore poſſit intelligi, vt ita *praemia parua ſequi* dixit Ouid. Remed. 208. et Prop. IV, 2. dixit, *praedari piſces calamo*, et quae forte plura ſunt: quia tamen, vt recte Iohnſon animaduertit, inter lites, bella et tumultus haec ponantur, ego et de Pirata capi poſſe rectius puto, qui ſectatur mari praedam; cum piſcator potius *ſcrutari* dicatur, et ita hic tunc *ſcrutaris* praeſtaret legi. Stat. VIII, 720. *vixerat ille diu pauper ſcrutator aquarum.* et III. Silu. I, 84. *ſcrutatoreſque profundi.* vid. Pricae. ad Apulei. Apol. p. 84. ita de venatore, qui praedam petit *ſcrutari* ſupra vſ. 49. ſed et illi proprie *ſectari* dicuntur. vid. Clar. Drakenb. ad Sil. XIV, 262. ideoque *ſectaris*, de quocumque capias, retinendum. Sed Piratae, qui proprie inde *praedones* dicti, auidi ſectantur praedas. vid. Seru. ad Virg. VII. Aen. 361. et ita in iure l. I. §. 3. ad L. Rhod. et 3. §. I. De Incend. et latronibus, qui terra praedas agunt; opponuntur. l. 9. ff. ex quib. cauſ. mai. et 118. de V. S. et paſſim. poſſet et de *mercatore* cum Barthio et Titio, vel *nauta*, qui trans mare currit, intelligi, vt per *praedas* intelligat lucra, quo iure, qua iniuria facta. vt ita *cupidos* dixit Manil. I, 294.

Summa tenent eius miſeris notiſſima nautis,
Signa, per immenſum cupidos ducentia pontum.

Vbi *cupidi* ſunt auari, auidi, qui lucra ſequuntur, et mercaturae cauſſa nauigant. Vnde *auidas* arripuerint nouae editionis architecti, neſcio. *Burm.*

103. *Anno primo*] Hoc eſt, anni principio. *Barth.*

104. *Ianus*] Ideo Ianum Romani primum in anno colunt, quia is primus, cuius inter Italicos Deos hiſtoria exſtabat. *Barth.*

Pandit inocciduum bis ſenis menſibus aeuum.
Elige tunc curſu facilem, facilemque recurſu,
Seu Lacedaemonio natam, ſeu rure Moloſſo,
Non humili de gente canem. ſit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat ſub pectore lato
Coſtarum ſub fine, decenter prona carinam,
Quae ſenſim rurſus ſicca ſe colligat aluo,
Reni-

105. *Inocciduum aeuum*] *aevum inocciduum* eſt perpetuo reuolutum orbe. *pandit* autem *Ianus*, quia Ianuarius primus eſt anni menſis. *Iohnſ.*

106. *Facilem*] Vid. ſupr. ad vſ. 50. poteſt hic dictum eſſe, vt Britanni *bello faciles* dicuntur Tacito in Vit. Agric. XXV. pro promptis in bellum, et ita alibi loqui amat ille. ſed videtur eſſe *bello* in datiuo poſitum: quare et hic *curſu* pro *curſui* eſſet capiendum: ſed parum refert. vid. ad Grat. 207. *Burm.*

110. *Coſtarum*] Vbi vtrinque terminantur et deſinunt coſtae. *Iohnſ.*

prona carinam] Ita *nauem* quoque pro ventre αἰσχρολογικῶς poſuit Plautus Menaech. Act. II. Sc. 3. vſ. 51. Et Iulia Auguſti filia *nauim* vocabat vterum. *Vlit. in Add.* Adde Barth. ad Stat. XI. Theb. 512. quod vero Iulia dicere ſoleret, ſe non niſi *plena naui tollere vectores*, nihil huc facit. nec nauem vocat vterum, ſed ludit in comparatione illa, qua merces domini primum imponebatur naui; ſicut illa onus ex marito primo ſuſcipiebat, et dum demum vectoribus et alienis mercibus locum dabat. eodem modo vt Lucretius non corpus *nauem* vocat: ſed vt nauis vento et velis, ita corpus anima regi dicit: nec Plauti loco vllam obſcaenitatem ſubeſſe oſtendit Gronouius. Ego diſtinguerem, *coſtarum ſub fine, decenter prona, carinam.* Burm.

111. *Sicca*] *Sicca* eſt macra, vt ita *ſicca* corpora paſſim dicuntur, et *arida*; et mox 136. *macie tenues, ſuccique inanes.* apud Plaut. Mil. III. I, 192. puellam, quam volebat Palaeſtrio *ſiccam ſuccidam*: eſt ita ſuccidam, vt tamen non difflueret pinguedine, aut malum odorem ſpargeret. alio ſenſu ſiccum puellum dici vidimus ad Ouid. Epiſt. XV, 134. vid. et Gonſal. ad Petron. LXXXII.

Renibus ampla ſatis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in curſibus aures.
Huic parilem ſubmitte marem, ſic omnia magnum,
Dum ſuperant vires, dum laeto flore iuuentus,
Corporis et venis primaeui ſanguis abundat.

Namque

LXXXII. eleganter vere ſe *colligat* dicit, id eſt, ſenſim contrahatur et gracilior fiat. ita Calpurn. Decl. II. *Illic effuſiorum, illic collectiora corpora naſcuntur.* vid. ad Quinctil. Decl. II, 11. *Burm.*

112. *Renibus*] Et hinc renes libidinis ſedes, quam alii lumbis attribuunt. Auſon. Ep. XIII. *vtere rene tuo.* Burm.

113. *Nimis molles*] Pro *valde.* nihil tritius apud optimos Auctores. *Iohnſ.* Verum eſt, *nimis* pro valde ſaepe ſumi, praeſertim huius aeui ſcriptoribus. neſcio tamen, an non lateat epitheton, quod curſibus accommodauit Poëta: forte *citis m. f. in curſibus aures.* vt *citi diſcurſus* initio operis. *Burm.*

114. *Submitte marem*] Admitte, iunge. *Iohnſ.* vid. ad Grat. 165.

omnia] Graecanicum. πάντα καλὸς, πάντα ὅμοιος. Virgil. IV, 558.

Omnia Mercurio ſimilis;

libro IX, 651.

Omnia longaeuo ſimilis.

Barth. *Sunt omnia magna* Scaliger.

115. *Dum ſuperant vires*] Superſunt, ſuppetunt. ſic vtitur verbo Maro II. Georg. 331.

— *Superat tener omnibus humor.*

iuuentus] Heinſius *iuuentas.* iuuentutis nimirum Dea, pro iuuentute poſita. *Iohnſ.* Vid. Heinſ. ad Ouid. IV. Met. 17. et ita edidit Pithoeus.

116. *Corporis*] Poſt hanc vocem locanda diſtinctio. In editione veteri *abundans* legitur, quod nobis non diſplicet. *Barth.* et ita Aldus.

primaeui] Adoleſcentis. *Primaeui* ſunt, qui in primo aeuo et flore annorum. Virg. lib. X, 345.

Hic Curibus fidens primaeuo corpore Lauſus.

Auctor Phoenicis.

Aſt vbi primaeua cepit florere Iuuenta.

Pedo

Namque graues morbi ſubeunt, ſegniſque ſenectus:
Inualidamque dabunt non firmo corpore prolem.
Sed

Pedo in Maecen. obit. 3.

Mene, inquit, iuuenis primaeui, Iupiter, ante
Auguſtam Bruti non cecidiſſe fidem.

Et *primum aeuum* Iuuentas ipſa. Val. Flac. VII. Arg. 338.

Occidis! heu primo potes hoc durare ſub aeuo.

Barth. Eadem videbis ad Rutil. I, 172.

abundat] Heinſ. malebat *inundat*. Scal. *et vernus primaeui ſ. abundat*: eſt vero imitatio Virgilii ex lib. II. Aeneid. 638.

— *Vos o, quibus integer aeui*
Sanguis, ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore vires.

Val. Flacc. I, 336.

— *O ſi mihi ſanguis*
Quantus erat etc.

Vid. ad eumdem lib. IV, 192. dictum vero eſt *abundat venis*, pro in venis, vt ſaepe. *Burm.*

117. *Subeunt*] A Marone habet Georg. III, 67. *ſubeunt morbi triſtiſque ſenectus.* Vnde et illa poſtea, quae ſequuntur. *Segnem* Noſter dixit ſenectutem, ex alio eiusdem libri loco, vſ. 95.

Hunc quoque, vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectae.

Vbi perperam *ſenectae non turpi* ignoſcendum ariolantur interpretes: perperam, *et turpi*, eodem ſenſu legunt; inducti, ni fallor, eo, quod *domo, in domo* interpretatur Servius. Quod non aliter accipiendum, quam mox apud Nemeſianum, vſ. 141. *Abdaturue domo.* Vlit. Clam obrepunt canibus. *Iohnſ.* Vid. ad Grat. 311.

118. *Dabunt*] Generabunt. *Barth.* Quinam, quaeſo, dabunt? an morbi? eo quidem ſenſu *dabunt* idem erit, quod *reddent*, *efficient?* languet autem illud *inualidum non firmo robore. inualidus* enim ille eſt, cui non *firmum* eſt *robur*. an canes? ita quidem puto. *Dabunt* vero eſt *creabunt*. Ita Catullus, in nuptias Iuliae et Manlii. *ludite, vt lubet, et breui Liberos date.* Virg. Aen. I, 274. *partu dabit Ilia prolem. Inualidum* autem mendae ſuſpectum habeo pro *inualidi.* Iohnſ. *Dabunt* certe canes, licet *ſenectus* praecedat, quod hic per ſenes explicandum. ſic ſaepe praecedit nomen collectiuum, et deinde pluralis ſequitur, etiam mutato genere: vt Ouidius I. Met. 162. *propago* cum praeceſſiſſet, ſequitur

Sed diuerſa magis foeturae conuenit aetas.
Tu, bis vicenis plenis iam menſibus, acrem
In Venerem permitte marem: ſit femina, binos
Quae tulerit ſoles. haec optima cura iugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumue Moloſſos
Paſcendum catulos: diuiſa Britannia mittit
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannoniae temnatur ſtirpis origo,
Nec quorum proles de ſanguine manat Ibero.
Quin etiam ſiccae Libyes in finibus acres
Gignun-

quitur, *ſcires e ſanguine natos.* vbi vid. not. Val. Flacc. I, 154. *proles*, deinde *miſeros cerno.* ita ſaepe Gratius et alii. poteſt tamen ferri *inualidique*, licet non neceſſe. v. ad Grat. 509. *Dare* vero recte exponunt. Ouid. Ep. VI, 122.

Pignora Lucina bina fauente dedi.

Claud. Gigant. 56. *dederitque alios interrita partus: Ergo quod dederit natos* etc. vid. Barth. ad VI. Conſ. Hon. 136. *Burm.*

120. *Bis vicenis menſibus*] Sub finem anni tertii. *Iohnſ.* Immo initio anni quarti, poſt quartum anni quarti menſem, niſi me calculus fallit. *Burm.*

plenum] Maturum. Virg. VII, 53. *plenis nubilis annis.* Barth.

122. *Quae tulerit ſoles*] Annos. *Titius.* Vid. ad Petron. cap. XLII.

124. *Diuiſa Britannia mittit*] Longe diſſita a noſtro orbe. *Titius.* Nota alluſio Maronis Ecl. I, 67.

— *Toto diuiſos orbe Britannos.*

Barth.

125. *Noſtri orbis*] Italiae: ibi enim, relicta Africa, commoratus eſt Nemeſianus. *Iohnſ.*

128. *Siccae Libyes*] Amm. lib. XXII. cap. vlt. *Aridiorem* etiam *Libyam* vocat Regni Cyrenaici portionem, quae proprie *Libya* ab aliis dicitur. vid. ibi notas virorum doctorum. *Burm.*

Gignuntur catuli, quorum non ſpreueris vſum.
Mox quum ſe bina formauit lampade Phoebe,
Ex quo paſſa marem genitalia viſcera turgent,
Fecundos aperit partus matura grauedo
Con-

129. *Catuli*] Ita namque et *catulos*, Britannos de generoſiſſimis bellatoribus dixit Gratius. *Vlit.* vid. ad Grat. 178.

130. *Formauit*] Malebat *renouauit* Heinſ. et ita ſaepe Poëtae, vt noſter inf. 186. *reparauerit ortus*, ſed *formare ſe* eſt plenam formam ſumere, cum bis fuerit plenilunium: vt *pleno robore artus formare* infr. vſ. 287. de equo languente et redeunte ad vires priores. ita apud Ouid. I. Met. 363.

O vtinam poſſim populos reparare paternis
Artibus, atque animas formatae infundere terrae!

Vbi in primo verſu multi codices etiam *populos formare*, ſed quia ſequitur *formata terra*, quod idem eſt quod *renouata*, *reparata*, nihil mutandum docui. Ita ſaepe luna dicitur coire in orbem iunctis cornibus, et orbem efficere, implere etc. vid. Ouid. II. Met. 344. VII, 530. et alibi. *Burm.*

131. *Paſſa marem*] Virgil. Georg. III, 60.

Aetas Lucinam iuſtoſque pati Hymenaeos.

Barth. Vid. ad Grat. 281.

132. *Foecundos aperit partus*] In Veteri Codice eſt,

Foecundo ſe aperit partu matura grauedo.

Nemini dubium eſſe debet, Nemeſianum reliquiſſe

Foecundo ſe aperit partu matura grauedo.

Quod longe elegantiſſimum eſt, ductum a floribus, qui edituri roſam aperiunt folia. Horatius carmine Seculari.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilythyia, tuere matres.

Barth. *Matura grauedo* eſt Ouidio *maturum pondus* IX. Met. 683. quod ſatis illuſtraui ad Phaedr. I, 18. vbi hic locus adſcribi poteſt. *Grauedo* ex more huius aeui pro *Grauiditate*. v. Daum. Epiſt. ad Reineſ. Ep. 60. *Grauitatem* dixit Ouid. IX. Met. 287. *Tendebat vterum grauitas mihi.* in Barthii emendatione debet aliquid diuerſi eſſe a codicis ſcriptura, ita vt errarint operae, vel in lectione codicis,

vel

Continuo, largaque vides ſtrepere omnia prole:
Sed, quamuis auidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi ſi placitum populoſos paſcere fetus,
Iam macie tenues, ſuccique videbis inanes,
Pugnanteſque diu, quiſnam prior vbera lambat,
Diſtrahere inualido laſſatam viſcere matrem.
Sin vero haec cura eſt, melior ne forte necetur,

Abda-

vel in emendatione. nam plane eadem eſt codicis lectio, et eius emendatio. forte in codice fuerit *natura*, quod in *matura* mutauit. ex Horatii vero loco poſſet quis fingere ſcripſiſſe

Maturos aperit partus fecunda grauedo.

Burm.

134. *Sed*] Veterem lectionem reſtitui. Solus Vlitius edidit *vt*. Iohnſ. Forte *at* voluerit, et operae aberrauerint. nam *ſed* eſt vetus lectio, quam in editione Iohnſ. videbis et in aliis. *Burm.*

primos contemnere] Hoc etiam hodie venatoribus noſtris ſtrenue obſeruatur. Quamquam ego contrarium expertus norim, optimos etiam canes primam fortunam nobis dediſſe, et laborum patientiſſimos. *Barth.* Qui ad Grat. 303. *contemnere foetus* citat, vt et hic in notis Vlitius; ſed mox ſequitur. *Burm.*

139. *Laſſato viſcere*] Vbera nunc *Viſcus* appellat. *Titius.* *Viſcera* in ſingulari numero vulgo vitilitigent Grammatiſtae. Sed *viſcus apricum* dixit Lucilius, citante Cariſio lib. I. Priſcianus lib. VI. p. 221. Ouidii verſum adducit VI, 291.

E quibus vna trahens haerentia viſcere tela.

Claudianus Hyſtrice 38.

— *Intendunt taurinos viſcere neruos.*

Barth. Vid. et ad Claud. d. l.

140. *Melior*] *Melior* hic optimus ſonat. Virg. Georg. I, 286.

— *Noua fugae melior, contraria furtis.*

Sic

Abdaturue domo, catuloſque probare voluntas,
Quîs nondum greſſus ſtabiles, neque lumina paſſa
Luci-

ſic *melius* pro bene poſuit Sammon. Serenus cap. 29.

Quodque ſatis melius verbis dicemus Horat I.

Barth. Vid. ad Grat. Cyneg. 452.

141. *Abdaturue domo*] Amoveatur, excludatur. Sic Tibull. lib. II. Eleg. 1.

Et procul ardentes hinc, precor, abde faces.

Iohnſ. Vid. Vlit. ſupra ad vſ. 117. adſentior facile viris doctis, et ablatiuum eſſe *domo* puto, ſed tamen abdere cum datiuo conſtrui, et pro in locum aliquem dare, docui ad Vellei. Paterc. II, 91. etiam dici poſſe. ita mox 155. *portare cubili.* vbi recte Titius illud adfert, *it clamor coelo*, ex Virg. V. Aen. 451. pro in coelum. inf. vſ. 202. *venit venis.* Horat. Od. I, 24. *compellere gregi*, pro in gregem: item Virgil. I. Aen. 289. *coelo accipies*, vbi Seru. *in coelum.* Ouid. V. Faſt. 655. *Thybri iactatur imago*; et ſimilia paſſim obvia. *Burm.*

probare] Huius verbi vis eſt exigere, experiri, et experimento capto cognoſcere et iudicare probos, et approbare. vt ita huius verbi vſum contra Scioppium adſeruit magnus olim praeceptor meus, Graevius ad Cicer. III. Verr. 30. et ad Iſidori Gloſſar. in *detectus.* et ita Suét. Caeſ. XLV. dicit, *Caeſarem non a moribus, neque a fortuna*, ſed *a viribus probaſſe militem*: id eſt non anxie in delectu in mores et opes inquiſiuiſſe, contentum legiſſe fortes. et ita in Auguſt. 35. *lecti et probati ſenatores.* Gell. XII, 8. *Virginem, quam probaverat elegeratque exploratiſſimo iudicii tempore.* Calpur. Ecl. VI, 8.

Tu quoque laudatum poſſes Alcona probare.

vbi eſt re ipſa experiri, qualis ſit. *Burm.*

142. *Paſſa*] Aperta: a *pando.* Quando catulis panduntur oculi. *Barth.* Heinſius probabat *panſa*, quia ita ſaepe reperitur in veteribus codicibus, vel *a* ſuperſcripta lineola. vid. Heinſ. ad Prudent. Cathem. Hym. XII. vſ. 170. et Giſan. Ind. Lucret. in *diſpanſus.* ſed purioris aeui ſcriptoribus vix vſitatum puto. vid. Heinſ. ad Ouid. III. Am. II, 45. *Burm.*

Luciferum videre iubar, quae prodidit vſus
Percipe, et intrepidus ſpectatis adnue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibuſque leues grauibus praenoſcere curſu.

Quin

143. *Luciferum iubar*] *Iubar* pro Lucifero proprie vſurpari notat Seru. IV. Aen. Illud vſurpatum paucis, hoc nomen maſculino genere. Vetus Epigramma.

Quaeque meat curſim aureus aſtra iubar.

Seuerus in Aethna 332.

Purpureoque rubens ſurgat iubar aureus aſtro.

Barth. Ita quidam codices hoc verbum adiectiuo modo exhibent apud Virgil. III. Georg. 324.

Lucifero primo cum ſidere.

Iubar vero varie ſumitur. pro ſereno ſole vidimus ad Val. Flac. V, 309. vid. Seru. ad Virg. IV. Aeneid. 130. et Pier. Sed Poëtae confundunt, et aurorae, diei, ſoli, Lucifero etc. tribuunt. ita Ouid. V. Faſt. 547.

Quid ſolito citius liquido Iubar aequore tollit
Candida Lucifero praeueniente dies?

Vbi a Lucifero diſtinguitur. Lunae tribuit Petron. cap. LXXXIX. de genere maſculino eadem fere notat Barth. Adu. 3. et ad Stat. I. Theb. 343. *Burm.*

144. *Spectatis*] Vſu comprobatis. *Barth.* Id eſt praeceptis, quae tibi vt vſu edoctus magiſter do. *dicta* enim ita ſumi docui ad Ouid. Triſt. III. III, 61. idem IV. Faſt. 664.

Edidit a dextro talia dicta toro.

Burm.

146. *Grauibus*] A grauitate corporum futuri curſus celeritatem praenoſcere potes. *Barth.* Ordo hic et ſenſus eſt: ex grauibus corporibus agnoſces leues curſus, aut vt Barthius conſtruit. *Vlit.* Et catulos *curſu leues* futuros ex grauitate corporum *poteris* praenoſcere, quamuis nondum experiendi detur copia. Vetuſtiſſ. Edit. *curſu.* Vlitius *curſus* praeponit, alteram autem lectionem pro corrupta habet. rationem ſaltem adiunctam oportuit. *Iohnſ.* Parum intereſſe ſaepe, an legas *leues curſus*, an *leues curſu* docui ad Phaedr. I, 12. Mart. IV, 19.

Siue leuem curſu vincere quaeris Atham.

Hic tamen *leues curſu* malim cum Iohnſonio. poteris illos, qui ſunt corporibus graues, praenoſcere leues curſu, ſcilicet

cet

Quin et flammato ducatur linea longe
Circuitu, ſignetque habilem vapor igneus orbem,

Impu-

cet futuros. Haec enim vis τοῦ *praenoſcere*. Ouid. I. Faſt. 159.

Promiſſumque ſibi voluit prae-noſcere coelum.

Burm.

praenoſcere] Praegrauibus corporibus noſcere leues curſus. Elegantiſſime hoc extulit. *Barth.* Quem et vide XV. Adu. 8.

147. *Quin*] Expreſſit etiam haec Demetrius Conſtantinopolitanus. Εἰ ἐπιθυμῆς καλοὺς κύνας κτᾶσθαι, οὕτως αὐτοὺς δοκίμαζε· στεφανοειδῆ κύκλον ποιήσας ἀπὸ χόρτου, ὅσον περιγραφὴν τροχοῦ ἁμάξης, θὲς τὰ σκυλάκια εἰς μέσον τοῦ κύκλου· τὴν δὲ κύνα ἔχε ἰδίᾳ· ὕφαπτε δὲ τὸν χόρτον. ὑφαπτομένῳ ἀπόλυε τὴν κύνα· καὶ ἴδῃς ὅτε εἰσέρχεται ἀνὰ μέσον τοῦ πυρὸς μὴ φοβουμένη, ἀλλὰ φίλτρῳ κατεχομένη τῶν ἰδίων τέκνων· ἐπιλέγεται δὲ φυσικῷ τινι πόθῳ καὶ διακρίσει τὰ βελτίονα καὶ ἐξάγει. Ita haec legenda cenſeo, quae an male citauerit Barthius, (XV. Adu. 8.) aut vtrum ab alio perperam deſcripta habuerit; nondum comperi. Nec etiam ſatis certe ſcio, editusne hic liber Demetrii, an MS. penes illum fuerit. *Vlit.* Porro autem ducatur linea circularis, ſatis patens, flammis accenſa. *Iohnſ.* Ille Demetrius, a Barthio iactatus, videtur idem eſſe, quem edidit Rigaltius inter rei accipitrariae ſcriptores. haec certe ibi leguntur paucis mutatis pag. 261. et agnoſcit Vlitius in Add. ad vſ. ſupr. 113. *Burm.*

148. *Signetque*] Pith. edidit, *ſignet habilem*, quem ſecutus Barthius. Scaliger iam *ſignetque* emendauerat. *Burm.*

vapor igneus] Ignis ipſe. Sic Maro *vaporem* pro igne poſuit lib. V, 682.

— *Lentuſque carinas*
Eſt vapor.

Lucretius lib. V, 340.

Sed periiſſe hominum torrenti ſecla vapore.

Barth. Vid. Cerdam ad Virg. d. l. et Barth. Adu. XXXVII, 6. et ad Ouid. II. Met. 811. adnotata. *Burm.*

habilem] aptum inſtituto operi dicit orbem. Vt Maro de vitibus Georg. II, 92.

Pinguibus hae terrae habiles.

Quomodo Columella lib. III. cap. 2. *habilem arbori et iugo* dixit. *Barth.* Vid. ad Ouid. II. Met. 531.

Impune in medio poſſis conſiſtere circo.
Huc omnes catuli, huc indiſcreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honeſtos,
Iudicio natos ſeruans, trepidoque periclo.
Nam poſtquam concluſa videt ſua germina flammis,
Continuo ſaltu tranſcendens feruida zonae
Vin-

149. *Poſſis*] Eleganter τὸ *vt* omiſſum ſubintelligendum eſt. *Barth.* Heinſ. malebat, *vt medio.*

150. *Catuli*] Eliſio neglecta vocalis. *Barth.* Vid. ſupr. vſ. 71.

151. *Honeſti*] Generoſi. *Barth.* *Honeſtus* eſt hic, non humili de gente, vt ſupr. 108. vid. ad Petron. LV. *ira ſpadices honeſti* Virg. III. Georg. 82. Scaliger malebat, *examen honeſti, exitio natos ſeruans.* Heinſius, *partus examini honeſtos.* an, *dabit matris partus examen honeſtos.* i. e. matris examen, ſeruans natos, dabit, id eſt, oſtendet tibi honeſtos catulos, quos eximios iudicio ſuo probabit: *examen* et *iudicium* hic idem fere notat. *ſeruans natos* vero debet coniungi τῷ *examen.* Burm.

trepido] *Trepidus* hic non eſt, timens, ſed qui timetur: vt *neſcius*, tam qui neſcit, quam qui neſcitur: *notus*, qui noſcit, et qui noſcitur. Phaedrus Fab. XI.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.

Vlit. Ita *trepidus metus* Ouid. III. Triſt. 1. *ſeruare* vero *periclis*, pro a periclis dixit Vell. Paterc. II, 82. vbi vide notas, et ad cap. 28. hic vero eſt duplex conſtructio: iudicio, id eſt per iudicium ſeruans, et a periculo, vel poteſt vtrumque capi, per iudicium ſuum et periculum, quod ipſa mater ſubit, ſeruans natos. forte quis mallet etiam, *trepidanſque periclo*, vt matris ſollicitudo indicetur. *Burm.*

153. *Sua germina*] Potuiſſet dicere *pignora.* quod erat vſitatius. *Titius.*

154. *Tranſcendens*] Hic pro tranſiliens ponitur. vt infr. 308. *lini tranſcendere ſepta.*

feruida zonae vincla] Eleganter circulum ſeu zonam flammae dicit, quae in orbem colligata quaſi compeſcit intus canes. Sic *zonae* in coelo circuli dicuntur. *Barth.*

Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. ſic conſcia mater
Segregat egregiam ſobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice ſimul, iam vere ſereno,
Molli paſce ſero. paſſim nam lactis abundans
Tempus adeſt, albent plenis et ouilia mulctris.

Inter-

155. *Portatque cubili*] Ad cubile: ſic Virg. Aen. V, 451. *it clamor coelo.* Aen. I, 181. *omnem Proſpectum late pelago petit.* Titius.

158. *Genitrice ſimul*] More Graecorum; ſic illi vſurpant ſuum ἅμα: neque aliter Tacitus IV. Ann. 55. *Laodiceni ſimul Magnetibus.* Sic deeſt σὺν apud Thucydidem ibi, καὶ ἡ ἑτέρα ναῦς, αὐτοῖς ἀνδράσιν ἑάλω. pro σὺν αὐτοῖς. atque hoc ſunt imitati Latini, vt hic Nemeſianus, et Virg. IX, 815.

Tum demum praeceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluuium dedit.

hoc eſt cum omnibus armis, vt expoſuit Seruius. *Titius.* Vid. ad Val. Flac. I, 408. et IV, 88. ſcabiem hanc, quae pro elegantia vulgo habetur, non niſi mortuo Cicerone infeciſſe Linguam Latinam cenſet Cl. Bentleius ad Cicer. III. Tuſc. Diſp. 18. ex Virgilio tamen loca adducit Heinſ. ad Ouid. I. Faſt. 177. alia loca aurei aeui reperies in citatis doctorum virorum notis. vid. et ad Stat. V. Silu. I, 213. Gronouium. *Burm.*

159. *Molli paſce ſero*] *Paſce ſero. paſſim.* Ita diſtinguendum. Inepte vulgo: *paſce ſero paſſim. Nam lactis abundans* etc. Quod ſero paſcendum catulos dicat noſter, re et verbo imitatur Maronem Georg. III, 405. *Spartae catulos acremque Moloſſum Paſce ſero pingui.* Seruius: *ſero*] *Aqua lactis, quae pingues efficit canes.* Vlit. Heinſius diſtinguebat, *paſce ſero: paſſi nam lactis abundans Tempus adeſt.* vt ita Ouid. XIV. Met. 274.

Mellaque vimque meri, et cum lacte coagula paſſo:

ſed ibi caſeus intelligendus, quem canibus dari neſcio. et in multis ibi deeſt copula *et*, vt poſſet conſtrui *cum lacte paſſo* (a pati) *coagula.* vt *vuas paſſas* dicit Plin. XIV, 1. *a patientia nomen acinis datur paſſis.* vid. et Seru. ad Virg. Georg. II, 93. ſi diſtinctio Vlitii placet, *paſſim* ita explica, nuſquam

Interdumque cibo Cererem cum lacte miniſtra,
Fortibus vt ſucis teneras complere medullas
Poſſint, et validas iam tunc promittere vires.
Sed poſtquam Phoebus candentem feruidus axem
Contigerit, tardaſque vias, cancrique morantis
Sidus init, tunc conſuetam minuiſſe ſaginam
Pro-

nuſquam deficere lac vere, ſed vbique reperiri, non tantum in ouilibus, ſed in pratis et montibus, vbi paſcuntur. ſed neſcio, an non *paſcere paſſim* rectius dicatur, vt Barth. explicat, id eſt, quocumque in loco ſit: vbique, vt vidimus ad Phaedr. V, 1. ratio additur, quia hac tempeſtate anni nuſquam deeſt lac. *paſſim tempus adeſt* non videtur eleganter dici, ſed non contendam acrius. *Burm.*

161. *Cibo Cererem cum lacte*] Heinſius *cibos* legebat, vt *Ceres cum lacte* per adpoſitionem ſit poſitum. Et certe intricata aliter conſtructio. forte latet hic epitheton τῆς *Cereris*, qua far ſiue furfureum panem deſignauit; de quo nos ad Phaedr. IV, 17. niſi ille demum canibus adultis datus ſit. nam vſ. 166. per ſaginam, farreos panes Vlitius intelligit; certe mox reddi *tenues cibatus* vult. ita vt hic non quidem panis furfureus, ſed tamen fortior cibus indicetur, lacte mollitus. conſtructio autem erit, *miniſtra Cererem cum lacte cibo.* da panem lacte mollitum, in cibum, vt miniſtrare vitiis Grat. 314. vbi vide. *Burm.*

163. *Promittere*] *Promittere* eſt prae ſe ferre. Iuuen. Sat. II, 12. *promittunt atrocem animum*, vbi Schol. ineditus *oſtendunt* explicat. vid. ad Grat. 21. *Burm.*

165. *Cancrique morantis*] Non quia tum longiſſimus dies eſt, ſed quia incrementa dierum tarde conſummantur, et deminuuntur, vt vix percipi poſſit, et quaſi ſiſtatur hic ſol. *Vlit.*

166. *Saginam*] *Sagina* non hic ſimplicem cibum, aut *tenuem cibatum* denotat, cui opponitur: ſed fortem maxime et robuſtam alimoniam; quam *fortem eſcam* vocat infra: *fortemque dari de frugibus eſcam.* Vlit. *Sagina* hic pro ſimplici cibo; de canibus venaticis loqui-

Profuerit, tenueſque magis retinere cibatus:
Ne grauis articulos deprauet pondére moles.
Nam quum membrorum nexus nodoſque relaxant,
Infirmoſque pedes, et crura natantia ponunt.
Tunc

loquitur, qui non ſaginantur. *Iohnſ.* Vario ſenſu *ſagina* ſumitur ſine dubio. et pro cibo, quo ſaginantur, et etiam pro ipſa corporis mole, quae augetur ſagina. vt Iuſtinus bis XXI. et XXVII, 8. et hinc variae doctorum explicationes, quid apud Plautum Moſtel. I, 1. ſit *caedere ſaginam.* quod Salmaſius capit pro cibum caedere et comedere. Et ex eo Tollius apud Auſon. Ephemerid. vſ. 9. corrigit, *multa quod potas, nimiaque caedis Mole ſaginam.* cum vulgo *tendis ſaginam* recte ſit editum, id eſt molem corporis auges te ſaginando. *tendis* pro extendis, diſtendis, vt apud Ouid. X. Met. 506. *tendit onus matrem.* id eſt eam facit pleniorem et tumentem ventre. vide, quae ibi diximus. apud Plautum vero *ſaginam caedere* caperem pro ſaginatum animal caedere. pro nimio cibo dixit Iuſt. XXXIV, 2. *ſenſu hominis nimia ſagina careret.* et ita Amm. Marcell. XXII, 12. *in dies paene ſingulos milites carnis diſtentione ſagina victitantes incultius.* et cap. 15. *vt pedibus vulneratis cruor egeſtus, ſagina diſtentum faciat leuem.* hic quia *conſueta* additur, hoc ſenſu capienda vox eſt, pro conſuetum ſaginandi modum minuere. Salmaſius d. l. loco (ad Solin. p. 798.) memoriae vitio *conſuetam retinere ſaginam* citat. *Burm.*

168. *Ne grauis*] Edit. Steyn. hunc verſum ſic exhibet.

Ne grauis articulos deprauet
pondere molles.

Quod cur in contextum illico non admittatur, nullus video. en ſententiam. ne grauis (nempe cibatus, vel ſagina; vtrumque enim praeceſſerat) ſuo pondere luxatos vel diſtortos reddat molles catulorum articulos. Xenophon. *αἱ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι σκέλη. Iohnſ. Moles* ſatis Auſonii locus vindicat, et *moles* paſſim de corpore magno occurrit: vel *moles* de ſagina ipſa, quae ingeritur, *πλησμοναὶ* Xenophonti. *Burm.*

170. *Crura natantia ponunt*] Incerta prae infirmitate, vacillantia. Pithoeus male edidit, *nutantia.* contra Aldin. et Steyn. Editiones, et ipſas leges metricas. *Iohnſ.* Nihil facilius

Tunc etiam niueis armantur dentibus ora.
Sed neque concluſos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceaſque futuris
Curſi-

cilius permutatione literarum *u* et *a*. nec ideo Poëtam damnare metricae ignorantiae fas puto. ita diſſident viri docti ad Cicer. I. de Nat. Deor. 43. vbi *Democritus nutare*, vel *natare, videtur in natura Deorum.* et apud Stat. X. Theb. 293. admodum haeret Barthius, cum legeret, *ſanguineis nutant tentoria riuis.* vbi recte Heinſius reſtituit, *ſanguineiſque natant tentoria riuis.* vt paſſim *natare loca* madida dicuntur, et quae laxe et late conſpiciuntur quaſi fluere; nec conſtringi aut cohiberi. vid. ad Calp. II. Ecl. 77. *Crura natantia* vero ſunt titubantia, vacillantia. vt *mens natat* Manil. IV, 257. vbi vid. Scaliger. et vbi editor in vſum Delphini imperite exhibet *mens nutat. membra natant* Stat. IV. Ach. 839. vbi vid. Barth. et ad I. Achill. 161. Scaliger legebat, *infirmique pedes, nutantia crura reponunt*, forte quia legerat apud Virg. III. Georg. 76. *mollia crura reponit.* vid. et ad Calpurn. Ecl. VI, 44. *Burm.*

171. *Armantur*] Arma canum dicuntur dentes, vt et aliarum ferarum. Vnde *exarmatae*, quibus dentes excuſſi. *Vlit.* vid. ad Val. Flac. V, 597.

niueis dentibus] Vt Virgilius *albis dentibus.* qualia epitheta quidam carpſerunt. Quinctilianus lib. VIII. cap. 6. Poëtis permittit, non oratoribus, quia nihil efficiunt, nec ſine illis minus dicitur. Ego vero non ſemper otioſa eſſe credo, ſed *albos* illos dici, quando ad morſum ſtricti et parati ſunt. non tecti cute vel labris, vt quietis canibus eſſe ſolent, ſed irritatis albi illi dentes terrorem iniiciunt, et hinc in exuuiis, quibus Heroës armabantur, Maro eos, vt terribiliorem ſpeciem darent, ponit. vt lib. VII. Aen. 667.

Tegumen torquens immane Leonis,
Terribili impexum ſaeta cum dentibus albis
Indutus capiti.

et lib. XI, 680.

— *caput ingens oris hiatus,*
Et malae texere lupi cum dentibus albis.

Omnia illic ad terrorem compoſita. ita Nicand. Alexiph. 223.

— λοξαῖς δὲ κόραις ταυρώδεα λεύσσων,
Θήγει λευκὸν ὀδόντα.

Sed haec nos latius abducerent a Poëta noſtro. *Burm.*

Curſibus imprudens. Catulis nam ſaepe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valuas
Mens erit, et teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntue nouos adroſo robore dentes,
Aut teneros duris impingunt poſtibus vngues.
Mox quum iam validis inſiſtere cruribus aetas
Paſſa,

174. *Catulis*] Proprio ſignificatu: de teneris enim, non de adultis loquitur. Illi quippe omnia inconſulte agunt, et nihil non appetunt: *aut vexare trabes laceras*, (ita diſtingue) nec feſtucas metuere; *aut pandere valuas*, quibus capite ſaepe intercluduntur. *Vlit.* Parum refert, an *laceras trabes*, an *valuas* iungas. ſunt vero, quae rimoſae ſunt et hiantes, vt ita *lacerae naues* paſſim, et *lacerae tabulae* Ouid. II. Met. 428. *Burm.*

175. *Pandere*] Heinſ. ad Ouid. III. Met. 89. *mandere* reſcribebat. et certe ita *mandere humum* Grat. 239. *pandere* vero, ſi retinendum, explicandum eſt, ſi rimae ſint, eas rodendo maiores facere, vt pateant foramina magna, per quae euadant. *Burm.*

176. *Et*] Vetus liber, *a*, ſcribendum, *ah*. Quod Poëtis familiare, cum de rebus teneris mentionem faciunt. *Barth.* Forte diſtinctione poſita; *mens erit. At teneros torquent.* etc. et ita etiam variatio temporum tollitur. *Burm.*

177. *Robore*] Ligno quouis duriori. *Iohnſ.*

178. *Impingunt*] Infigunt. *Iohnſ.* Heinſ. d. l. *Infringunt* legebat. de quo verbo vid. ad Ouid. V. Met. 83. *Burm.*

179. *Mox cum*] Hos tres verſus, vt facillimos praeterit Vlitius, cum tamen vix, ac ne vix quidem intelligendos cenſeam. Quos tamen ita priſtino nitori, ni fallor, reſtituas, mutata tantum littera. lege *ſpectauerit*, loco τȣ̃ *ſpectaueris*. ne quis duriuſculum putet, verbum *ſpectauerit* coniungi cum *aetas*, adeat Virg. Aen. I, 265.

Tertia dum Latio regnantem viderit aeſtas.

iam, opinor, nihil vlterius legentem morabitur. *Iohnſ.* Im-

Paſſa, quater binos voluens ab origine menſes,
Illaeſis catulos ſpectaueris vndique membris,
Tunc rurſus miſcere ſero Cerealia dona
Conueniet, fortemque dari de frugibus eſcam.
Libera tunc primum conſueſcant colla ligari,

Con-

mo vero moratur duplex illud participium *paſſa* et *voluens*: diſtinctio Barthii quidem huic ſubuenit ſcrupulo, ſed conſtructio intricatior eſt, niſi ſuppleatur hoc modo, mox cum aetas, voluens quater binos menſes ab origine, paſſa eſt inſiſtere membris iam validis, et tu, qui alis eos, ſpectaueris catulos illaeſis vndique membris, tunc etc. niſi hoc modo capias, non video ſenſum: vult enim nutritorem canum diligenter ſpectare, an vndique ſint illaeſa membra; itaque *ſpectaverit* minus commode ad *aetas* refertur: aut ſubueniendum huic loco eo modo, quem ad Phaedr. III, 20. oſtendimus, vt nominatiuus ille *aetas* abſolute ponatur, quaſi dixiſſet, cum aetate iam octo menſium exacta ſpectaueris illaeſis catulos membris, tunc etc. Poſſet et diſtinctione iuuari, ſi ita legas. *Mox quum* (*iam validis* etc. *menſes* etc.) *Illaeſis canibus ſ. v. membris*; *Tunc*. vt, reliquis in parentheſi poſitis, *quum* iunxeris τῷ *ſpectaveris*. Burm.

180. *Paſſa quater binos*] Diſtingue, *Paſſa*; *q.b.v. Voluens*, eſt alluſio Graeci περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *Barth.*

183. *Fortem*] Quae roboret eos et confirmet. *Barth.* Vſ. 162. *fortes ſucos*, et ita *fortes herbae* Ouid. Medic. fac. 35. et alibi. *validi ſucci* VII. Metam. 316. et *pollentes herbae* paſſim: vid. Broukh. ad Tibull. I. IX, 17. male ergo hic Heinſius, *toſtiſque dari de frugibus*. quia ſcilicet far torrebant. *Burm.*

184. *Libera colla*] Graeciſmus. canes conſueſcant ligari libera colla, et clauſi teneri. *Barth.* Hinc forte apud Ouid. I. Art. 41. poſſet lectio Douzae probari,

Dum licet, et collo paſſim potes ire ſoluto.

vbi vulgo *loro*. ridere vero nuper libuit, cum viderem Petr. Auellan. in Locis Auctorum Reſtitutis cap. 13. *lorum* interpretari de veſte laxa et ſoluta, qua cuſtode remoto vte-

Concordes et ferre gradus, clauſique teneri.
Iam quum bis denos Phoebe reparauerit ortus,
Incipe non longo catulos producere curſu;
Sed paruae vallis ſpatio, ſeptoue nouali
His leporem praemitte manu, non viribus aequis,
Nec curſus virtute parem; ſed tarda trahentem
Membra: queant iam nunc faciles vt ſumere praedas.

Nec

vtebantur adoleſcentes. Saltem explicuiſſet de loro, quod pauperes loco bullae gerebant, vt ex Iuuen. Sat. V, 164. et eius Scholiaſte vulgo traditur, vel de eo loro, ex quo forte pendebat bulla, vt illa cerui ſacri apud Ouid. X. Met. 114. ſed haec nihil ad Ouidium faciunt. qui metaphorice libertatem, qua, nulli addictus puellae, iuuenis fruitur, indicat; nihil de virili toga aut bulla ſomnians. et tentor valde, an non rectius legeretur, *Dum liber, et loris paſſim potes ire ſolutis*, vel *ſolutus*, id eſt nullis vinculis adſtrictus. *Lora* enim ſunt, quibus canes retinentur, vt apud Senec. Hippol. 32. quae mox *vincula* vocat, et *habenas*. et ita de bobus ſub iugo arantibus Auctor Moreti. in fin.

— — *tectuſque galero*
Sub iuga parentes cogit lorata iuuencos.

Haec ἐν παρέργῳ, quia poſt emiſſum Ouidium id mihi demum incidit. *Burm.*

186. *Reparauerit*] Ouidianum. *Barth.* Vid. ſupr. ad vſ. 130.

187. *Producere*] Proprium in hac re verbum vidimus ad Valer. Flac. VII, 376. *Burm.*

189. *Non viribus aequis*] Non *paſſibus aequis* dixit Virgilius. *Titius.* Vid. ad Nemeſ. Ecl. III, 60. *Burm.*

190. *Virtute*] Viribus. *Barth.* Hinc *virtus virium* poſſet firmari, de qua Cl. Perizon. in Curtio ſuo vindicato. ſic inf. 281. et paſſim apud noſtrum et Gratium. *Burm.*

191. *Sumere praedas*] Supr. vſ. 50. et Ecl. III, 7. *praedam* habet Pith. *Burm.*

R 2

Nec ſemel indulge catulis moderamine curſus;
Sed, donec validos etiam praeuertere ſueſcant,
Exerceto diu, venandi munera cogens
Diſcere, et emeritae laudem virtutis amare.

Nec

192. *Nec ſemel*] Et ne ſemel quidem catulos effraeni curſu emicare permitte, ſed *paruae vallis ſpatio ſeptoue nouali exerceto diu*, donec aſſueſcendo valeant etiam *validos* lepores *praeuertere. Indulge moderamina* (ſic enim lege loco τȣ̃ *moderamine*) *curſus catulis* idem eſt, quod indulge habenas vel fraenos equis. *Iohnſ. Moderamina* Heinſius etiam corrigebat. Sed ſi *curſus* in accuſatiuo capias, ſenſus eſt, nec ſemel indulge curſus, moderamine, id eſt moderamine aliquo, certo; nimirum leporem, non viribus et virtute praeualentem, praemittendo, ita apud Ouid. XIII. Met. 362. *ingenium eget moderamine. Indulgere* vt Barth. capit, abſolute poni vidimus ad Grat. 295. et Calp. Ecl. III, 37. *Burm.*

indulge] Abſolute, non addito accuſandi caſu, quod indulgeat canibus. Lucretius lib. V, 1367.

— *Fructuſque feros manſueſcere terra*
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Barth.

194. *Munere*] Vid. ad Grat. 260.

195. *Emeritae*] Spectatae. *Iohnſ. Emeritae* eſt, iam exhibitae virtutis laudem, quam ipſo curſu et lepore apprehenſo, labore defuncti, conſecuti ſunt. vid. ad Ouid. XV. Met. 186. vt *praemia meritae palmae* apud Virg. V, 70. vbi eſt *emeritae*, quam conſecuti ſunt, et Seruius *palmam*, explicat *virtutem*, a praecedenti id quod ſequitur: et ita *emeritum mundum* pro merito dixit Manil. I, 404. V. Huet. plura vide apud Drakenb. ad Silium lib. VII, 19. et ad Calp. Ecl. I, 87. vbi alio ſenſu haec vox occurrit. *Emeritum* etiam dici vetus, praeteritum, docet Broukh. ad Propert. IV. V, 16. licet ibi malim legere, *cornicum immeritas eruit vngue genas*. Ita enim omnes editi et ſcripti. *immeritas* vero dicit innocentes, quae non meruerunt a lenis erui, vt Ouid. I. Art. 339.

Quid fodis immeritis, Phineu, ſua lumina natis?

Prop.

Nec non conſuetae norint hortamina vocis,
Seu curſus reuocent, iubeant ſeu tendere curſus.
Quin etiam docti victam contingere praedam,
Exanimare velint tantum, non carpere ſumptam.

Sic

Prop. eleg. praecedenti vſ. 21.
Saepe illa immeritae cauſſata eſt lumina lunae.
Neque hic cornix, vt auis inauſpicata, eſt traducenda, ſed quia erat concordiae etiam maritalis ſymbolum, quod ipſe fatetur Broukh. ad Tibul. II. II, 21. vbi vide, quos adducit. quibus adde Horapol. cap. 8. et quae ibi notant interpretes. et hinc forte prouerbium illud, *cornicum oculos configere*, vbi concordia turbatur, et litibus ianua aperitur: licet adhuc obſcuritas quaedam ſit in hoc dicto. *Burm.*

197. *Iubeant*] Magiſtri videlicet, quod eleganter omiſit. *Barth.*

ſeu] Heinſius malebat, *ſeu curſu reuoces, iubeas ſeu t. c.* in vulgata lectione *reuocent* et *iubeant*, debent referri ad hortamina. ſed hortamina, ſiue voces hortantium, *reuocare curſus*, vt *iubeant tendere* vel *intendere* curſus, vt inf. 253. an eleganter dicatur, aut Latine dubito: quare credo, totum locum ita poſſe conſtitui, *Nec non conſuetas norint, hortamina, voces, ſeu rurſus reuocent, i. ſ. t. curſus.* vt Nemeſ. Ecl. II, 6. *rurſus remeare.* Claud. I. in Rufin. 357. *reuocataque ſecula rurſus.* Centum ſuperſunt exempla huius pleonaſmi. *rurſus* vero et *curſus* confuſa apud Sil. VI, 258. vbi Drakenb. apud Propert. II. XX, 33. iterum eſſe permutatas voces docet. apud Xenophont. vero de Venat. p. 985. vide formulas, quibus hortantur intendere curſum: εὖγε κύνες, εὖγε ὦ κύνες, ἕπεσθε ὦ κύνες. revocant vero his vocibus Τοὔμπαλιν, Τοὔμπαλιν, ὦ κύνες; et plura ibi occurrunt in rem. *Burm.*

198. *Victam*] De *vincendi* verbo vid. Caſaub. ad Suetonii librum primum. *Barth.* Vid. ad Grat. 494. illa Caſaub. ad Suet. Caeſ. I. huc non pertinent. ibi enim pro exorare poni docet, qui ſenſus hic abſurdus foret. *Burm.*

199. *Non carpere ſumptam*] Haec propria Vertragorum laus, vt illaeſum leporem

Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, et in paruos iterum protendere curas.
Nam triſtes morbi, ſcabies et ſordida venis
Saepe venit, multamque canes diſcrimine nullo
Dant

dente ferant. Quapropter ferri non poteſt edita apud Martialem lectio lib. III, 47.

Leporemque laeſum Gallici canis dente.

Scribendumque, *illaeſum*, ex charactere, quem ſtatim ex Apophoretis adduxi XIV, 200.

Illaeſum leporem qui tibi dente refert.

Vel ſi qui aures delicatas adeo habent, vt metro magis, quam lectionis veritati auſcultent, an *prenſum*, vel tale quid malint, ipſi viderint. Cuius ne religioſus adeo fuiſſe cenſeatur, ecce et alios *δισκάζοντας*, quos editorum conniuentia hactenus fere vulgatis inſeruit. lib. I. Epigram. 67.

Aliena quiſquis recitat, et quaerit famam.

Quanquam ſcio in melioribus libris id emendatum. Verum lib. II. Epigram. 17.

Non tondet, inquam; quid ergo facit? radit.

Non modo multae Editiones, ſed et ipſe codex MS. Bibliothecae Leidenſis ita ſcriptum exhibet. *Vlit.* Omnia, quae ex Martiali loca profert, corrupta ſunt, inprimis ex lib. I. Epig. 67. legendum *petit famam* cum Caſtal. I. Obſeru. 8. in altero II. Ep. 17. legendum *inquit*, *ergo quid facit?* Nec video, cur *illaeſum* lib. III. Ep. 47. praeſtet, vt etiam ad Grat. 203. corrigebat. *laeſus* enim probabat curſu eſſe captum, non in cubili ſedentem. Si ergo non carptus, laceratus, ſed modo leuiter laeſus eſſet, pretium addebatur lepori apud delicatos: nec ideo ſemper eodem modo cogitur loqui, et quidem contra metrum, quia alibi *illaeſum* dixit. *laeſus* ibi eſt, quod hic *ſumpta praeda*, apprehenſa, quod vix fieri poteſt, niſi leui cum vulnere ſaltem. *carpere* hic eſt, vt *carpere eſcam* Phaedr. I, 28. vbi vide. *Burm.*

200. *Sic*] Legendum puto *Hinc:* ex illis generoſis, quos ita educaſti et exercuiſti, vt iam praecedentibus verſibus docui, cura ſemper ſobolem nouam tibi ſubnaſci. *Burm.*

202. *Nam triſtis*] Perperam vulgo diſtinguitur: *Nam triſtis morbi ſcabies*, etc. *Triſtis* valet *triſtes*. Vlit. Corruperunt locum, qui *triſtes morbi* et *ſca-*

Dant ſtragem: tu ſollicitos impende labores,
Et ſortire gregem ſuffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliua
Admiſcere decet; catuloſque caneſque maritas
Vnguere profuerit, tepidoque oſtendere ſoli,
Auri-

et *ſcabies* poſtulare pluralem *veniunt* crediderunt. ſed ita Virgil. III. Georg. 564.

Ardentes papulae, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur.

Liuius XXXVII, 9. *Naues et praeſidium exceſſit.* Cicer. III. Tuſc. 5. *corpora et natura valet.* plura dicam ad Claudian. I. in Ruf. 53. ita contra apud Grat. 369.

Inde emiſſa lues, et per contagia morbus
Venere in vulgus.

Vlitius malebat, *morbi venere.* vbi etiam τὸ *venit* videbis vindicatum. *Burm.*

204. *Dant ſtragem*] Mallet forte aliquis. *multamque cani d. n. dat ſtragem.* nam ita communiter loquuntur. apud Flor. I, 18. dubius eſt ſenſus, *conſternati equi fugam ſtragemque late dederunt,* an equi fugerint et perierint, an dederint ſtragem reliquis, quos turbabant. et ita *dare ſtragem* dicitur, qui alios occidit, aut auctor eſt, vt pereant, vel qui ipſe etiam inuoluitur ſtragi. ſic domus *dat ruinam* Virg. II. Aen. 310. quae ruit in ſe: quare nihil muto. et ex reliquis ſenſus eſt in dubiis talibus colligendus. *ſtragem canum* dixit etiam Ouid. VII. Met. 536. *Burm.*

impende] Deſumtum ex Virgil. III. Georg. 74.

Praecipuum iam inde a teneris impende laborem.

Burm.

205. *Sortire*] Sorte comple. Virgilianum ex Georg. III, 70.

Semper enim refice, ac ne poſt amiſſa requiras.
Ante veni, et ſobolem armento ſortire quotannis.

Barth.

206. *Quin acidos*] *Oliua* vocatur *Tritonis,* quia Tritonidi, *i. e.* Palladi ſacra. *cum* ante *oliua* ſubauditur. *Iohnſ.* De *Acido* vid. ad Petron. XXXI. neque opus eſt hic *cum,* vt ſupr. 158. Vlitius notabat, ſubaudire: nam *miſcere* cum ablatiuo conſtrui vidimus ad Ouid. VI. Faſt. 170. *Burm.*

208. *Oſtendere ſoli*] *Oſtendere* eſt exponere ſoli: Varro de Re Ruſtica I, 25. apud Diomed. lib. I. p. 372. *Lacus optimus vino ſit et oſtentus ſoli.* Vbi legendum *locus,* vt in capite praecedenti, *ager ſoli oſtentus.*

Auribus et tineas candenti pellere cultro.
Eſt etiam canibus rabies, letale periclum,
Quod ſeu coeleſti corrupto ſidere manat,
Quum

tus. nam ex Catonis illa cap. 6. deſumpta ſunt. *Burm.*

209. *Tineas candenti pellere cultro*] Geſnerus *ὁ πάνυ ricinos* intelligi putat. Iſidoro autem *ricinus* eſt, vermis canis, vocatus eo, quod haeret auribus canum. Geſnerum erraſſe cenſet Vlitius, quia *ricini* vermium genus reptile, non volatile eſt. Qui itaque candorem cultri fugiant, cum capite ipſo infixi adeo inhaerent? Ergo per tineas hoc loco muſcas caninas intelligere conuenit; quia alatae ſunt, et colore tineis haud abſimiles, ita dictas a Poëta: quae vt reliquum muſcarum genus quavis ventilatione abigantur; cum ricini, ſi vel manu vellantur, vlcera faciunt. modum tamen ſanandi a Nemeſiano praeſcriptum inauditum alias aſſerit Vlitius. quid ſi iſtud remedium ab ipſo tantum ſit male intellectum? Et illud *candenti* non *candidum* denotaret, ſed *ab igne calidum?* hoc ad delendos ricinos, quantumuis infixos valet; et quid, quaeſo, candido opus eſt cultro pellendis tineis? *Iohnſ.* De tineis vid. Barth. ad Claudian. I. in Eutr. 114. et notas ad Seren. Samon. cap. XXX. qui primam ſyllabam produxit, quare alii *taeniam* legunt. malim etiam legere *candenti vellere*, vel *euellere cultro.* tineas etiam apibus infeſtas memorat Virg. IV. Georg. 246. *tineas* ſiue *tineolas* aliis pediculos vocari dicit Veget. de Mulomed. II. cap. 44. *candens ferrum* recte explicare Iohnſ. puto: nam ibidem vrendas eſſe aurium laeſarum partes vicinas docet. *Burm.*

211. *Quod*] Nihil familiarius Poëtis, quam *ſidus* de ſole dicere. vide ad Petron. c. XIX. ita *peſtilens ſidus* Iuſt. XIX, 2. et Petron. II. eſt, quod hic *corruptum* dicitur: quamuis durius dictum videatur, et duo illa epitheta offendant. forte ſcripſerit,

Quod, ſeu coeleſti corruptio ſidere manat.

ita morbus *corruptio corporum* dicitur Ciceroni IV. Tuſc. 13. et ita *corrupti boues* morboſi Phaedr. II, 8. et Ouid. Ep. XX, 117.

Parce, precor, tenues corrumpere febribus artus.

Quod, hic non ad *periculum* refertur, ſed tranſitioni inſeruit. *Burm.*

Quum ſegnes radios triſti iaculatur ab aethra
Phoebus, et attonito pallens caput exerit orbe:
Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Quum quatit, hoc canibus blandis inuiſcerat aeſtus:
Exhalat ſeu terra ſinu, ſeu noxius aër
Cauſſa

212. *Segnes radios*] *Segnes* hic proprie, nam notat *ſine igne*, docente Seruio ad Virg. XII. Aen. 525. ita *ſegnis ſtella* Claud. Phoenice 36. et Val. Flac. I, 482. vid. ad Nemeſ. Ecl. I, 49. *Burm.*

213. *Orbe:*] Scribendum; *orbi. Attonito orbi.* Horridum autem *ſidere corrupto.* Sed ſciendum, *ſideris* vocabulo hoc loci aërem deſignari, quem ait ſegnibus Phoebi radiis corruptum et quaſi putidum fieri. *Barth.* Dubium, an *orbis* pro terra, vel ipſius ſolis orbe capiendum. poſſet tamen et legi *ore*, nam voces illae de ſole et luna ſolent ſaepe commutari: vid. ad Val. Flacc. II, 57. et Ouid. IV. Faſt. 944. vt ita *os* ſolis *attonitum* ex ipſo pallore arguatur. ita pauor os *attonitum* Medeae dabat apud Val. Flacc. V, 375. et *attonitum vultum* III, 530. dixit idem: Non damno tamen *orbi*; vide ad Nemeſ. Ecl. II, 75. huc etiam poteſt facere Ouid. Rem. 257.

Nec ſubito Phoebi pallidus orbis erit.

Burm.

214. *Seu magis*] *magis* pro *potius.* Vid. ad Grat. 90.

215. *Hoc canibus*] Puta, corruptum ſidus. Vel *aeſtus* ſi ſumatur primo caſu, *hoc*, puta letale malum, caſu quarto. *Vlit.*

quatit] Idem, quod Senecae *premit.* Iohnſ. Ouid. I. Art. 68. *Cum ſol Herculei terga leonis adit.*

blandis inuiſcerat] Intra viſcera immittit, nota verbum, qua forma dicitur *illatebrare*, *inſinuare*, *illabi*, *illuminare* etc. Canes *blandos* vocat ab eo, quod eſſe ſolent, ſi hoc morbo careant. *Titius.*

216. *Exhalat ſeu terra ſinus*] Ita omnes libri. tu tamen lege *ſinu. s* enim a ſequente voce adhaeſit. *Iohnſ.* Ita iam olim correxerat Heinſius ad Ouid. IV. Met. 393. qui, cum tot alias eius ex notis iſtis emendationes adduxerit Iohnſon, hic memorari merebatur:

Cauſſa mali; ſeu, quum gelidus non ſufficit humor,
Torrida per venas concreſcunt ſemina flammae.
Quidquid id eſt, imas agitat ſub corde medullas,
Inque feros rictus, nigro ſpumante veneno,
Proſilit, inſanos cogens infigere morſus.

Diſce

praecipue cum ad Grat. 375. ex Heinſio emendationem producat, qui ibidem hunc quoque locum tractauit. ille ſubintelligebat malum, ſeu terra ſinu exhalat malum, etc. Scaliger hunc locum ita conſtituebat,

Hos canibus blandis immiſerit aeſtus;
Exhalat ſeu terra ſinu etc.

Inter *ſinus*, et *ſeu* erat aſteriſcus in Aldina. *Burm.*

217. *Non ſufficit humor*] Cum omnis ſuccus flammae vi exhauſtus eſt. *Barth.* Ego explicare malim, cum canibus gelida aqua deficiat, qua ſitim reſtinguant, ita vt alatur magis magiſque ſitis calenti et feruenti per ſolis aeſtum aqua. ita apud Ouid. II. Faſt. 264.

De nullo gelidae fonte bibantur aquae.

Nihil enim magis ſitim leuat. vnde Horat. I. Ep. XVIII, 104.

Me quoties reficit gelidus, Digentia, riuus.

et ita millies Poëta. *Burm.*

218. *Concreſcunt*] Mox idem redit verbum vſ. 126. ideoque hic Heinſ. malebat *crudeſcunt*, vel *inoleſcunt*. Burm.

219. *Imas medullas*] Intima viſcera. *Iohnſ.*

220. *Nigro*] Liuenti, noxio; venenum omne γενικῶς appellatur *nigrum* a Poëtis, quaſi letale, funeſtum. Virg. IV. Aen. 514.

Pubentes herbae nigri cum lacte veneni.

Titius.

221. *Cogens*] Nimirum *canes.* Iohnſ. Sed quis erit nominatiuus τῶν *agitat* et *proſilit?* vel *quidquid id*, vel potius *canis. canis* rabie iam plenus. et tunc malim *conans infigere morſus*, nam mox iterum *cogens* ſequitur. de verborum horum commutatione vide Broukh. ad Propert. I. III, 12. ita apud Germanic. Arat. 15. *Haec ego dum Latiis conor praedicere muſis. cogor* erat in MS. Puteaneo, ſed male. *Burm.*

Diſce igitur potus medicos, curamque ſalubrem.
Tunc viroſa tibi ſumes, multumque domabis
Caſtorea, attritu ſilicis painteſcere cogens.
Ex ebore huc trito puluis ſectoue feratur,
Admiſcenſque diu facies concreſcere vtrumque:
Mox lactis liquidos ſenſim ſuperadde fluores,
Vt non cunctantes hauſtus infundere cornu
Inſerto poſſis, furiaſque repellere triſtes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.

Quin

223. *Tunc viroſa tibi*] Plinius *fibras* dixit, *quas* Graeci *Caſtores vocant*, *et Caſtorea teſtis eorum*, atque late de iis agit lib. XXXII. cap. 2. Expreſſit autem noſter ipſa Maronis verba Georg. I, 58. *viroſaque Pontus Caſtorea.* Vbi nugatur Seruius, quod *viroſa*, *venenata* aut *fortia* interpretatur. *Virus* pro graueolentia ſaepe ſumi ad Gratium vſ. 355. et 415. probaui. Hinc *viroſum caſtoreum* merito dicitur, quod vt ſit βαρύοσμον, βρωμῶδες, δριμὺ (i. e. *graueolens*, *faetidum*, *acre*) ad bonitatem eius requiritur a Dioſcoride lib. II. cap. 26. Plinius interpretatur: *odoris grauis*, *guſtu amaro et acri.* Vlit.

228. *Non cunctantes*] Lactis nimirum admiſtione liquidos, et in canum gula non haeſuros. *Iohnſ.*

229. *Furiaſque repellere triſtes*] Morbum, qui canes in rabiem agit. *Titius.*

230. *Componere*] *Componere mentem*, *mores* et ſimilia vidimus ad Ouid. III. Art. 501. adde multa, quae congeſſit Opitius ad Diſticha Catonis in praefatione pag. 119. neſcio tamen, an recte apud Cicer. II. Tuſc. 21. reponat Daviſius in ſecunda editione hoc verbum pro *animum comprimere*, quod reſpondet rectius τῷ *imperare*, quod ibi bis terue praecedit, et *armare* et ſimilia, quae maiorem vim exigunt, quam eſt in illo componere. *Burm.*

Quin et Tuſcorum non eſt extrema voluptas
Saepe canum: ſit forma illis licet obſita villo,
Diſſimileſque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen iniucunda dabunt tibi munera praedae.
Namque et odorato noſcunt veſtigia prato.
Atque etiam leporum ſecreta cubilia monſtrant.
Horum animos, moreſque ſimul, nareſque ſagaces

Mox

231. *Quin et Tuſcorum*] Cur hos a reliquis ſeparauerit Nemeſianus, ne indicta cauſa condemnetur, ipſe rationem eloquitur, quod

Diſſimiles habeant catulis velocibus artus.

Vlit. Ego puto, haec incidiſſe Nemeſiano, cum iam de canibus finierat, et ideo antequam ad equos tranſiret, *Quin et* etc. interieciſſe. *Burm.* *non extrema voluptas*] Id eſt *non ſumma*, quam capit venator ex bellicoſis canibus: vel *non minima*. vtroque enim modo exponi poteſt. ſed hoc malim: quia ſequitur *licet*, et *tamen*: non eſt parua voluptas Tuſcorum canum, licet deformes ſint, tamen dabunt tibi munera. *Burm.*

232. *Saepe canum:*] Vetus ſcriptura,

Saepe canum, ſit forma: illis licet obſita villo.

Quam nullo pacto dubitandum eſt eſſe legitimam. *Barth.* *Sit* G. *eſt.* A. P. et Steyn. et B. *Vlit.* *Sed forma illis* Scalig. parum referre arbitror, *eſt* an *ſit* legas, quum hoc aeuo *licet* etiam cum indicatiuo iungerent. vid. Reineſ. et Daumii Epiſt. 104. et 106. Apulei. II. Metam. *licet ſalutare non erit.* Sed tamen, quia *eſt* praecedit, et *habeant* ſequitur, malim *ſit*, nec ſine neceſſitate ad hiatus refugiendum puto. *Burm.*

234. *Praeda*] Scribendum eſt, *praedae.* Barth. Heinſius per appoſitionem malebat, *praedam*: vel *praedae*, ſcilicet captarum ferarum, dabunt tibi non iniucunda munera; *praeda* A. Steyn. et P.

237. *Animos*] Vno verſu omnem canum virtutem complexus eſt: animi, audacia, promti-

Mox referam: nunc omnis adhuc narranda ſupellex
Venandi, cultuſque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Graecia nobis,
Cappadocumque notas referat generoſa propago:
Armata et palmis nuper grex omnis auorum.
Illis

promtitudo ad dimicandum, mores, quae diſcere poſſunt, deinde ſagacitas in odorando. Patet hinc, optimam partem Nemeſiani ſcriptorum interiiſſe, nam inprimis iſta ſcitu erant digna. *Barth.* Vid. Grat. 154.

238. *Supellex*] *Arma* toties nominata Gratio, retia rara, plagae, lato venabula ferro, et talia. *Barth.*

241. *Cappadocumque*] In his patriae ſuae laudem mire extollit, virtutemque praedicat eorum popularis Oppianus, (lib. I, 197.) qui praeſtantiſſimi equi notas in Cappadoce abſoluit: adeo vt eo forte reſpexerit noſter. Vegetio, *Cappadocum generoſa nobilitas.* Solinus cap. de Cappadocia: *Terra illa ante alias altrix equorum, et prouentui equorum accommodatiſſima eſt.* Sed noſter de Cappadocibus in Graeciam tranſcriptis loquitur. Claudianus de laudibus Serenae 190.

— delectus equorum,
Quos Phrygiae matres, Argaeaque gramina paſtae
Semine Cappadocum ſacris praeſepibus edunt.

Idem equum Honorii ita alloquitur, in Epigrammate:

Seu te Cappadocum gelidae ſub valle natantem
Argaeae lauere niues, etc.

Vlit.

242. *Armata*] Depoſitum vlcus et immedicabile heic latere ait Nic. Loënſis Miſcell. lib. IV. cap. 7. Sane non facile quis genuinum eruerit abſque libro. In noſtra ea opis eſt antiqua editione, vt non prorſus deſperemus. Ita enim habet illa:

Marte det et palmas nupert grex omnis auorum.

Olfacimus Nemeſianum reliquiſſe. *Marte decet palmas grex nuperus omnis auorum.* Nimirum vox *nuperus* primum anſam correctoribus dedit ad corrumpendum locum, quam non concoquere potuerunt. *Barth.* Variae ſunt ad hunc locum

Illis ampla ſatis leui ſunt aequora dorſo,
Immodicumque latus, paruique ingentibus alui,

Ardua

locum doctorum coniecturae; quibus (quia nec iudicium, nec veriſimilitudinem, nedum veritatem ſapiunt) inter variantes lectiones locus tantum dabitur. Gronouium (lib. III. Obſ. 13.) vero lubentiſſime audimus. Non eſt iactatus magis, nec deſperatus in Nemeſiano locus: videbamur tamen non incommode cogitaſſe:

Armenti, et palmas numeret grex etc.

Armentum. vt Colum. l.VI. c.6. *maxime curandum, vt praedicto anni tempore, tam foeminis, quam admiſſariis, deſiderantibus coëundi fiat poteſtas; quoniam id praecipue armentum, ſi prohibeas, extimulatur libidinis furiis, vnde etiam veneno inditum eſt nomen ἱππομανές.* Statius Lib. VIII. *plena armenta viris.* Dein. *palmas numeret,* eſt multas habeat. *Iohnſ.* Sollicitum et Heinſium hic locus habuit, qui tentabat,

Aemathiae et palmae cui par grex omnis auorum.

vel *Marmaricae,* vel *Sarmatiae.* Barth. ad Stat. I. Ach. 420. corrigebat,

— notas referat generoſa propago
Maternas. Palmas numerat Epeirus auorum.

firmans coniecturam ex illis Gratii in fine.

Quis Chaonias contendere contra
Auſit, vix merita quas ſignat Achaia palma.

Mihi ex vitioſa ſcriptura editionis veteris, quam laudat Barthius, facilior videtur medicina, ſi legatur:

Martius et palmas ſuperans grex omnis auorum.

Vel *ſuperet.* vel latere puto nomen patriae generoſorum equorum, quos Graecis et Cappadocibus adiunxit, et forte, vt Vlitius ſuſpicatur, equos, qui nuper palmam in ludis reportauerant, indicat. in Aldina erat Aſteriſcus ante *armata.* Burm.

243. *Sunt aequora dorſo*] Planitiem et ſpatium dorſi ſatis amplum, nunc *aequor* vocat. *Titius.*

244. *Immodicum*] Exceſſum nominauit, vt nullam in neceſſitate virtutis dubium relinquatur. *Barth.*

ingentibus] *Ingentibus* hic eſt, etiam illis, qui ſunt ingentes, alui tamen eſſe debent breuiores. *Burm.*

Ardua frons, aureſque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago ſplendore micantes:
Plurima ſe validos ceruix reſupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores:
Nec pes officium ſtandi tenet: vngula terram
Crebra ferit, virtuſque artus animoſa fatigat.
Quin etiam gens ampla iacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fecunda proborum.

Namque

246. *Vago*] *Vagus ſplendor* eſt irrequieti animi indicium, vid. ad Val. Flac. VI, 584. Vbi *vaga lumina.* hoc vero laudatur in equo, vt et in auribus et pedibus mox 249. deinde *lumina viuida* vocat vſ. 256. *Burm.*

247. *Plurima*] Hoc eſt, maxima eius pars. Sic Virgilius *montem plurimum vrbi imminere* dixit. *Barth.* Vid. ad Grat. 30.

ceruix reſupinat] Incuruat ſe. *Iohnſ.*

250. *Vngula terram*] Hoc eſt, quod dixit, *nec pes officium ſtandi tenet.* atque infra, *nec crure quieſcit.* Virg. ſic III. Georg. 87.

— — Cauatque
Tellurem et ſolido grauiter ſonat vngula cornu.

Dictum eſt autem *crebra*, pro *crebro*, nota figura Graecorum exemplo. *Titius.*

virtuſque artus animoſa fatigat] Παραφράζει illud Maronis: *et tremit artus.* Nam tremor ille et inſtabilitas προθυμίας indicium eſt, non timoris. *Vlit.*

251. *Trans ardua Calpes culmina*] Carthagine in patria ſua ſcribenti haec Aurelio Hiſpania a laeua trans fretum oppoſita erat, eiuſque proximum Afris promontorium Calpe, cui obiacet Abyla, quae duae ſunt Herculis columnae

Namque valent longos pratis intendere curſus.
Nec minor eſt illis, Graio quam in corpore, forma.
Nec non terribiles, ſpirabile flumen, anheli
Prouol-

columnae. De iis Auienus Periegeſi 165.

—— *ſcopuli ſtant ardui vtrimque,*
Vnus in Europam, Libyam procul aſpicit alter.
Sic deſerta freto procera cacumina celſis
Emicuere iugis, ſic coelum vertice fulcit
Maura Abila, et dorſo conſurgit Iberica Calpe.

Idem Ora Maritima hinc obiter reſtituendus 86.

Hic ſunt columnae peruicacis Herculis,
Abyla atque Calpe: laeua dicti ceſpitis,
Libyae propinqua eſt Abila.

Quod ipſe paulo poſt 342. confirmat, et interpretatur:

Sunt parua porro ſaxa prominentia
Abila atque Calpe: Calpe in Hiſpano ſolo,
Mauruſiorum eſt Abila.

Vbi tamen miror *parua ſaxa* vocari, quae *ardua*, et *procera*, et *nubes ſubeuntia* dixerat Periegeſi: niſi forte et hic, *alta* reponendum ſit. *Vlit.* In Auieni loco malim, *ſunt paria porro ſaxa.* nam ita produnt Geographi, olim cohaeſiſſe, ſed vi vndarum diuulſos montes, et inter ſe fere pares eſſe. *Burm.*

253. *Intendere*] Vid. ad Val. Flac. VII, 114, Sup. 197. dixit *tendere.* Burm.

254. *Graio quam in corpore*] Particulatim de Achiuis, Magneſiis, Theſſalicis ac Thracicis mentionem habet Oppianus. *Titius.*

255. *Spirabile numen*] Vlitiana lectio eſt, quae nunc contextum inſidet; Veteres enim Editi hoc modo, *numen anhelae.* recte Vlitius emendauit *anheli.* non inſolens enim mutatio. Gratii codices, *ipſae* pro *ipſi.* 290. V. male autem exponit. Sic enim ille. Ordo verborum hic eſt. terribiles quoque apparent, cum lucem atque ignem anhelo flatu prouoluunt. *Terribiles* enim eſt quarti caſus, et cum *flatus* coniungendum; *anheli* autem praecedit verbum, quod autem *lumen* loco τῦ *numen* inſerendum duxit, nollem factum, ob *lumina* proximo verſu. Scribe igitur *flumen.* Ordo autem verborum hic.

Prouoluunt flatus, et lumina viuida torquent
Hinnituſque cient tremuli, freniſque repugnant.

Nec

hic. Quin etiam anheli et ardentes prouoluunt terribiles flatus, quaſi flumen ſpirabile. copiam et vehementiam ſpiritum per nares exvndantem comparat flumini ex vrna prouoluto. legi poteſt *fulmen*, ſed prius placet. *Iohnſ.* Haec potuit Iohnſ. debere Barthio, qui ad Stat. VI. Theb. 439. legit.

Nec non terribiles, ſpirabile flumen, anheli
Prouoluunt flatus.

et ita Scaliger et Heinſius, qui et *fulmen* habebat in ora codicis alterius. ſed *ſpirabile* magis flumini conuenit, et notat craſſum vaporem, quem naribus euomunt: *humentes vapores* vocauit vſ. 248. et conuenit hoc etiam verbo *prouoluunt*, quo et vtitur Ouid. VIII. Met. 586. vbi alii codices *deuolui.* ſic de tauro Colchico Val. Flac. VII, 572. *Atro voluens incendia fluctu.* vid. ad Grat. 445. vbi *flumen flammae. lumen* ex Virgilio petierunt, qui III. Aen. 600. vbi *coeli ſpirabile lumen:* vbi alii codices *numen.* Burm.

anheli] Non a fatigatione, ſed animoſitate, et ingenii ſpiritu ardentes intellige. *Anhelus* itaque hoc ſenſu dicitur, qui quaſi nimio ardore et conatu laborat, adeo vt quantumuis patulae nares, nimio tamen ſpiritu anhelent. Ita accipiendum, quod Maro Georg. I, 250. et Aen. V, 739. dicit: *equis Oriens afflauit anhelis.* Vlit.

256. *Lumina viuida torquent*] Superius: *oculique vago ſplendore micantes.* Ita anguis ille Georg. III, 433. *flammantia lumina torquens.* Ex quo libro quia plurima mutuatur noſter, etiam hoc forte an deſumpſit. *Vlit.*

257. *Tremuli*] Tremorem numerari inter indicia viuidiſſimi in equis vigoris, probat Broukhuſ. ad Propert. IV. I, 43. *Burm.*

freniſque repugnant] Ouidius II. Met. 87.

— — *vbi acres*
Incaluere animi, ceruixque repugnat habenis.

Vlit. Ouid. Remed. 514.

Propoſitis frenis ſaepe repugnat equus.

et IV. Triſt. VI, 24.

Et domitus freno ſaepe repugnat equus.

Burm.

S

Nec ſegnes mulcent aures, nec crure quieſcunt.
Sit tibi praeterea ſonipes Mauruſia tellus
Quem mittit, modo ſit gentili ſanguine firmus:
Quemque coloratus Mazax deſerta per arua
Pauit, et adſiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat, quod turpe caput, deformis et aluus
Eſt ollis, quodque infrenes, quod liber vterque,

Quod-

258. *Nec ſegnes mulcent aures*] Dubito de hoc verbo: nam *mulcere aures* dicitur, qui cantu vel ſono grato alicuius aures ferit. vt Ouid. V. Met. 561. et II. Triſt. 358. nec, qui poſſit equus ſuas aures mulcere, video. an *tollunt*; aut *motant?* certe ſimile vocabulum deſidero. Videant acutiores. *nec* vero debet reſolui in *et non*, vt dictum ſit pro, *et mulcent aures non ſegnes.* vid. Seru. ad Virg. III. Georg. 96. *Burm.*

260. *Firmus*] Non claudicet adulterio matris. Hoc eſt, non ex confuſo ſemine aliarum gentium equorum ſit prognatus. Hoc dicit *firmum ſanguinem.* Barth.

261. *Coloratus*] Solis aeſtu infuſcatus. *Heinſ.* Vid. Gronou. Diatr. Stat. cap. 10.

Coloratus Mazax] Mauritaniae populi ſunt, et Mauris hic ab Aurelio accenſentur. Dicuntur autem *Mazaces* pleriſque, *Mazices* Ammiano, et *Mazici* in veteri Chronico, Graecis ſunt Μάζικες et Μάζυες. Apud Oppianum tamen ediderunt Μάζηγες in catalogo equorum: quod proxime accedit Latinorum terminationem, qui *Mazaces* dixerunt. Lucanus lib. IV, 681. *tremulum cum torſit miſſile Mazax.* Quem veſtigiatim de more expreſſit Claud. lib. I. de laud. Stilic. 356. *pauidus proiecit miſſile Mazax.* Vlit. Vid. Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 226. et Heinſ. ad Claudiani locum a Vlitio adductum.

264. *Quodque infrenes*] Idem contemptui quoque duxit in iisdem Claudianus de bello Gild. 439. *ſonipes ignarus habenae.* Hinc *Numidae infreni* Maroni Aen. IV, 41. Lucano lib. IV, 683. *Maſſylia frenorum neſcia.*

Quodque iubis pronos ceruix diuerberet armos.

Nam

neſcia. Neſcio itaque, quod ſibi velint illa Strabonis lib. XVI. de Mauris: *Μάχονται δ' ἱππόται τὸ πλέον ἀπὸ ἄκοντος, σχοινοχαλίνοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις καὶ γυμνοῖς.* Quibuſcum pugnant fere ea, quae de iisdem et vicinis eorum eodem viuendi inſtituto vtentibus ſubiicit: *μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥς' ἀπὸ ῥάβδȣ οἰακίζεσθαι.* Si enim virga reguntur, quod freno opus? Et ſane omnes fere eae gentes infrenibus equis vſae. Suſpectam mihi vulgatam inſuper facit varia ſcriptorum codd. lectio, quae habet: *τὸ πλέον σχοινομάλοις χρώμενοι.* Vnde coniicere liceat: *ἄνευ χαλίνων*; vel *ἀχαλινωτοῖς χρώμενοι τοῖς ἵπποις.* Verum quod poſtmodo *περιτραχήλια* illis attribuit, *ἀφ' ὧν ὁ ῥυτὴρ ἀπήρτηται*, nihil ad frenum pertinet, ſed vel *ἐπιφατνίδιον δεσμὸν* intelligit, vel quo equi duci ſolent, quam *ὁλκὴν* etiam vocant. Ammianus *habenam* dixit lib. XIX, 81. *Fugaci equo nudo et infreni calonum quidam ſedens, ne labi poſſit, ex more habenam, qua ductabatur, ſiniſtra manu artius illigauit.* Vlit.

vterque] Mauruſius et Mazax. *Barth. locus ſuſpectus.*

265. *Quodque iubis*] Iubas etiam indiſcretas et incomptas relinquebant equis ſuis Numidae, *ϗ κόμας κτενίζοντες, ϗ χαίτας ὑποπλέκοντυς*, vt Aelianus ait. Iubae autem pronos armos non facile attingunt, niſi cum demiſſa et prona ipſa quoque ceruix eſt. Liuii verba ſunt: *deformis et ipſe curſus rigida ceruice et extento capite currentium.* Hoc ipſum hic eſt, quod notatur. *Vlit.* Gronouius autem ad hunc locum ſcribit. Si memineris, quid *diuerberare* ſit, ſatis intelligas, *ceruicem armos diuerberare iubis* dici non poſſe: non enim flagellare, percutere, eſt *diuerberare:* ſed euentilare, diſcutere, agitando digerere et componere. Scribe igitur,

Quodque iubas pronis ceruix diuerberet armis.

Et mihi ſane, quo diutius vim verborum inſpexi, eo verior et doctior viſa eſt coniectura. *Iohnſ.* Sed *diuerberare* eſt proprie, quando aliquid inſtrumento ſcindimus quaſi obſtans aliquid, vt ferro, telo, ictu etc. *diuerberare auras, vmbras* etc. obuium eſt. Iam vero armos non transeunt iubae, et ita non diuerberant, quare forte melius legeretur,

Nam flecti facilis, laſciuaque colla ſecutus,
Paret in obſequium lentae moderamine virgae.
Verbera ſunt praecepta fugae, ſunt verbera freni.
Quin et promiſſi ſpatioſa per aequora campi
Curſibus adquirant commoto ſanguine vires,
Paullatimque auidos comites poſt terga relinquunt.

Haud

Quodque iubis pronos ceruix euerberat armos. De quo verbo vid. ad Ouid. XIV. Met. 577. eſt vero idem quod Calp. VII. Ecl. 60. *hirtae iactantur per colla iubae*, ait. *Burm.*

266. *Laſciuaque colla*] Infraenium equorum more. *Barth.*

ſecutus] Non intelligo, quid ſit *ſequi colla laſciua*. malim, *laſciuaque colla ſolutus*. id eſt ſine loro et freno. vid. ſupr. ad vſ. 184. vbi *libera colla* dixit. et hoc ſequentia exigunt. *Burm.*

267. *Lentae moderamine virgae*] Martialis IX, 23. *Maſſylaeum virga gubernat equum.* Claudianus Bel. Gild. 440. *Virga regit.* Strabo ἀπὸ ῥάβδȣ οἰακίζεσθαι illos dixit. *Vlit.*

268. *Fugae*] *Fugere* pro *currere*, et *fuga* pro *curſu* ſolenne poëtis. v. Georg. III, 142. *carpere prata fuga*, poſt 201. *Iohnſ.* Virga loco calcarium incitant, et loco frenorum reprimunt curſum. *fugax* equus pro celeri, veloci paſſim apud Ouidium et alios. vid. ad Epiſt. IV, 46. vbi et *ſequacem* contra dici, qui frenis paret, videbis. vid. et ad X. Met. 664. et ad Val. Flac. III, 584. *Burm.*

269. *Promiſſi*] Quid ſibi vult *promiſſi*, neſcio. lege, *permiſſi*: incitati, συθέντες, laxis quaſi habenis lati. vt Gratius: *qualis ſpatiis permiſſa Lechaeis Theſſalium quadriga decus.* Iohnſ. *Permiſſi* Heinſius quoque emendarat. Nemeſ. Ecl. I, 7. *viridique gregem permittere campo.* et vſ. 121. *in Venerem permitte marem.* ita apud Val. Flac. I, 574. *Carbaſa permiſſa profundo.* dubium tamen adhuc eſt, an *promiſſi campi* non coniungendum, pro lati, vt *promiſſi* crines, barba *promiſſa* et ſimilia paſſim obuia. mox *latum* campum vocat 289. *Burm.*

271. *Auidos*] Victoriae. In

Vet.

Haud ſecus effuſis Nerei per caerula ventis,
Cum ſe Threicius Boreas ſuper extulit antro,
Stridentique ſono vaſtas exterruit vndas,
Omnia turbato ceſſerunt flumina ponto:
Ipſe, ſuper fluctus ſpumanti murmure feruens,

Con-

Vet. Ed. *pauidos.* Id quod nos non recipimus in alterius locum. *Barth.* Vid ſupr. vſ. 100.

272. *Haud ſecus effuſis*] Comparatio dilucida et perſpicua, nec inferior habenda ipſa fere Virgiliana, Vlitio videtur. Vnum tamen me male habet, maris mentionem ſepties ſpatio ſeptem verſuum moleſtiſſima occurrere. v. 272. *per caerula.* 274. *vaſtas vndas.* 275. *turbata ponto.* 276. *ſuper fluctus.* 277. *pelago.* 278. *ſuo aequore.* in verſu autem 273. ſubintelligitur *mare* poſt *ſuper.* Iohnſ. Sed mirari potius debuiſſet Poëtae copiam, qui tot diuerſis vocibus mare exprimit, nec moleſtus eſt repetitione eiusdem verbi. ſed qui his offenditur, parum Po t rum lectioni ſe adſuetum fatetur. vid. ad vſ. 270. *Burm.*

274. *Exterruit*] Eleganter imperium ſuum oſtendens in alios ventos, quos ſibi cedere iubet, reuerentiam et vim ſuam porrigit. Ita egregie explicuit Gronouius illa Senecae in Medea 214.

Armata peltis quidquid exterret cohors.

Quocumque venit, terrorem ſecum trahit; cui obloqui non debebat Philoſophans, niſi exemplum verbi *exercere*, quod ille praefert, adduceret, quo oſtenderet, Amazonas exercuiſſe agros. Ita *exterrere hoſtes* Grat. 45. et Ouid. I. Art. 13. et II. Triſt. 35. de Ioue fulgurante

Hic vbi detonuit, ſtrepituque exterruit orbem.

Burm.

276. *Ipſe, ſuper fluctus*] Boream ipſum humana figura per mare volitantem deſcribit. *Titius.* Nereus videlicet, quem modo nominauit. *Nerei per caerula.* Barth. Neſcio, an potius Boreas intelligatur, vt Iohnſon. (Titius) et debeat conuenire τῷ *euntem*, quae vox ad maieſtatem quamdam pertinet, vt recte notat Barthius ad Stat. X. Theb. 677. *Burm.*

murmure feruens] Heinſius malebat *marmore*, et ita foret imitatio Lucretii ex lib. II, 766.

At mare

Conſpicuum pelago caput eminet: omnis euntem

Nerei-

At mare, cum magni mouerunt aequora venti,
Vertitur in canos, candenti marmore, fluctus.

In quibus duobus verſibus, *mare*, *aequora*, *marmor* et *fluctus* occurrunt: de vno mari quatuor voces. Ita Senec. Hippol. 1007. *mare*, *ſalum*, *pelagus*, *freta*, *pontum*, ſex in verſibus. an et haec Iohnſonii delicatas aures offenderent? certum vero eſt, ſaepe *murmur* et *marmor* confuſa in ſcriptis: vnde apud Lucan. IX, 349. *Pontus Audit ventoſa perflantem marmora concha*, recte reſtituerunt pro *murmura*: quis enim *perflare murmura* credat Latine et eleganter dici? nec quia hic *pontus* praecedit, *marmora* debet proſcribi, vt iam vidimus Poëtis hoc vſitatiſſimum eſſe, talia vocabula cumulare: nam et ita apud Lucretium eſſet ineptum, quater idem dixiſſe, ac ſi eſſet, *mare*, cum venti mouent *mare*, vertitur in *mare* canum, candenti *mari*; quae non debent Poëticae vbertatis conſcios inducere, vt loca ſana corrumpant. *marmor* ergo, quod pro mari centies Poëtis ponitur; poſſet ſatis defendi. vide Cerdam ad Virgil. I. Georg. 254. ſi vero non ſimpliciter liceret *marmora* dicere de mari, quia candet, et aequale etiam eſt et leue, non fas eſſet quoque *aequora* dicere, in qua voce ſimilis eſt metaphora; vnde ſaepe etiam dixerunt *aequora ponti* et *maris*. vid. ad Val. Flac. II, 375. et quae adiecit exempla Cl. Markl. ad Stat. III. Silu. II, 43. ſic ergo et *marmora ponti*, et *aequora ponti* poſſumus dicere, et ſimpliciter *marmora* et *aequora* aequo iure: epitheta vero nihil mutant in his vocibus, niſi quod aliquid adiiciant. Ita vt *infidum marmor* dixit Virgil. d. l. Lucretius dixit *infidum mare* II, 557. et vt Virg. VII. Aen. 28. *in lento luctantur marmore tonſae.* Ita Valer. Flac. I, 313. *tonſas in marmore ſummo praetentant*, et ante eos Ennius apud Gell. II, 26.

Verrunt extemplo placide mare, marmore flauo
Caeruleum ſpumat mare.

Qui locus poſſet in primis firmare correctionem Heinſii, quia, licet marmor fere de placido aequore dicatur, etſi etiam, cum remi id verrunt, in ſuperficie eius ſpuma naſcatur, tamen etiam Borea turbante aequale marmor, *ſpumans* cernitur eodem modo, vt apud Lucretium *candens.* His defendi ſatis poſſet Heinſii cor-

Nereidum mirata ſuo ſuper aequore turba
Horum tarda venit longi fiducia curſus:
His etiam emerito vigor eſt iuuenilis in aeuo.
Nam quaecumque ſuis virtus bene floruit annis,

Non

ſii correctio. nec tamen facile vulgatam lectionem turbarem, et de Borea furente caperem hoc modo, *ipſe ſpumanti murmure feruens ſuper fluctus eminet caput* etc. vt *murmur* de ſono, quem *ſtridentem* vocauit modo, capiamus. nam et ſaepe Poëtae hanc vocem dant ventis. vt Virgil. Ecl. IX, 58. *ventoſum murmur.* et X, 58. *caeca volant murmura.* Ouid. I. Triſt. II, 25. vt quidam codices, *fremunt immani murmure venti. ſpumans* vero *murmur* dictum ſit de rabie et furore, quo correpti ſpumas agunt ore ſuo. Lucan. V, 190.

Spumea tunc primum rabies veſana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
Murmura.

Idem IX, 927.

Plurima tunc voluit ſpumanti carmina lingua
Murmure continuo.

Boreas ergo, hic vt furens, eodem modo vt homo rabidus, deſcribitur, qui feruet murmure ſpumanti, id eſt ore, quo murmur efflat, ſpumanti. et ita *furentes ventos* paſſim dici notum eſt. vid. ad Sil. Ital. XIV, 74. Cl. Drakenborch. *furere* vero et *feruere* ſaepe in idem recidit, et a librariis aliquando permutata haec fuere verba. ita apud Senec. S. de Ira, I. *minime humana feruens cupiditate*, vbi MS. *furens.* Sed in haec praeter morem longius exceſſimus. *Burm.*

277. *Caput eminet*] Per Graeciſmum capiendum, vt conueniat τῷ *ipſe.* Burm.

279. *Horum tarda venit*] Serius virium perfectionem et nanciſcuntur, et amittunt. Vt tardius adoleſcentiam conſummant, ita nec ſenio niſi tarde conficiuntur. *Vlit.* Idem fere ſenſus, qui in illis Tacit. de Germanis cap. XX. *ſera iuuenem Venus, eoque inexhauſta pubertas.*

281. *Suis annis*] Quibus virtus illa propria eſt. hi *veri anni* Ouidio II. Art. 61. dicuntur, in iuuentute, quae ipſe flos aetatis. *Burm.*

virtus] Hic poni videtur *Virtus* abſtracte pro *equo animoſo, virtutis pleno.* Iohnſ. *Virtus* hic dicitur, vt *virtus curſus* ſupr. vſ. 190. et 250. *virtus*

Non prius eſt animo, quam corpore, paſſa ruinam.
Paſce igitur ſub vere nouo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, vetereſque labores
Effluere adſpecta nigri cum labe cruoris.
Mox laetae redeunt in fortia pectora vires.

Et ni-

nus animoſa, et ita paſſim. *Burm.*

282. *Non prius*] Barth. XV. Ad. 10. diſtinguebat hoc modo,

Non prius eſt, animo quam, corpore paſſa ruinam.

hoc ſenſu. corpora non prius deficere, quam animos. Sed eodem fere redit, licet rectius puto, animus diutiſſime illis remanet, nec niſi cum effoeto corpore cadit, non antea. *Burm.*

283. *Farragine molli*] Virgilius lib. III. Georg. 205.

Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere iam domitis ſinito.

Diuerſam tamen noſter *farraginem*, ac ille, intellexit. Hic enim, vt alias fere, purgationi inſeruit farrago, qua opus eſt ante miſſionem ſanguinis. At vero apud Maronem *farrago* nihil aliud eſt, quam id, *quod ex pluribus ſatis pabuli cauſa datur iumentis*, exponente Feſto. *Vlit.* Vid. ad Iuuen. vſ. 86. comm. et Caſaub. ad Perſ. V, 77. et ſupra ad vſ. 166.

284. *Vetereſque labores*] Morbum, quo equus laborat, nam ſanguinis miſſio multos morbos depellit. *Titius.* Heinſius coniiciebat, *vetereſque vapores.*

285. *Adſpecta*] Heinſ. *adfecta nigri cum tabe veneni*, ſed verbum deſiderat ſententia. Niſi *affecta* ab *affectare* intellexerit. Sed et ſic durior erit locutio. *adſpecta* vero maiorem domino curam commendat, ne hoc famulis committat, ſed ipſe adſit, vbi equis ſanguis emittitur. Vel ineſſe poteſt huic verbo vis admirandi; vt hac adhibita medidicina miretur langueſcentibus equis vires nouas redire. ita apud Virgil. I. Aen. 420.

— *Aduerſaſque adſpectat deſuper arces;*
Miratur molem Aeneas.

Burm.

labe] Cum corrupto nigro cruore. *Barth.*

Et nitidos artus diſtento robore formant.
Mox ſanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga conſumere campum.
Inde vbi pubentes calamos durauerit aeſtas,
Lacten-

287. *Formant*] V. *firmant*. Quod non placet. Nam illud ſimul decorem equi demonſtrat. Et talium acuminum adfectatio crebra in hoc et in omnibus Afris. *Barth.* *Firmant* Heinſ. malebat. male. *formant* eſt, pleni iterum et pingues (diſtento robore ſcil.) formam ſibi reddunt ſimul cum pectore forti. ita ſe *formare* Luna ſupra 130. cum *plena* fit, dicitur. *Burm.*

288. *Sanguis venis*] Malim, *mox ſanguis melior venis calet*, qui gratior auribus ſonus. *Burm.*

ire viarum longa volent] Sic dictum, quo modo ab Horatio IV. Od. 4.

— — *Et curae ſagaces*
Expediunt per acuta belli.

Et a Lucretio I, 660.

Ardua dum metuunt, amittunt vera viai.

ac rurſus IV, 616.

— *dum tranſit clauſa viarum Vox.*

Titius. Vid. ſupr. 34.

289. *Fuga conſumere campum*] Curſu: Virgilius I. Georg. 286.

Nona fugae melior, contraria furtis.

pro *conſumere* autem Virgilius dixit *tranſmittere* IV. Aen. 153.

— *alia de parte patentes*
Tranſmittunt curſu campos.

Titius. Eleganter. Ita Valer. Flaccus de Argo. *Barth.* Neſcio, quem Valerii Flacc. locum innuat Barthius, niſi lib. I, 832. ſed ibi Chaos dicitur tam ingenti ore eſſe, vt omnem poſſet mundum *conſumere*, id eſt deuorare, quo ſenſu hic capi non poteſt. Sed *conſumere campum* eſt totum celerrimo curſu penetrare, decurrere quaſi vno ſaltu. et ita omnia conſumimus, quae auide in vnum quaſi collata, arripimus, vt nihil reſtet poſtea, non per partes carpimus. ita Quinctil. IV, 1. *deguſtanda haec prooemio, non conſumenda.* vide de eius verbi vſu, quae plura ad Petron. XXXIII. et Val. Flac. d. l. adnotauimus. *Burm.*

Lactenteſque vrens herbas ſiccauerit omnem
Meſſibus humorem, culmiſque armarit ariſtas:
Hordea tum, paleaſque leues praebere memento.
Puluere quin etiam puras ſecernere fruges
Cura ſit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat vt plauſu ſonipes, laetumque relaxet
Corpus, et altores rapiat per viſcera ſucos.
Id curent famuli, comitumque animoſa iuuentus.
Nec non et caſſes idem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu

Addi-

291. *Lactenteſque*] Lacte plenas Virg. Georg. 3, 4. et deinceps. *Iohnſ.* Vid. ad Seren. Samon. cap. 20.

292. *Culmiſque armantur ariſtae*] Expreſſit Virgilianum illud VII, 720.

Vel cum ſole nouo denſae torrentur ariſtae.

Titius.

295. *Atque toros manibus*] Ceruicem. vt de Leone Virgil. XII, 6. *gaudetque comantes excutiens ceruice toros.* Burm.

298. *Comitumque animoſa iuuentus*] Ita dignius hercule venationis συνεργοὶ vocentur. Virgilius Aen. IV, 130. *delectam iuuentutem* cum Aenea venatum educit: quos et *comites* non ſemel vocat. Gratius 332.

Ille tibi egregia iuuenis de pube legendus.

Burm.

300. *Plagas*] Egregie ſane caſſes, plagas et retia diſtinguit; et *retia* definit *longo tractu meantia.* Sed haec quidem, et quae interponuntur iis *caſſes*, apud Gratium vſ. 28. detexui; de plagis hic reſtat dicen-

Addiſcunt raris ſemper contexere nodis,
Et ſeruare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare ſaltus
Quae

dicendum. Eae a caſſibus differunt, quod illi concaui ſint; ſunt enim, vt ipſa retia, planae ac rectae: a retibus, quod illa longo tractu tendantur; hae nonniſi in viarum anguſtiis, quae reti continuari non poſſint, obiiciantur. ideo ἐνόδια vocant Graeci. Horatius Epod. II.

Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obſtantes plagas;
Aut amite leui rara tendit retia.

Quibus aperte plagas a retibus diſtinguit. Vnde lucem trahit vexatiſſimus, et nemini interpretum non male tentatus Virgilii locus Aen. IV, 13. *Retia rara, plagae.* Seruius: *Multi diuidunt, vt ſic retia rara, maiora; plagas vero minora intelligant.* Veriſſima illorum, quotquot fuerint, ſententia eſt. A qua omnes tamen poſtmodo aberrarunt. *Alii* enim, vt addit Seruius, *plagas per definitionem accipiunt, vt intelligant, quae ſunt retia rara plagae.* Differunt itaque a retibus non tantum, quod in viis tendantur, ſed etiam magnitudine. Iſidorus cap. de Retibus lib. XIX. *minus autem recte emplagium dicitur a plagis.* Ex quibus verbis ἐτυμολογίαν plagarum expiſcatus mihi haud inepte videor, ἀπὸ τȢ πλαγίȢ, quia tranſuerſae et obliquae in viis tenduntur. *Obſtantes plagas* merito dixit Horatius. *Vlit.*

301. *Nodis*] Inde *nodoſas plagas* dixit Ouid. Faſt. VI, 110. et *nodoſa lina* III. Met. 153. et VII, 807. vid. ad Grat. 32. *Burm.*

302. *Maculis*] *Maculae* ſunt caſſes retium. *Barth.* Meurſius ad Lycoph. 105. *Maculas* videtur de pinnis vel plumis, quae lineae inſerebantur, et formidinem faciebant, capere. ſed rectius alii foramina, ſiue aperturas in retibus, inter nodos interpretantur; vt Reineſ. Epiſt. ad Daumium LXI. *Caſſes retium* an recte dicantur, dubito, cum caſſis ſit diſtinctus ab aliis retibus; vt oſtendit Vlitius ad Grat. 28. *Burm.*

303. *Linea*] Sunt nec numero, nec eruditione contemnendi, qui *lineam* abſolute pro formidine poni putent.

 Sed

Quae poſſit, volucreſque metu concludere praedas,
Digerat innexas non vna ex alite pinnas.
Namque vrſos, magnoſque ſues, ceruoſque fugaces,
Et vulpes, acreſque lupos, ceu fulgura coeli
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.
Has igitur vario ſemper fucare veneno
Cura tibi, niueiſque alios miſcere colores,
Alternoſque metus ſubtemine tendere longo.

Dat

Sed ne mihimet ipſi placeam nimis, non video, qui *linea* abſolute pro formidine accipi poſſit. Linea enim nihil, niſi funiculus e lino. Ita Gratius vſ. 27. *illa vſus linea longi*; de peridromo. Nec hic quidem apud Aurelium aliter ſumi poteſt; dum periphraſi, qua formidinem circumloquitur, inſeruit. *Vlit.*

304. *Volucreſque*] *Volucrem praedam* appellat a velocitate pedum, ne fortaſſe de auibus accipias. Virgilius I. Aen. 317.

— *Volucremque fuga praeuertitur Ebrum.*

Barth.

309. *Vario*] Diuerſicolori. *Iohnſ.*

fucare] Colorare. *Idem.*

veneno] Colorato pigmento. Ita ſaepe Poëtae tincturam purpurae aut cocci *venenum* dicunt. *Barth.*

311. *Tendere*] Ita ego: *Subtegmina tempore* A. et P. *ſubtemine tempore.* G. *iungere* coni. Gronou. *ponere* B. in Adu. XV, 8. *Vlit.* *Subtegmina tempore.* Steyn.

*tempore * longo*] Barthius hic deſperat de reſtituendo hoc loco. Poſtmodo in Adverſariis coniicit: *ſubtemine ponere longo.* Quid tamen promptius, quid propius antiquam ſcripturam, et veritatem, niſi ipſa ſit, quam ſi reponam, *ſubtemine tendere longo?* Atque ita audacter edidi. *Vlit.* Recte puto emendaſſe Vlitium. et *ſubtemen longum puto eſſe* ſeriem, funem longum, cui innectuntur pinnae, ſiue

Dat tibi pennarum terrentia millia vultur;
Dat Libye, magnarum auium fecunda creatrix;
Dantque grues, cycnique ſenes, et candidus anſer
Dant, quae fluminibus craſſiſque paludibus errant,
Pellitoſque pedes, ſtagnanti gurgite tinguunt:
Hinc mage Puniceas natiuo munere ſumes:
Namque illic ſine fine greges florentibus alis
Inuenies auium, ſuauique rubeſcere luto,

Et

ſiue formidines. *linea* a Gratio vſ. 28. dicitur. illum vero tendi, id eſt extendi in longum, et variis coloribus metus, id eſt, pinnas auium, iubet alternari. *Burm.*

314. *Cycnique ſenes*] Quia iuniorum pinnae caniores ſunt, Barth. XV. Adu. 8. ſed an *candidus anſer* recte dicatur, dubitaui, neque hoc epitheto vulgo anſerem ornari ſciebam. Vnde olim conieceram *garrulus anſer.* ſed potuit genus anſerum intelligere, quales apud Germanos fuiſſe dicit Plinius lib. X, 22. *qui candidi et minores, Gantae* vel *Ganzae* vocantur. imo et Lucret. IV, 687. *Candidum anſerem* dixit. vbi Pius ad argenteum in Capitolio anſerem reſpici putat. poſſunt et intelligi tantum plumae albae ex anſere decerptae, cum reliquae coloris fuſcioris relinquantur. *Burm.*

315. *Craſſiſque paludibus*] Limoſis ob coenum aquae commixtum. Gratius 53.

Craſſaeque modum fecere paludes.

Titius.

316. *Pellitoſque pedes*] Tenui membrana coniunctos digitos habentes, cuiusmodi anatum genus et anſerum. *Titius.*

317. *Natiuo munere*] Barthius *murice* coniicit. docte et ingenioſe. *Iohnſ.* et ita Heinſius.

Et ſparſos paſſim tergo vernare colores.
His ita diſpoſitis, hiemis ſub tempus aquoſae
Incipe veloces catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane nouum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris veſtigia ſeruant.

320. *Vernare*] Vernant omnia, quae ſpeciem veris, et ea tempeſtate prouenientium et florentium praebent. ita *vernans gramen* Calp.V,19. vid. ad Ouid. X. Met. 166. *Burm.*

323. *Cornipedes*] Heinſ. *cornipedem* volebat, ob ſonum, credo, ſequentis *latos*. Burm.